Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

# Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

## Digitale Sammlungen

# Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

**Brauer, Hermann**

**Bremen, 1720**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-4131**

Visual Library


Brem.c.55
Brem.
c.
55



# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartæ*

## FASCICULUS PRIMUS.



BIBLIOTH. GYMN. BREMENSIS

BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXX.

VIRO

*Amplissimo, nobilissimo-que*

# ZACHARIÆ CONRADO

ab

# UFFENBACH,

Jurisconsulto praeclarissimo,

Nostri aevi PEIRESCIO,

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΙ ΕΜΨΥΧΩΙ

ΚΑΙ ΜΟΥΣΕΙΩΙ ΠΕΡΙΠΑΤΟΥΝΤΙ,

Non suae solum Francofurti, sed & Germaniae ornamento,

Unde-

*Undevicesimum hunc*

# BIBLIOTHECAE

hujus

## FASCICULUM.

Nostram ut illi declarare-
mus insignem observantiam,

DICAMUS ATQUE INSCRIBI-
MUS,

Et, ut ex incomparabili, & vel re-
gibus invidendo tam exscriptae typis,
quam manu exaratae BIBLIOTHECAE,
quam possidet, thesauro,

Nonnullorum, quibus huic BIBLIO-
THECAE decus accedat, atque in-
crementum, plena manu

nos placeat facere participes,

Magna contestatione petimus

EDITORES.

## Exhibet hic Fascículus,


I. Lud. Georg. TREVIRANI diss. de Conspectu Gloriæ Dei à posteriori ad Locum Ex. XXXIII: 21. 22. 23. p. 1.

II. Jacobi STAALKOPFII Observ. in Oraculum Paulinum Ebr. XI: 3. pag. 20.

III. Joh. Laur. MOSHEMII de *Joanne* in fervens oleum conjecto ad C. A. HEUMANNUM epistolam pag. 34.

IV. Vitam Theodori FABRICII ab ipso circa a. 1565. conscriptam pag. 65.

V. Mart. LUTHERI testimonium datum Theod. FABRICIO a. 1544. pag. 106.

VI. C. A. HEUMANNI explicationem septem locorum ex Proverbiis Salomonis cum mantissa de *Lemuele* p. 108.

VII. Phil. Dav. SCHROEDELII dubia circa IDEAS innatas p. 135.

VIII. Joh. D'OUTREINII ad locum 1. Petr. II: 24. annotationes pag. 154.

IX. Librorum recens editorum & breviter recensitorum Τετραδα, quæ continet
1. Gerhardi MEIERI de baptizandis L. p. 167.
2. Seb. CREMERI prodromum typicum p. 175.
3. Sal. van TIL opus Analyticum p. 179.
4. Jac. ELSNERI Observationes sacras p. 181.

X. Jacobi ELSNERI ad Matth. III: 9. Observ. p. 186.

XI. Catalogi librorum à Reformatis editorum continuationem,
*Anglice*, pag. 193.
*Germanice*, pag. 198.


Lecto-

*Lectori benevolo*

ac sublimioris disciplinae studioso

FRIDERICUS ADOLPHUS LAMPE,

&

THEODORUS HASAEUS,

Sacrarum literarum in Academia *Ultrajectina*, & ecclesia *Bremensi* *Doctores*

ΤΓΙΑΙΝΕΙΝ ΚΑΙ ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.

FOrtunante Deo quartam Bibliothecae nostrae classem auspicamur. Cumque illi faventium numerum augeri quotidie animadvertimus, faces nobis ac stimulos subjectos esse ad strenue in in hoc stadio pergendum profitemur. Cum autem nondum rationes

tiones sint, propter quas illius nos methodi qua usi fuimus hactenus, paenitere debeat, eandem porro sequemur accurate, donec, qua ratione emendari illa ac perpoliri queat, quisquam, quod in maximi beneficii loco ponemus, nobis ostenderit. Si cuiquam autem videbitur, nonnulla in illa apparere, quibus eruditus orbis carere quivisset facile, neque eandem ubivis elucere vel ingenii ubertatem, vel judicii acrimoniam, vel styli elegantiam, is nos quidem sibi prorsus adsentientes habet.

Sed & illum velimus in memoriam sibi revocare in ejuscemodi operibus, quae a diversis ingeniis proficiscuntur, perfectam ac plenam per omnia similitudinem locum habere non posse. Cogitet is porro, quod ille ait, NON OMNIBUS IDEM ESSE, QUOD PLACET. *In ratione conviviorum,* verba

verba ſunt Plinii, *quamvis a plerisque cibis ſinguli temperemus, totam tamen cœnã laudare ſolemus, nec ea, quae ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur.* Non ſolum iis, qui primas tenent in republica literaria haec opera dicata eſt, ſed & illis, qui ſecundas, qui tertias & ſequentes. Interim ipſa illa varietas non parum habet delectationis. Accidit ſaepe, ut huic videatur res eſſe levioris momenti, & vix digna eruditorum hominum cognitione, quam alius ſibi reperiſſe, in magna felicitatis parte ponit. Et ut pro captu lectorum ſua fata habent libelli, ita & pro diverſitate loci, nationum, aetatis, & circumſtantiarum, in quibus poſiti ſumus, ingeniorum monimentis ſuum pretium ſtatuitur. Rogatos tamen ſimul atque admonitos omnes volumus, qui ſymbolas ſuas ad nos allegare volunt, ut non perfunctorie, ac quaſi aliud agentes, meditationes ſuas in chartam conjiciant, centiesque ab aliis dicta repetant.

Quo magis illae arroſos ungues ſapient lucernamque olebunt, eo certior

nobis ſpes affulgebit, totum hunc laborem noſtrum aequorum rerum arbitrorum benevolentia comitatum iri,&, quæ omnium noſtrorum votorum ſumma eſt, cum aliqua utilitate Chriſtianae eccleſiæ fore conjunctum. Monere hoc unum liceat & orare eos, qui Amſtelaedami iteratam horum faſciculorum editionem ſuſceperunt, id quod ſane nobis inſciis fieri non oportuiſſet, id operam dent, ne operarum menda, quae, ita ut fit, ſubrepunt aliquando, novis fœdiſſimisque erroribus immane quantum augeantur. Non addimus nunc plura. Conſerva nobis conatibusque his noſtris propenſam tuam voluntatem, Lector humaniſſime, & perſuade ſibi firmiter, quidquid tui cauſa vel publice vel privatim a nobis poterit fieri, id cupidiſſime nos facturos & ſtudioſiſſime. Ita valeas, Deoque utaris propitio, ut & nunc ſoſpes & æternum vivas beatus. Scriptum Bremae Saxonum ad d. IIX. Kal. Sept. qui in faſtis ob triſtem illam lanienam Pariſienſem commemorabilis eſt, Anno a virginis partu MDCCXX.

I. LUD.



I.

# *LUD. GEORGII TREVIRANI,*

In Eccl. Bremensi V. D. M.

## Dissertatio Typica

*De*

## Conspectu Gloriæ Dei à Posteriori,

ad locum insignem Exod. XXXIII: 21. 22. 23.

*Breviarium.*

Usus typorum, & quomodo in illis tractandis procedendum §. 1. 2. locus noster typum continet §. 2. 4. ejus nexus cum antecedentibus §. 5. Sensus petitionis *Mo*sis gloriam Dei videre desiderantis §. 6. responsio Dei generalis §. 7. Sensus textus nostri literalis

§. 8. 9. 10. 11. 12. Sensus mysticus ab aliis prolatus §. 13. Summa sententiæ hic indicatæ §. 14. quæ fusius exponitur §. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & ulteriùs defenditur §. 22. viæ Dei commendantur. §. 23.

## §. 1.

CUm *lex umbram habeat bonorum futurorum* Hebr. 10: 1. eos, qui in typis versantur sacris detegendis, eorumque corpore indicando, non inutilem Ecclesiæ Dei operam navare, seque Novo Testamento dignos gerere, apertum est. Quid enim jucundius, quàm quòd fideles sub Evangelio quatuor instar animantium oculis ante & retrò pleni, Christum ejusque regnum in figuris simul atque re ipsâ contemplari, & vetera cum novis comparare possint? Quid magis divinam commendat sapientiam, veracitatem & constantiam, quid divinam sacrarum literarum originem, quàm si illa, quæ in οἰκονομία τῦ πληρώματος τῶν καιρῶν per Christum facta sunt, tam multis antea seculis tam accuratè à Deo delineata detracto Mosis velamine conspicias? Non minor sanè hic est typorum, quàm prophetiarum usus Jes. 43: 9.

§. 2. Ast si in eruendo vero Scripturæ sensu illuminati requiruntur oculi, si succincti mentis lumbi atque sobrietas, si timor Domini hic ea omnia probè adhibeas, necesse est. Non enim hic aliquam tantùm inter res divinas

nas convenientiam, sed talem indicare laboras, quæ mens sit Spiritus Sancti, Deique intentio, quam in hac vel illa olim re habuerit. Multum sanè est tale quid profiteri, vel coram Ecclesia pronunciare. Si Spiritu Sancto Duce in hoc negotio incedas, Dei promovebis laudes, sacrasque ejus literas commendabis; Si temerarius sis, & quamlibet rerum speciem divinam veritatem esse velis, sanctissimum Dei verbum dubium reddes, & irrisoribus inservies.

§. 3. Præsens, quam tractamus, historia adeò illustris, & divina Mosi facta apparitio tam mirabilis est, ut typum in ea quærere, si in ulla alia, operæ sanè pretium sit, & nemo, nisi à studio typico planè abhorrens dubitabit, quin Deus Spiritus simpliciſſimus & perfectissimus, neque *anteriora* seu *faciem*, neque posteriora propriè loquendo habens, hæc tamen hic tam accuratè distinguens, & hoc tantùm, non illo modo se Mosi conspiciendum præbens, aliud quid maximi momenti indicare voluerit; quod quâ in re consistat favente Benignissimo Deo hac dissertatione palam facere conabor, non aliâ quàm Spiritus S. regiâ viâ incedens, qui suos *in omnem veritatem ducit*.

§. 4. Sensus autem *Mysticus* ostendi non potest, quin *literalis* pateat, quem breviter sequenti modo sistimus. Verba Textus secundum versionem latinam Junii & Tremellii ita se habent:

*Postea dixit Jehova, ecce locum apud me, consistes igitur super istam rupem.*

*Erit autem, cùm transibit gloria mea, ut ponam te in cavitate ipsa rupis, & obtegam te manu meâ, donec transivero.*

*Sed cùm amovero manum meam, videbis posteriora mea, facies autem mea videri non potest.*

§. 5. Totam hujus apparitionis Historiam ita nobis Moses narrat; Cùm post admissam populi μοχθηρίαν Deus negaret, se eos, quibus ob preces Mosis jam parcebat, dilatâ vindictâ ducere velle in Terram Canaanis, sed *angelum* missurum, qui antecedens illius expelleret incolas, (angelum nempe creatum, & ab illo Exod. 23: 20. 21. 22. qui ipse Dei Filius, distinctum) Moses deprecatur, eâ conditione populum deducere; & quoniam Deus se ipsi gratiosum testatus erat, ulteriora petit amoris & favoris testimonia, etiam ad conservandum populum vs. 12. 13. Interrogat ad hoc Deus, an non contentus foret, nisi *facies ipsius itura sit* v. 14. Per quam Dei *faciem* ipse *Filius Dei* intelligendus, *Angelus faciei* Jes. 63: 9. Mal. 3: 1. Moses respondet: *Nisi facies tua præcedat, ne jubeto nos hinc discedere* vs. 15. additâ ratione v. 16. Deus ad hæc promittit, se istud facturum, ducem illum daturum ut suum favorem ex precum exauditione cognosceret v. 17. Moses ex hac concessione Dei audentior ad petendum factus, novum po-

postulatum addit: *Fac quæso videam Gloriam tuam* v. 18.

§. 6. Quæ quid sibi petitio velit, paucis inquirendum. Moses enim hoc præ aliis prophetis omnibus privilegio gaudens, quod Jehova פָּנִים אֶל-פָּנִים cum ipso loqueretur v. 11. Deum Israelis jam antea peculiari modo se manifestantem & glorioſè admodùm apparentem viderat Cap. 24: 10. ubi de Mose, Aharone, Nadabo & Abihu & 70. Senioribus: *Aspexeruntque Deum Israelis, & sub pedibus ejus velut opus pavimentatum Sapphiro, & velut corpus ipsum cœli nitore.* Et v. 17. *Species autem gloriæ Jehovæ erat tanquam ignis consumens in summitate illus montis ante oculos filiorum Israelis.* Nihilominus hic Moses gloriam Jehovæ tanquam peculiarem & hactenus sibi nondum exhibitam gratiam videre desiderat. Non utique tam insulsus erat magnus hic *vir Dei*, qualis quidem *Clerico* videtur, ut Deum *corporeum esse* putaverit, ejusque essentiam oculis capere voluerit corporeis; Sed ex responsione Dei v. 20. data patet, Mosen petiisse videre *faciem Dei*, h. e. Deum ipsum in excellentissima sua Majestate, & infinita gloriæ plenitudine, qualis visio in vita æterna sors erit & gaudium beatorum Ps. 17: 15. Matth. 5: 8. Ps. 16: 11. Hebr. 12: 14.

§. 7. Deus igitur infinitus O. M. servo suo responsum dat, quo primò generatim ipsi indicat, quomodo petitioni ejus satisfacturus,

& quomodo *non* satisfacturus esset. Deinde *modum* executionis promissi sui propius ostendit, & de eo speciatim Mosen instruit. Prius continetur vs. 19. 20. Docetque Deus Mosen, se gloriam suam ipsi ostensurum esse in prædicatione augustissimi *Nominis sui* cum manifestatione liberrimæ *misericordiæ* suæ; eo autem modo quo ille gloriam divinam contemplari desiderabat, neminem in hac vita illâ videre posse, *impossibile enim est*, inquit Cel. Coccejus, *ut homo in corpore peccati & mortis ad plenitudinem gloriæ Dei perveniat.* Verba Dei ita se habent: *Ego transire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam, & nominabo nomen Jehovæ coram te, & clemens ero, cui clemens ero, & miserebor ejus, cujus miserebor. At non posses videre faciem meam, quia non potest me homo videre & vivere.*

§. 8. Posterius habetur in verbis nostris, *modus* scilicet manifestationis divinæ hujus gloriæ à nobis paulò propius nunc inspiciendus. *Duo* autem hic Mosi aperiuntur. I. Gloriam Dei transituram esse ante ipsius faciem. II. Quid transeunte hâc Dei gloriâ circa ipsum agendum esset.

§. 9. I. *Transibit*, inquit Jehova, *Gloria mea*, v. 22 nempe *ante faciem tuam* v. 19. & statim additur: עַד־עָבְרִי *donec transiero. Gloria Jehovæ* hic est Filius Dei, *Dominus gloriæ*, 1. Cor. 2: 8. ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ θεοῦ Hebr. I, 3. in quo omnis Dei gloria conspi-

ſpicienda erat. Et quando ſtatim ita ſermo mutatur, *ego tranſibo*, unitas patris & Filii inde eluceſcit. *Modum* hujus tranſitus Deus non indicat, & certi quid de eo ſtatuere non licet. Adfuit procul dubio viſibilis ſpecies, ſed qualis, non liquet, cum ipſe Moſes eam non viderit; eadem fortè, quæ ipſi viſa eſt & Aharoni &c. ſupra memorata & cap. 24. Exodi deſcripta. Hoc certum eſt, Deum ita tranſeuntem altâ voce exclamaſſe, Nomenque ſuum maxima cum Majeſtate, & ita *gloriam ſuam* promulgaſſe, his verbis: *Jehova, Jehova, Deus fortis, Miſericors & gratioſus, longanimis & multus benignitate ac fide; cuſtodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem peccatum; & qui ullo pacto non abſolvit ſontem, viſitans iniquitatem patrum in filios & in filios filiorum, in nepotes & in abnepotes.* Cap. 34: 6. 7.

§. II. Quid autem interim dum gloria Dei ita tranſiret, circa Moſen agendum eſſet, id ipſi indicatur his verbis: *Ecce locum apud me, conſiſtes igitur ſuper iſtam rupem* &c. Certus itaque locus Moſi oſtenditur petroſus in monte Sinai *apud Deum*, id eſt, ubi Deus ipſi apparere ſolitus erat; ibi nunc conſiſtere, ibi manifeſtationem hanc divinæ gloriæ expectare debebat, Deumque experiri, ita ſecum agentem: Erit autem, cùm tranſibit gloria mea, *ut ponam te in cavitate ipſa rupis, & obtegam te manu mea, donec tranſivero; Sed cum amovero manum meam, videbis poſteriora mea, facies autem*

*mea non videbitur.* Primo igitur Deus positurus erat Mosen & absconsurus *in cavitate Petræ, manuque suâ tecturus*; id nihil aliud est, quam *oculos* ejus divinâ potentiâ *esse retinendos*, ut transeuntem ante se divinam gloriam, & sub visibili specie præsentem, videre non posset; sicuti olim factum est discipulis illius duobus Emmauntem proficiscentibus, *ne Jesum agnoscerent* Lucæ 24: 16. quam explicationem *remotio* manus Dei v. 23 necessariò requirit. An verò *nubes*, quæ *manus Dei* etiam vocari potest, hic Mosen texerit, uti quibusdam videtur, certò affirmari non potest. Satis est nosse, Deum ita texisse Mosis oculos, ut nihil divinæ gloriæ viderit, dum coram ipso præsens esset, & magnifica Nominis divini promulgatio audiretur.

§. 11. Post translitum autem Dei cessare etiam debebat hæc Mosis absconsio & oculorum obumbratio: *Sed quum amovero manum meam, videbis posteriora mea, facies autem mea non videbitur.* Deus Spiritus invisibilis & simplicissimus, ut jam dictum, neque *faciem* seu *anteriora*, neque *posteriora* propriè loquendo habet, ab una parte æque minùs ac ab altera conspici potest; *Impropriè* autem unum æquè facilè est atque alterum. Hinc verba hebræa לֹא יִרְאֶה minùs rectè vertuntur: *videri non potest*, cùm propriè significent: facies meæ *non videbuntur.* Non enim hic sermo est, quid fieri *possit* vel *non possit*, ut v. 20. sed quid in spe-

speciali hac apparitione *futurum* & non futurum *sit*, posteriora nempe Dei *visum*, anteriora autem *non visum iri*; idque hanc ob rationem, quoniam Deus *manu suâ* tamdiu Mosen *tecturus* esset, *donec transiverit*, deinde autem, postquam transiverit, *manum suam ab ipso remoturus*, ut gloriam Jehovæ à posteriori contemplari posset, Qua de re ita Glassius: Faciei Dei ejus posteriora seu quæ à tergo sunt, " ἀνθρωποπαθῶς opponuntur, atque ea visurum " Mosen permittitur; iisque aliqua gloriæ di- " vinæ imago revelatione cœlesti in hac vita " ostensa intelligitur, sicut quis hominem ex " tergo, & imperfectè, non autem perfectè & " clarè è facie agnoscit. Sed ita res non satis " explicatur. "

§. 12. Faciem alicujus video, quando præsentem eum & mecum loquentem conspicio, eumque novi talem vel talem esse. Posteriora autem ejusdem video, quando *abeuntem* respicio, aut eum qui ante me transivit, ita ut tum ex posteriori sciam, illum mihi præsentem fuisse; & ita Deus Mosi se hic conspiciendum præbuit, ut à posteriori gloriam ejus viderit, id est, magnifica & illustria divinitatis signa, quæ post se transiens reliquit. Quare totam rem hoc modo concipiendam esse arbitror: Transivit Deus ante faciem Mosis specie visibili, promulgans gloriam Nominis sui. Moses interim stabat in cavitate petræ manu Dei tectus, vocem ejus audiens majestate plenam, sed nihil magni,

oculis suis percipiens, & imprimis nihil tale, quàm se visurum ante sperabat. Ast ubi Deus transierat, videbat Moses posteriora ejus, id est magnifica, verenda & illustria divinæ præsentiæ signa, certissimaque indicia, summum fuisse Deum, qui se ipsi manifestaverit, atque audita coram ipso verba prolocutus fuerit.

§. 13. His ita delibatis *Mysterium* sub hoc cortice latens indicandum venit. Non desunt hac in parte Clarissimorum Virorum cogitationes. Audiamus Cel. Mommam libr. 2. cap. 10. de hac apparitione ita differentem: „Igitur Moses visibiliter transeuntem „videns gloriam Dei, vidensque non anteriora, „sed posteriora edoctus fuit, essentiam Dei esse „incomprehensibilem, lucem ejus inaccessibilem, vias imperveſtigabiles, Deum tamen „ex operibus cognosci, in Christo videri, in „verbo gratiæ manifestari, videndum plenius cùm venerit. Sed adhuc aliud quid „apparitio hæc divina, & quod Moses manu „Dei transeuntis tegitur, quâ ablatâ posteriora ejus tantùm vidit, significavit; nimirum, dum Deus intuetur peccatorem & peccatum, non posse hominem sustinere ipsius „vultum, quippe iræ plenum, hoc est quod „dicitur, *facies meæ non videntur*; ideoque tegendum esse manu Dei. Ita Moses tegitur. „Neque debere hominem accedere in peccato „suo, tanquam qui aliquid ab ipso impetra-

re

„re possit : ideo Moses aliquandiu in caverna „petræ occultatur. At Deum aversum à pec„catore & peccato, & illi posteriora sua quasi „obvertentem, videri, & sic adiri à Peccatore. „Propiùs accedit Cl. Lampius, qui t. 3. Myst. „fœd. gr. c 6. §. 9. in locum nostrum inter alia „præclare hæc habet: Und das bildete ab / wie „das glaubige Jsrael / welches wie Moses in der „dunckeln Höle der Bedienung des Gesetzes eine „zeitlang als verschlossen und bedecket war / zu der„selbigen Zeit mannigfaltige Proben der Tugen„den Gottes / welche hie ausgeruffen wurden / „stets erfahren solte ; aber / daß hinten nach die „Decke solte weggenommen / und die volle Krafft „solcher Tugenden in der Sendung Christi ins „fleisch erblicket werden. Addimus his sententiam acutissimi Deusingii in suo *Mose Evangelizante* ita tradentis :“ Nimirum existimandum est, „angelum Jehovæ eundemque Jehovam fili„um Dei hic Mosi apparuisse specie hominis „luce circumdati at nube tecti, & aversâ fa„cie tergum ei obvertentis ; h. e. promitten„tis propositam sibi in carne humana manife„stationem ejusque indubitata signa atque „ὑποδείγματα ostentantis, sed quæ simul essent „indicia tum præsentis iræ, propter pecca„tum adhuc exstans, & Deum à peccatore „avertens, tum futuræ gratiæ propter re„conciliationem Dei cum peccatore, & faciei „ejus ad eum conversionem. Quæ ab homi„ne videri non poterat dum viveret, hoc est,

„an-

„antequam Christus pro homine, & homo „in Christo morte obitâ peccatum expiasset. „Quâ factâ expiatione futurum erat, ut glo„ria Christi tanquam unigeniti patris ac pleni „gratiæ ac veritatis ab hominibus spectare„tur. Joh. 1: 14.

§. 14. Ultima præclari hujus Viri verba aliquid sententiæ nostræ exprimunt, cujus summa huc redit: Deum in hac apparitione Mosi facta docere & præfigurare voluisse, Filium suum in plenitudine temporis in carne manifestandum, & coram populo ejusque imprimis Proceribus in cathedra Mosis sedentibus præsentem sese exhibiturum, Nomenque atque gloriam Jehovæ pronunciaturum esse. Fore autem, ut Judæorum Principes divinâ manu tecti, illum, divinamque ejus gloriam, dum præsens esset, non agnoscerent; postea autem consummatum per passiones salutis Principem tam illustria & evidentia summæ suæ gloriæ signa ostensurum esse, ut plane convincerentur hi Mosis discipuli, & divinam gloriam in Jesu Nazareno sibi præsentem fuisse, adeoque *posteriora ejus* visuri essent.

§. 15. Mosen itaque in hoc negotio consideramus tanquam typum totius populi & præcipuè procerum ejus imprimis tempore Servatoris nostri viventium, Scribarum & Pharisæorum, quorum regimen propterea *cathedra Mosis* diserte vocatur Matth. 23: 2. Illique Mo-

Mosis se profitentur discipulos Joh. 9: 28. Typum quidem Mosen gessisse illustrem ipsius Domini nostri Jesu Christi manifestum est. Sed alio etiam respectu totum legis apparatum & œconomiam veterem, *patres carnis*, eorumque administrationem adumbrasse, negari nequit; unde populus sub hac œconomia vivens *corpus Mosis* Judæ v. 9. appellatur, sicuti fideles Novi Test. sub nomine *corporis Christi* veniunt, quæ doctè elaborata videas à Cl. Lampio Myst. fœd. gr. t. 3. c. 3.

§. 16. Huic populo ejusque Proceribus sicut hic Mosi Filius Dei *Dominus gloriæ* se præsentem stitit, carne nostrâ indutus & *filius hominis* factus, juxta vaticinium Ps. 82: 1. *Deus adstat in cœtu Dei fortis, inter Magistratus judicat.* Ita ut dici illis potuerit: *Ecce Deus vester* Jes. 40: 9. quam ob causam populus Israeliticus nomine יְשֻׁרוּן insignitur Deut. 32: 15. & alibi. In horum conspectu ambulavit æternus hic Dei Filius, in eo unicè occupatus, ut *Nomen gloriamque* Patris manifestaret & proclamaret, idque verbis, factis & passionibus suis, gloriam nempe *gratiæ ac misericordiæ* in Electis à Patre sibi datis, & justitiæ in reprobis, secundum vaticinium Ps. 22: 23. *Enarrabo Nomen tuum fratribus meis, in medio congregationis laudabo te.* Quibus partibus se quàm fidelissimè defunctum esse, ipse Sanctissimus Servator coram Patre suo nunc è mundo abiens testatur Joh. 17: 4. 6. *Ego te glorificavi in terra, opus consum-*

*ſummavi quod dediſti mihi, ut facerem, manifeſtum feci Nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi electos è mundo.*

§. 17. Non defuere hiſce temporibus, qui illuminatos à Deo accipientes mentis oculos divinam hanc in Jeſu gloriam deprehenderunt, ipſum pro *Filio Dei* & Servatore unico agnoverunt, & annunciatam ab ipſo gratiam ſeriò appetentes ſe ipſi ſervandos verâ fide tradiderunt. Hi *Sermonem* viderunt *carnem factum & inter ipſos commorantem, viderunt gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Joh. 1: 14. *Credidérunt & cognoverunt, Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei viventis* Joh. 6: 69. Et ita gloriæ Dei quaſi *faciem* conſpexerunt, at viſu admodum debili, & multâ adhuc caligine tecti, *à poſteriori* demum plenè illuminati.

§. 18. At quod maximam populi partem ejusque imprimis Proceres concernit, fuerunt illi tum temporis in eo ſtatu, quo Moſes præſente Dei gloria, *in cavitate rupis conſtituti, & manu divinâ tecti*, ut reſplendeſcentem in JEſu Domino noſtro gloriam *non agnoſcerent.* Conſiſtebant *in Petra*, non verâ *Salutis Petrâ*, ſed *montis Sinai*, carnalibus prærogativis confidentes, inque iis gloriantes, *legi* inhærentes, *in eo juſtitiam ſuam quærentes*, atque adeò *animo elati* Hab. 2: 4. *ad lapidem offenſionis impingentes.* Rom. 9: 32. Hi *ſeculi illius principes* præjudiciis, amore mundi, invidiâ & ſu-

ſuperbiâ occœcati, quamvis vel maximè *ſe videre* jactitarent Joh. 9: 41. *Sapientiam Dei non cognoverunt, nam ſi eam cognoviſſent, Dominum gloriæ cruci non affixiſſent.* 1. Cor. 2: 8. Factum hoc eſt non ſine juſto *Dei judicio* peccata peccatis puniente, & *manu Dei* ipſis incumbente, quam ipſe Servator magnificè deprædicat Matth. 11: 25. 26. 27. *In illo tempore reſpondens Jeſus dixit: Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc OCCULTAVERIS à ſapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Probat id peculiaris docendi modus à Chriſto adhibitus, de quo ipſe Matth. 3: 13. 14. 15. *Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Itaque completur in ipſis prophetia Jeſaiæ, quæ dicit: Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non cernetis* &c. Et prohibitio diſcipulis facta, qui gloriam JEſu in monte viderent Matth. 17: 9. At quum deſcenderunt de monte, mandavit eis Jeſus dicens: *Nemini dixeritis quod vidiſtis usque quò filius hominis à mortuis reſurgat.* Ita ut clarè ſatis percipiamus, quomodo populus Judaicus ejusque proceres gloriam Dei ipſis adeò præſentem, & ante faciem eorū tranſeuntem, *facietenus non viderint.*

§. 19. Vidit autem Moſes *poſteriora Dei*, & illuſtriſſima poſt ejus tranſitum divinitatis ſigna & infallibilia indicia. Quid hoc ſignificaverit, interpretem habemus ipſum *Dominum*

*num gloriæ*, qui, cùm in *diebus carnis ſuæ* coram Moſe, i.e. ejus cathedra in infima humiliatione conſtitutus, & ſedentibus in illa ſenioribus *divinâ manu tectis* ignotus, interrogaretur, *num eſſet Chriſtus, Filius Dei benedicti?* intrepidè affirmando reſpondit, inquiens: *Tu dixiſti: quin etiam dico vobis*, AB HOC TEMPORE *videbitis Filium hominis ſedentem ad dextram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli*, Matth. 26: 64. Quid hoc eſt aliud, quam dicere: *Faciem meam non videtis, ſed quando tranſivero, poſteriora mea videbitis*, id eſt illuſtria hujus veritatis ſigna, atque infallibilia indicia, Gloriam Dei vobis præſentem fuiſſe, talia nempe mea *Opera*, quæ me ad dextram potentiæ ſedere, & judicem totius mundi conſtitutum eſſe, clariſſimè probabunt.

§. 20. Et ita quidem factum eſt huic populo, ut alii, maximam nempe partem hæc Filii Dei *poſteriora* viderent ad *convictionem* tantùm, & proprium ipſorum interitum; dum videlicet cuſtodes ſepulchri Domini, victore eo magno cum Terræ motu ex mortibus redeunte, *ut palea coram vento, angelo Jehovæ impellente, facti* Pſ. 35: 5. & *ſemimortui* primariis ſacerdotum eam quam viderant gloriam renunciarent; illi autem abſurdam excogitantes fraudem, honorem apud homines ſartum tectumque retinere mallent, quàm evidentiſſimæ veritati cedere, & propriæ populique ſaluti conſulere Matth. 28: 4. 11. 12. 13.

Cum

Cùm porrò contra luculentiſſimum Spiritus S. in diſcipulos JEſu Chriſti effuſi, ipſorumque Apoſtolorum divinâ virtute inductorum Teſtimonium corda ſua obfirmarent. Donec tandem elapſo reſipiſcentiæ termino hic *Dominus Gloriæ* immiſſo Romanorum milite *exercitu ſuo*, finali deſtructione & everſione templi, urbis, imò totius Reip. Judaicæ, poſteriora ſua terribili modo conſpicienda dederit.

§. 21. Alii autem divinâ *poſteriora* hæc concomitante gratiâ illuminati ad æternam ſuam ſalutem illa conſpexerunt, ii nempe, qui audito Evangelio de *conſummato per paſſiones Principe ſalutis*, commiſſum in ejus crucifixione ſcelus ſeriâ reſipiſcentiâ deplorantes, verâ ipſum fide amplexi ſunt. Videas tales trium millium numero felici illo pentecoſtes feſto mirabili Spiritu S. effuſione claro, à Luca hoc modo deſcriptos: *Qui verò hæc audierunt*, (quæ ſcil. Petrus de Gloria Jeſu Chriſti, poſteriora ejus oſtendens, prolocutus erat) *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Qui ergò libenter receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & additæ ſunt Eccleſiæ die illo animæ quaſi ter mille* Act. 2: 37. 41. O beatum poſteriorum JEſu Chriſti conſpectum! Hos inter numerandus imprimis Paulus, quem in tenebris adhuc verſantem, & contra diſcipulos JEſu minas cædemque ſpirantem, *repentè lux è cœlo fulguris inſtar circumfudit*, ut JEſu gloriam videret,

ubi *ab oculis ejus quasi squamæ deciderunt* Act. 9: 18. & ita impletus in ipso fuit typus Jesaiæ Prophetæ, *gloriam* Jesu Christi magno cum terrore videntis Jes. 6. Joh. 13: 41. Audiamus fideles præsente *facie* Domini *divinâ manu tectos*, deinceps autem illuminatos & *posteriora Dei* videntes Jes. 53: 4. 5. secundum versionem Cel. Cocceji; *Enim verò morbos nostros ipse tulit, & dolores nostros bajulavit eos, at nos reputavimus ipsum plagâ affectum percussum à Deo & subactum. Sed ipse cruciabatur propter defectiones nostras, conterebatur ob pravitates nostras, castigatio pacis nostræ sub ipso erat, & vibice ipsius Sanatio nobis facta est.* Quod etiam præfiguratum cernimus in *angelo illo Sacerdote*, qui Manoacho ejusque uxori apparuit, & peracto sacrificio, in quo *mirabiliter egerat, in flamma altaris cœlum versus ascendit*, quique Filius Dei ipse fuit, quem Manoach ejusque uxor facietenus non noverunt: sed visâ glorioſâ ejus ascensione *Angelum Jehovæ*, & *Deum* esse, à posteriori demùm trementes intellexerunt Jud. 13: 19. 20. 21.

§. 22. Hæc autem ita sese habere, sententiamque nostram solido fundamento niti, magis patebit, quando annexas apparitioni huic nostræ considerabimus *circumstantias*, proclamatum nempe ab ipso Jehova ante faciem Mosis transeunte magnificum *Nomen*, inter alia hæc habens: *Gratiosus ero, cui fuero gratiosus, & miserebor cujus misertus fuero.* v. 19.

Quid

Quid enim aliud hæc ſibi volunt, quàm fore, ut eo tempore, quo Chriſtus in carne eſſet manifeſtandus, & à poſteriori cognoſcendus, tale cerneret in ipſius populi Dei judicium, quo ſeparatio inſtitueretur inter *vaſa miſericordiæ & vaſa iræ*, tanquam luculenta divinæ cum electionis tum reprobationis exempla, interprete ipſo divo Apoſtolo Rom. 9: 15. 22. 23. Quemadmodum enim Deus cum populo ſuo μοιχοποιίας reo agit, ut quibusdam ob interceſſionem Moſis ex mera miſericordia pepercerit, alios autem Levitarum gladio jugulaverit Exod. 32: 28. Ita ex mero voluntatis ſuæ beneplacito agere conſtituerat cum populo *petram ſalutis rejiciente, Deumque per ea quæ Deus fortis non ſunt, ad Zelotypiam commovente* Deut. 32: 11. ut parti eorum ob *interceſſionem JEſu Chriſti* Lucæ 23: 34. electis nempe parceret, reliquos autem ſibi ipſis relictis juſtè puniret, ad laudem *gloriæ ſuæ* tam *miſericordiæ* quam *iræ* Rom. 9: 22. 23. & 11: 2. 7.

§. 23. Hæ ſunt *viæ*, hæc ſunt judicia Dei adoranda à nobis magis, quàm curioſius rimanda, multò minus taxanda; præeunte nobis ipſo memorato Chriſti Apoſtolo Rom. 11: 33. 34. 35. Ω βάθος πλούτε καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεῦ. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτῦ. Hæc omnes propriæ juſtitiæ, hæc omnes liberi arbitrii reſcindunt nervos. Hæc omnem peccatori gloriandi præripiunt materiam. Beati ſumus, qui-

bus Deus T. O. M. tanquam objectis misericordiæ ſuæ oculos gratiâ ſuâ ita aperuit, ut Poſteriora hæc Domini gloriæ verâ fide ad ſalutem ſuam contemplari queant. *Hi in Nomine ejus exultant toto die, & in juſtitia ejus efferuntur* Pſ. 89: 17. Et ſi tanta tamque eximia hic vident in aſpectu *poſteriorum Dei*, quanto perfundentur gaudio, quando conſpectus ipſis concedetur Moſi in corpore peccati adhuc verſanti denegatus, nempe *faciei ejus in juſtitia, & ſatietas, cum evigilaverint, in ſimilitudine ejus* Pſ. 17. 15.

II.

# JACOBI STAALKOPFII,

## Obſervatio Sacra in Oraculum Paullinum Hebr. XI: 3.

### CONSPECTUS.

Contenta verborum Apoſtoli §. I. Fides principium cognoſcendi doctrinæ de creatione §. II. & III. Non tamen ſola §. IV. & V. Solus DEUS eſt cauſſa efficiens mundi §. VI. VII. VIII. & IX. Formalis ratio creationis conſiſtit in ſucceſſiva omnium rerum ex nihilo productione §. X. XI. XII. XIII. ac XIV.

I. Egre-

## I.

EGregie admodum, de creatione Divus præcipit Paullus Hebr. XI: 3. ſcribens : πίστει νοοῦμεν, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Mentionem quippe hic facit (α) principii cognoſcendi doctrinæ de creatione (β) cauſſæ efficientis mundi ac denique (γ) formalis, uti vocatur, rationis, cunctarum productionis rerum.

II. *Principium cognoſcendi* I.) indicatur nomine fidei : πίστει νοοῦμεν, adeoque de ſcriptura adſeritur ſacra, quod illa ejusmodi principium ſit. Fides enim ceu χάρισμα ſpiritus ſancti, per verbum in homine ſuſcitatur, & pariter circa verbum, veluti ſuum verſatur objectum. Ortæ ſunt hinc diſtinctiones, inter fidem credentem & creditam, qua creditur & quæ creditur, ſubjectivam & objectivam, ſalvificam & dogmaticam. Quæ ita a ſemet invicem differunt, ut fides ſalvifica, ſit illa fiduciæ plena, gratuitarum adprehenſio promiſſionum, dogmatica vero ex ipſiſſimis illis promiſſionibus ac doctrinis, in ſacro reperiundis Codice, conſtet. Differunt ergo ut fundamentum, & fundamento ſuperſtructum. Dogmatica eſt fundamentum, quo ſalvifica nititur. Differunt ceu prius & poſterius. Dogmatica prior, ſalvifica poſterior

est. Dogmaticam quippe matrem jure dixeris fœcundam, fidem salvificam in regenitis parientem. Arbor suavissima, merito illa salutatur suo, ex qua dulcissimi progerminant fiduciæ fructus. Misericordiæ Numinis inexhaustus plane oceanus est, ex quo pellucidissimi emanant fidei salvificæ rivuli. Adhuc eum limpidissimis fontibus Israëlis, scitissime potest contendi, quibus homo fidelis, dulcissimum Servatorem, & sanguine ejus parta sitiens beneficia, suam feliciſſime sitim valet exstinguere.

III. Tribus eadem partibus absolvitur, notitia, nempe adsensu & fiducia. Nobilissima illarum fiducia est, anima illa fidei salvificæ, cujus mirificos plane effectus, longa serie recenset Paullus per totum Caput XI. scriptæ ad Hebræos epistolæ. Inhæret ista voluntati, quemadmodum notitia & adsensus, intellectum veluti sedem suam adgnoscunt. Utraque fides dogmatica scilicet & salvifica, ac posterior quidem quoad duas priores partes, notitiam nempe & adsensionem in textu nostro indigitatur. Sic autem spectata fides salvifica, alio nomine historica solet adpellari: Quo nomine & mihi jam licebit uti. Dogmatica innuitur ceu fundamentum, cui historica innititur, & tanquam objectum, circa quod illa versatur. Historica insinuatur, dum νοήσεως mentio injicitur: πίστει νοοῦμεν. Sensus verborum sequens est: Scriptura sacra, tabula illa, DEUM & res divinas, scite ac elegan-

ganter depictas, venustisque imaginibus repræsentatas nobis sistens, docet, mundum a Beatissimo esse conditum Numine. Adsertio ista, quoniam in DEI verbo infallibili reperitur, est πιστὸν quoddam, fide dignum. Eo ipso itaque, dum hanc positionem legimus, & ejusdem nobis adquirimus cognitionem, adsertionem cohibere nostram haut possumus. Fide igitur divina, res omnes ab Arbitro orbis esse conditas, credimus & amplectimur.

III. His vero ita propositis, nonnulli Ethnicorum, qui nullum mundi conditorem adgnoverunt, excusari posse videntur, quia sacrarum lumine litterarum orbati, fidem concipere non potuerunt. At enim vero culpa liberari saltem posse videntur, reipsa autem nequeunt excusari. Quamvis enim Apostolus scripturam principium cognoscendi doctrinæ creationis faciat, nondum tamen inde sequitur, ex eadem unice notitiam illius debere hauriri, cum juxta Logicorum canonem, adfirmato uno non statim negetur alterum. Gentium Doctor equidem fide apprehendi & intelligi creationem tradit, eo ipso autem non excludit scientiam, quam pariter gentibus revelatione carentibus tribuit Rom. I: 19. 20. Scire itaque & credere non sunt contradictoria, verum potius subordinata, quoniam diversus qui hic datur respectus, omnem plane evertit ἐναντίωσιν. Id quidem

dem ingenuus largior, nullam rem quatenus ſcitur, credi poſſe, & viciſſim nullam in quantum creditur, ſciri poſſe, ut tamen negem, pro diverſa conſiderandi ratione, rem & ſciri & credi poſſe, nullo prorſus modo, a me valeo impetrare. Hinc Theologi articulos fidei, duplicis dicunt eſſe generis, quorum alii purorum adpellatione gaudent, alii contra mixtorum nomine veniunt. Puros vocant, qui ex ſola innoteſcunt revelatione. Mixtos appellant, quorum cognitio partim ex ratione, partim vero ex revelatione petitur. In horum quoq; claſſem doctrina de creatione eſt referenda, cum & illa a Theologis ex lumine ſcripturæ, a Philoſophis autem ex lumine naturæ tradatur & proponatur.

V. Liceat ergo & mihi jam Philoſophum agere, & creationem mundi probatione ſequenti adſtruere. Mundus aut a ſe ipſo eſt, aut ab alio, cum omne exiſtens, vel a ſe ipſo vel ab alio ſit. Mundus exiſtit. Unum igitur ex his duobus, ſibimet invicem oppoſitis, eligendum erit membris, atque adeo dicendum, vel a ſeipſo vel ab alio eſſe mundum. Quod eſt a ſeipſo, vel a ſeipſo eſt negative, vel poſitive. Mundus non eſt a ſeipſo negative, quia ejusmodi aſeitas, ſolius DEI adtributum. Aut ergo mundus eſt Deus, aut non eſt a ſeipſo negative. Abſit vero mundum finitum, velle DEUM vocare. Finitas autem mundi inde patet, quia partibus gaudet finitis.

tis. Partes omnes simul sumtæ, ipsum sunt totum. Cum igitur quælibet mundi pars sit finita, totum pariter finitum sit necesse est. Quod quis non habet, alteri dare nequit. Mundi partes non habent infinitatem. Hinc eamdem mundo communicare non possunt. DEUS est Ens perfectissimum. Ens perfectissimum omnibus gaudet perfectionibus. Infinitas eximia quædam perfectio est. Mundus destituitur infinitate, atque idcirco Entis perfectissimi nomen non meretur. Si hoc pro Numine haberi nequit, si non est DEUS, neque a seipso negative dici potest esse. Nec est a seipso positive, quia nihil causa sui ipsius. Seipsum enim producere involvit contradictionem, & cum primo cognoscendi principio pugnat. Res quippe seipsam faciens, simul exsistit & non exsistit. Exsistit, quoniam ipsi tribuitur sui productio, cum non-entis nullæ sint operationes. Non exsistit, quia se producit. Si enim jam esset, nulla opus foret productione. Ergo nil aliud restat, quod dicamus, quam hoc: mundum esse ab alio. Quodcunque vero est ab alio, illud est Ens dependens. Omne dependens est finitum. Omne finitum gaudet terminis essentiæ. Ubi autem termini essentiæ, ibi pariter termini durationis reperiuntur. Duratio quippe Entis, essentia ejusdem nobilior esse nequit. Positis jam terminis durationis, adseritur ad minimum rei cujusdam initium. Adfirma-

to hoc, perit æternitas ceu duratio carens initio pariter ac fine.

VI. Huc usque progreditur lumen rationis, atque adeo docet, mundum esse creatum & non nisi ab Ente infinito condi potuisse. Rationi succurrit revelatio, & illius supplementum jure vocari meretur. Paullum ergo iterum audire juvabit, pulcre II.) *causſam efficientem* τῶν αἰώνων vocantem ῥῆμα Θεοῦ. Vocabulum ῥῆμα ceteroqui πολύσημον est, veluti exempla in Scripturis passim obvia testantur. Modo enim mandatum notat Luc. V, 5. Modo factum, rem gestam, negotium Luc. II, 15. Luc. I, 37. Act. V, 32. exprimit. Quoad ultimam significationem, congruit cum Hebræorum דבר, utpote quod pariter rem innuit. Hoc loco cum ῥήματος Θεοῦ mentio fit, ad duplicis generis ῥῆμα est respiciendum, tum ad λόγον ὑποστατικὸν tum quoque προφορικὸν. Per filium DEI enim creata esse omnia discimus ex Pſ. XXXIII, 6. Jo. I, 2. Colosſ. I, 16. Ebr. I, 2. Προφορικὸς vero λόγος, fuit omnipotens illud FIAT, Gen. I. sæpius repetitum. Bene id circo Petrus Chauvinus in commentatione de Religione Naturali Lib. I. Cap. IX. p. 84. scribit: *Certe quidem illa creatio, nihil aliud mihi videtur esse, quam actualis & præsens adplicatio voluntatis divinæ, creaturas de nihilo prodire jubentis. Nihil eo imperio fingi potest divinius: adsit cœlum, adsit terra, inquit, ac subito ad primulum tantæ vocis halitum, creaturae sui nihili*

*nihili oblitae, extricant ſeſe, de ſuae privationis faſciis, atque tremebundae, coram fictoris ſui tribunali comparent.*

VII. Adeo celſa quippe & ſublimis DEI creantis operatio eſt, ut etiam ſumma cum confidentia adfirmare nullus dubitem, neminis tantum eſſe flumen ingenii, nullam dicendi aut ſcribendi tantam vim, tantamque copiam, quæ non dicam ornare, ſed enarrare ſaltem, præſtantiam illius queat. Ceteroquin extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, homines longe plura verbis proferre, ac ſermone exponere, quam opere ipſo poſſe præſtare. Cum vero in divinæ omnium productionis rerum, luculentiori paullo prædicatione, cogatur ſilere inops nimis hominum dicendi facultas, & calamus pariter excellentiam ejusdem, ſcribendo nedum adumbrare quidem valeat, illa mentes noſtras longe ſuperans benigniſſimi Conditoris omnipotentia, ſupplicibus veneranda eſt precibus, & pia unice ac devota venit proſequenda colendi ratione.

VIII. Solius DEI eſt condere, & ex nihilo tam venuſta pariter ac concinna ratione, creaturas effingere. Creationis autem vocabulo mihi nihil aliud, quam actionem ſupremi Numinis, qua ex nihilo omnia produxit, quæcunque extra ſe dantur, venire, cuilibet notum ſatis eſt atque perſpectum. Neminem etiam facile fugiet, de creatione non ſecunda,

da, verum prima, mihi hoc loco esse sermonem. Infinitam vero stupenda hæcce actio postulat potentiam, neque ab agentibus, perfectionum suarum limites adgnoscentibus, ulla ratione potest exantlari. Hinc Arbiter orbis creationem sibi vindicat soli, teste piissimo Vate Esaia Cap. XLIV, 24. Ego sum Jehovah faciens omnia & extendens cœlos, solus expandens terram per me ipsum.

IX. Absit ergo longissime a nobis, ut atomorum fortuitæ conversioni, effectionem mundi, cum nonnullis, qui equidem mire sibimetipsis sapere videntur, re ipsa vero pueriliter ineptiunt, adscribamus, cum elegans illa rerum dispositio conditarum, facile commentum illud prorsus irrationale, falsitatis postulare, quin imo convincere pariter queat. Profecto si homines isti, quorum fictionibus justo liberioribus, placitum hoc originem suam debet, vel unicam sani atomum cerebri habuissent, nunquam fortassis adeo enormiter delirassent. Rectiora ex sacro edocti sumus Codice, adeoque fide credimus divina, omnes SS. Triados personas, ad opus creationis admirandum concurrisse. Vates quippe regius, expressis idipsum edisserit verbis, hymno XXXIII, 6. verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris omnis exercitus eorum. Etsi autem simul operatæ sint tres hae personæ, propterea tamen easdem causas adpellare socias, videtur esse nefas, quia uni-

unitas eſſentiæ & concurſus nomen hoc neutiquam patitur.

X. Pergendum jam ad creationis *formalem* ceu audit *rationem* quam denique III.) Divus tradit Apoſtolus, adſerens κατήρτισθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Verbum καταρτίζειν, quod hic offendimus, vocabulo ἄρτος, ſuos debere natales, notius eſt, quam ut me opus habeat ſuſe commemorante. Uſurpatur illud de machina quadam corporea, ubi omnes etiam minimæ particulæ, ſuo loco, eo quo decet modo ſunt repoſitæ. De ædificio quoque adhibetur, cui trabes, ligna & lapides, debito ordine ac venuſta concinnitate inſeruit, prudens ejusdem architectus. Tam congrue ergo hæc rerum univerſitas a benigniſſimo ejusdem Parente eſt conſtructa, adeo mire & ordinate efficta, ut proinde cum divino Vate, ſapientiam DEI ſupplices nos deceat venerari : Quam multa ſunt opera tua JEHOVAH, quæ omnia in ſapientia feciſti, plena eſt terra poſſeſſionibus tuis, hymno CIV, 25. & cum Syracide per totum Caput XLIII, majeſtatem Numinis ex rebus conditis admirari.

XI. Maneat igitur artificibus & opificibus debitus honos, debita gloria, quod eleganter res ſuas conſtruere didicerint, nunquam tamen, etſi vel maximam adhibituri ſint induſtriam, id merebuntur, ut vel aliquali ſaltem ra-

ratione, καταρτισμὸς illorum, cum καταρτισμῷ clementissimi Conditoris queat contendi. Fingunt quippe illi effectus suos ex aliqua præexsistenti materia, quæ penes DEUM fuit nulla. Id quod Apostolus testatur dicens: ἐκ τῶν μὴ φαινομένων βλεπόμενα γεγονέναι. Nullum hic materia præexsistens reperit fundamentum, sed potius plane subvertitur ac prorsus eliminatur. Quæcunque enim ne quidem in oculis DEI pellucidioribus sole, clarissimo nihilominus jubare coruscante Syr. XXIII, 28. adparent, illa propriisime loquendo, purum putum nihil sunt. Neque est, quod excipias, materiam illam fuisse adeo subtilem, ut omnem plane instar ætheris effugerit visum, cum nullum tanta exilitate pariter ac tenuitate gaudens reperiri queat corpus, quod omniscientiam lateat divinam. Accedit & hoc quod μὴ φαινόμενα ista per μὴ ὄντα Rom. IV, 17. exponantur.

XII. Supremus ergo hujus Universitatis Rector, omnes tam visibiles, quam invisibiles, tam extensas quam cogitantes res omnipotenti jussione sua ex nihilo produxit. Cave tamen ne offendaris phrasi ex nihilo. Non enim ista, materia creaturarum τὸ nihil esse venditatur, sed saltem ostenditur terminus a quo creationis. Ut adeo sensus sit sequens: DEUM cum nihil omnino fuerit, omnia citra ullam præexsistentem materiam condidisse. Sed Atheos pervulgatum illud: ex nihilo

hilo nihil fit, occinere mihi audio. Aſt ſi id velint, nihil omnino niſi ex præexſiſtenti materia poſſe effici, petunt id quod eſt in principio. Aliud quippe eſt ſi de potentia finita loquamur, aliud ex adverſa parte ſi de infinita ſermo ſit. Ens finitum terminos perfectionis ſuæ adgnoſcens, nihil niſi ex materia quadam producere poſſe ingenuus fateor. Verum ut idem de inſigni, captumque noſtrum longiſſime ſuperante, ſupremi Numinis potentia, ſentiam, prohibent religio & ſana pariter ratio. Præterea in ſubſidium quoque vocari poterit, celeberrimi Gerardi de Vries effati ſupra adducti explicatio. Occurrit illa p. 128. Exercitationum doctiſſimi Autoris Rationalium, & ſequentis eſt tenoris: *Ex nihilo nihil fit, quatenus ſcilicet ex nihilo, per ipſum nihilum, ſive virtute ipſius nihili, nihil produci poteſt; nihilque adeo alicujus principium eſſe nequit.* Unde patet clariſſimum virum πολυθρύλητον hocce, non tam de materia, quam potius de efficiente capere. Atque tali ratione ſi accipiatur, facillimo id negotio largiemur atheo, neque tamen ille quidquam ex eodem, adverſus cauſſam DEI poterit colligere.

XIII. Præter Paullum vero noſtrum, Panſophus ille celeberrimus, Oceanus iſte Prophetarum, ille Anti-Scripturariis & Naturaliſtis adeo exoſus Moſes, creationem ex nihilo defendit. Provoco ad prima ejus, rerum omnium geneſin tradentis libri verba: in prin-

principio creavit DEUS cœlum & terram. Robur argumenti eo redit: præter cœlum & terram, nullam antea exſtitiſſe materiam, quia hæc condita leguntur in principio. Si vero materia præexſtitiſſet, Moſes vir θεόπνευστος ac ſapientiſſimus, non potuiſſet dicere in principio, ſed potius poſt principium, factam creationem adſerere debuiſſet, eo quod materia præexiſtens fuerit principium.

XIV. Αἰῶνες autem, de quibus Apoſtolus in Oraculo verba facit noſtro, intra ſextiduum ſunt conditi. Potuiſſet equidem Beatiſſimum Numen, mundum ſimul & ſemel producere. Enimvero infinitæ ejusdem ſapientiæ alia procedere placuit ratione. Multi in ſole reperiuntur radii, & in eſſentia DEI varia concipimus adtributa. Numen ſpiritus eſt perfectiſſimus. Quo perfectior vero eſſentia ſpiritualis, eo longius eamdem ab omni plane realis umbra compoſitionis, remotam eſſe, deprehendimus. Ea propter, DEI eſſentiam inter, & adfectiones illius diſcrimen reale non datur. Omne quod in DEO, ipſe eſt DEUS. Voluntas omnium moderatoris rerum idcirco omnipotentia gaudet, quia re ipſa tum voluntas tum pariter omnipotentia Numinis a ſemet invicem non differunt. Nihilo tamen ſecius, voluntas non tam longe patet, quam omnipotentia. Omnia quæcunque Arbiter orbis vult, poteſt. Non vero omnia quæ poteſt, vult. In operationibus ejus non me-

mechanica neceſſitatis, ſed ſumma potius libertas cernitur. Machina neceſſario operatur, quæcunque poteſt. Liberum autem Ens non ſemper ſecundum magnitudinem potentiæ qua pollet; ſed juxta decretum voluntatis ſuæ agit. Omnipotentia Numinis equidem nullos adgnoſcit limites. Aſt voluntas ipſius quandoque certis ſibimet ipſi præſcriptis continetur terminis. Poſſidet eadem omnipotentiam, quamvis non ſemper illa utatur. Sine omnipotentia mundus non eſt conditus. Minima enim iſtius pars, ſpeculi admodum pellucidi munere fungitur, omnipotentem ſiſtentis Conditorem. Verum omnipotentia totam vim ſuam non ſimul & ſemel exſeruit, cum celſisſimo Numini omnia moderanti placuerit, intra ſpatium ſex dierum cuncta producere & unum ens poſt alterum effingere. Ultimum autem inter omnia homo fuit ἐνέργημα, cum ſingulari *SS.* Trinitatis deliberatione conditus Gen. I. 26. Quæ utique res, creaturam movere ac ſtimulare debet rationalem, ut ſe viciſſim Conditori ſuo, ſumma cum diligentia tradat, eidemque ſe totum, in perpetuum offerat peculium.

III.

# JOH. LAUR. MOSHEIM,

## *De JOANNE in fervens oleum conjecto,*

ad

*Virum Maxime Venerandum, Amplissimumque*

## CHRISTOPH. AUGUST. HEUMANNUM

## Epistola.

PUblice TE compello, VIR VENERANDE! Nam ad publicam litterarum rem pertinet, de quo TE cum agere constitui. Privatas dedissem, si privati negotii res esset. Audaciæ veniam abs TE petere animus erat. Sed obstitit, quam de TE concepi, magna certe opinio. Verebar nimirum, ne, si illum, cui nihil veritatis studio prius est, demulcere quasi conarer, virtuti ipsius officerem. Igitur quod alios loquaciores sæpenumero efficit, ad silendum me compulit. Sed missis ambagibus rem ipsam adgredior.

Soleo in iis, quæ cum eruditis hucusque com-

communicasti, & acerrimam ingenii TUI vim & incomparabilem admirari eruditionem. Indefessum vero illud in excutienda priscarum Historiarum veritate studium, tanto augustiorem postulat venerationem, quo robustiores hæc arena vires desiderat. At nosti fatum illorum, qui non auctoritate, sed rationibus omnia metiri solent. Dissentiunt interdum, ac in ipsis ingeniosissimis demonstrationibus, de quo dubitent, non raro reperiunt. Idem mihi scripta TUA relegenti accidit. Cujus id contigerit culpa, TUA, VIR AMPLISSIME, qui negotio, ut homines sumus, defueris: an mea, qui dubitandi causas finxerim, non invenerim, vix constituo. Ex TE omnium optime disci posse credidi, sicubi, quæ mihi circa quasdam discussiones TUAS obortæ sunt, cogitationes, examini TUO subjicerem. Initium hisce facio, quibus ea, quæ de JOANNE, si fides quibusdam, in fervens oleum a DOMITIANO conjecto, acute nuper differuisti, considerare decrevi.

*Fabulam* diserte vocas, quæ TERTULLIANUS & post hunc alii hac de re memoriæ prodiderunt. Durior sane vox, quæ me sola ferme, ut repugnarem, impulit. Incredibilem fabularum numerum omni sese Historiæ immiscuisse, certus sum. Hominis etiam, sapientis inprimis, esse censeo æternum illis bellum indicere. Optime illud a quibusdam,

a TE præſertim, geſtum eſſe & geri, non inficior. Num ab omnibus, num juſta ſemper ex cauſſa, dubitatio mihi dudum orta fuit. Major eſt fortaſſis, quam ſibi quidam perſuadent, fabularum numerus: ſed & minor forte, quam alii præcipiunt. Fallor, aut immota adhuc durant, quæ loco movere decebat: exturbata ſunt, quæ intacta dimittere, ſatius fuiſſet. Odi ſuperſtitioſum illud genus, quod, quæ ab Evandri matre accepit, oraculorum inſtar veneratur. Plurima patres noſtri crediderunt, quæ in lucubrationibus anicularum numero. Sed & illi mihi moleſti ſunt, quibus nihil paullo antiquius ſine ſuſpicionis nota prætermittitur. Nimium ſane juris eſt, quod ſibi critici nonnulli arrogant. Fabulas perſequuntur, & veritati inſidias ſtruunt. Inſana quædam gloriæ cupiditas, magnum in tenui eruditione malum, nonnullos vexat. Cui ſe tum demum ſatisfacere putant, ſi, quod alii confirmandis, id ſubruendis hominum opinionibus tribuunt. Quaſi vero is hominis rite fungatur officio, qui alios non plus ſapientiæ, quam lapides, habere, demonſtrare ſtudet. Mihi ſi quæ judicandi eſt facultas, ſpe ſua viros hoſce excidere, cenſeo; ita ut nec gloriæ, cujus avidi ſunt, conſulant, nec voluptate, quam ſibi fingunt, fruantur. Gloria quid eſt? Vox omnium, aut plurimorum ſaltim ſuffragia. Igitur hac primi omnium illi carebunt, qui ſtupiditatis

tatis cunctos condemnant. Cui ægrius adsentimur, quam qui mentis nos expertes esse clamat? Ingenium hominis si qui sunt qui laudant, ipsum simul tacite reprehendunt. Quæ reprehensio longe verior ac justior illa commendatione. Vires etenim mentis nostræ qui prædicat, non nos, sed sortem, quæ nobis obtigit, commendat. Naturæ laus hæc est, non nostra. At qui illis nos abuti conqueritur, ulcera, quæ nostra sunt, tangit, ac in indignum beneficia collata esse, dolet. Quantum, quæso præconium! CAJUS dotibus sibi concessis pessime utitur. Nobilis illa anima in gurgustium quoddam conjecta est. Præterea dubium mihi semper visum fuit, an certior ad laudem atque gloriam via sit, firmis exitium minari, aut vacillantibus opem ferre? Gigantes ille imitatur, quos cœlum stultitia petivisse, in fabulis est. At hic Deos, quos deploratis succurrere rebus, vetus hominum opinio est.

Equidem, si in sapientem vana gloriæ cadere posset cupiditas, iis defendendis vacarem, quibus plurimi desunt, non iis accusandis, quibus omnium favet consensio. Nulla quoque est, qua se frui putant, voluptas. Uter infelicior, is, qui fabulis omnia esse repleta sibi persuadere laborat, aut is, qui permulta esse certa non dubitat? Est aliquid, in altum evolare & angustias, in quibus alii laborant, irridere. Sed in solo consistere tutius est. Lapsus

psus illi metuendus est, huic non facile. Insana profecto voluptas, semper aliquid, quod dubitandi locum aperiat, quærere, semper quocum confligas, investigare. Opificis ego quietem militis triumphis, rustici stivam nautæ malo prætulerim. Sapientiorem dixerim, qui, ubi pedem figat, dispicit, quam qui, ut nusquam quiescere possit, providet. Quæ delectatio, post longos errores, post diuturnas meditationes, id tandem consequi, ut semper fluctues? Taceo damna, taceo clades, quas & litteris & societati hominum istud genus infert. Taceo injurias majoribus, quos ad brutorum deprimunt conditionem, illatas. Magnum malum superstitio & credulitas: majus tamen quævis lacessendi temeritas. Levius peccat, qui minus certis fidem habet, quam is, qui certis fidem detrahit.

Intempestive forsitan, VIR AMPLISSIME, hæc TIBI philosophari videor. Ego vero, nisi animus fallit, non alieno prorsus loco collocata esse, existimo. Criticorum vitia hæ tangunt cogitationes. Cujus ergo tribunal potius, quam TUUM, accederent, qui unus omnium hujus scientiæ peritia excellis. Non ea sunt hæc nostra, ut TE accusent. Eum etenim parentem agnoscunt, qui in litterarum insigne decus TE natum esse persuasus est. Ea sunt, quæ TUI ope judicii explorare volunt, num prudentiorum

accu-

accusationes effugere possint. Sententiam non in TE ferunt, sed TUAM exspectant. Judicem TE colunt, non reum denuntiant. *Fabulæ* deinde vox, qua TIBI uti placuit, ea tantum peperit, non ipsum TUUM institutum in rerum inquirendi veritatem. In quod si iniquus essem, ultimus merito hominum dicerer. Neque etiam ipsius rei, quam TU falsitatis condemnasti, patrocinium ex omni parte suscipio. Tacuissem, si dubiis obnoxiam non minimis pronuntiasses. Id, quod in fabulis eam numeras, animo meo nonnihil negotii exhibuit, & hæc levia extorsit. Libere sentire cœpi, mentemque meam de quibusdam Criticis TIBI exponere. Pergam pace TUA, VENERANDE VIR, quo, num in errore sim, citius intelligam. Nihil offensæ, nihil gratiæ dabitur. Arbitri partes TUAE sint. Ego sententiam dico, non decreta condo.

Prudentia, opinor, & modestia rei Criticæ salus continetur, cum omnis, tum ejus, quam Historicam vocare soleo. (*a*) Minus commode ea apud nonnullos audit. Mirantur id multi, quibus artis patet præstantia. Non ego, qui in hominum mores intueor. Imprudentia pars longe maxima Criticorum labo-



(*a*) Vid. Oratio nostra: *de eo quod nimium in studiis Critices* qua fusius, omnem Criticam in Historicam, Grammaticam & Philosophicam dispertiendam esse, docui.

laborat. Hac ſublata, convitia quoque ceſſabunt. (*b*) Nullus vero locus eſt, quo utilior ſit prudentia, quam eo, quo de negotiis agitur, quibus conſtans patrocinatur fama, aut quæ nimia vetuſtas tenebris involvit. Illis quidem quo major hominum numerus favet, eo cautius procedendum, antequam ad fabulas ablegemus. His ipſa, qua teguntur, obſcuritas præſidio eſt, ut nil difficilius ſit, quam falſitatem oſtendere. Diſputari multa poſſunt: ſed & multa refelli. Facile colligas, quæ noceant: facilius forte alius conquiret, quæ proſint. Vaſtior eſt ille vetuſtatis ultimæ Oceanus, quam ut mente tam anguſta comprehendi poſſit. Quid igitur? Medium tenendum. Multis nox illa conjecturis auxilio eſt, ſed & multa gignit vitia. Stulta vox eſt, ſine mora dicere: Hoc dubio caret. Sed periculoſa quoque, continuo ſic decernere: Hoc mendacium eſt. Extrema duo ſunt vocabula illa: Hiſtoria & fabula, veritas & falſitas. Alterum ut dominetur, neceſſe eſt. Utrumque vero non ſine longa deliberatione admittendum. Neutrum prudens interdum admittit. Multa, immo plura forte ſunt, quam plerique putant,

(*b*) Vid. Animadv. noſtrarum Hiſtor. Sacr. Lib. I. c. VII. quod eſt de *prudentia Critica*. Utrumque & oratio & Animadverſiones Amſtelodamenſibus jam formis deſcribuntur, ſumtus præbente honeſtiſſimo Viro, G. ONDER DE LINDE.

tant, quibus formula illa: NON LIQUET, adhibenda est. In perplexioribus negotiis ipsi a sententia dicenda Areopagitæ abstinebant. Quod illis vitio non fuit, cum de aquæductu fortassis, aut communi pariete vicini cum vicino lis esset, cur nobis circa majora sæpe occupatis non laudi sit?

Sed dira quædam in abstrusiora penetrandi libido animos nostros vexat. Fluctibus jactamur, & in portu quiescere videri volumus. Non sufficit, in vestibulo hærere, initiatorum nomen cupimus. Quapropter ad sententiam ferendam non accedimus, sed festinamus. Hæc ipsa comprimenda est cupiditas, ne in avia præcipites feramur & quærendo veritatem amittamus. Multum habent tenebrarum facta illa, quæ hero icis cognata sunt temporibus. Sed & nescio quo lumine gaudent, cui refragari non omnium est. Oculos nostros & implent quasi & effugiunt. Dubiorum mater est vetustas, sed & venerationis. Ipsa illa, qua se præbet vestitam, simplicitas oppositos sibi motus excitat. His suspicandi præbet occasionem: illos in admirationem rapit. Testes pauci adsunt. At perpetua his auxilio est traditio. Quo me vertam, numquam deerit, quod aut suadeat, aut dissuadeat. Ex his tricis infeliciter quamplurimi sese expediunt. Pro varietate ingeniorum hic quæ speciem præ se quamdam ferunt, ille quibus quædam in-

est suspicandi materia, seligit. Vituperanda hic laudandis, laudanda ille vituperandis præfert. Hinc innumeræ dissensiones oriuntur, Hinc duæ quasi sectæ & sibi ipsis & litterarum studiis nimis molestæ. Altera Historias, fabulas altera crepat. Illa nihil, hæc omnia negat. Utraque, si rem recte putes, & quo se tueatur habet, & quod metuat. Neutra vero aut veritati aut scientiis magnopere consulit. Non mirum interea, utrosque sic caussam suam ornare, ut superior videatur. Nullum, opinor, factum est, cujus aut ex natura, aut ex testibus non aliquid, de quo litigetur, peti possit. Quanto magis hæ, quas dico, narrationes semper aliquid quod ab utraque parte aut minuas aut augeas, suppeditabunt. Ingenii res est, de obscuris rebus sic disceptare, ut veritatis colorem nanciscantur. Eloquentiæ quædam vis si accedat, ex Thersite ipso Adonis fiet. Duobus hisce qui superior, pugna quoque superior erit: donec qui & hunc superet alius reperiatur.

Ego vero, VIR AMPLISSIME, longe a considerati viri officio remotum arbitror, aut his aut illis adsuescere. Aliquam quidem voluptatem, sed longe majus tædium concipio, quoties hæc mihi certamina ob oculos pono. Illam, quod non penitus exspirasse intelligam, quibus ingenii quædam concessa est fœcunditas. Hoc quod non indoctos homines maximo conatu nihil agere videam. Dispeream,

am, ſi quid multi ſcientiam vocent, percipiam. Vera rerum amiſſa ſunt vocabula & ſuſpicionum quædam congeries hoc nomine ſæpe venit. Nihil equidem me ſcire profiteor, niſi quod evidentiſſimum ſit. Alii quo longinquius rationes petendæ ſunt, eo melius ſe res intelligere cenſent. Eſt & hominum genus, quod ſe ſcire putat, ſi quid alii dixerint non ignoret. Nituntur nimirum hi ad eruditionem: enituntur illi. Hoc vero malum, quod omnes fere qui nituntur, eniſos ſe jam eſſe credant. Qui in itinere ſe adhuc verſari putet, nemo fere eſt. Qui Corinthum adiiſſe ſe perhibent, cuncti fere ſunt. O tempora! quibus id quod certum is ſe conſecutum eſſe gloriatur, qui in dubiis & incertis palpitat. Ego ſic ſtatuo: Diſcendum eſſe, quamdiu rationes indubitatæ ſuppetunt. Adſenſum vero cohibendum, ſi par adſit momentorum pondus, aut vetuſtas lumini noſtro officiat. Exploratis omnibus ſi quid eſt, quod me in diverſa rapiat, conſiſto. Lapſum etenim & adſenſus & diſſenſus minatur. Quem cum evitare ſapientis ſit, nec fabulam, nec Hiſtoriam voco. Quantum alii ſubtilitati, tantum ego rationi dare ſoleo. Si placeret, hanc aut illam ſententiam propugnare poſſem. Quanti enim negotii eſt, fumos imperitis vendere? At non placet, quoniam a candore alienum eſt. Ratio ſuadet, ut, ſi fieri poteſt, veri falſique limites conſtituamus.

Sed

Sed ut modum huic ſtudio adhibeamus, nec ultra, quam licet, progredi conemur, prudentia jubet. Non iis invideo, qui ut nihil ignorent, ſummopere contendunt. Viciſſim nec mihi quis invidebit, ſi interea, quo diſcam, plurima me neſcire, laboravero. Hoc tamen mihi certum, nihilo me ſapientiores eſſe, qui omnia ſibi pervia eſſe audacter perhibent. Utrique ignorantia laboramus. Hoc intereſt, ut illi diffiteantur, ego fatear. Quis vero ægrotantium prudentior? Is qui bene ſibi eſſe vociferatur, cum lectus, color, Medicus, pyxides contrarium doceant? An vero is, qui remediorum corpus indigere non negat, cum teſtimonia morbi adſint?

Hanc utinam prudentiam ii ſibi vindicarent, qui in illuſtranda rerum Chriſtianarum Hiſtoria verſantur? utinam tandem, quantum ſit, quod in illa neſcimus, cognoſceremus? Quot extinguerentur hoc pacto tædioſiſſimæ diſputationes? Quot incredulorum obſtruerentur perfugia, qui & ſuperſtitionem & audaciam in rem ſuam convertunt? Quantis denique, in quibus miſere hæremus, anguſtiis liberaremur? Spiſſa eſt caligo, quæ ultima rerum ſacrarum tempora circumfudit. Loca numini vicina luci viciniora eſſe, antiquitas credidit. Hic ſecus eſt. Quo viciniora Servatori tempora, eo minori lumine radiant. Pauca ſunt, quæ ex iſto ævo aliorum nobis conſervavit induſtria: pauciora quibus

nihil

nihil roboris at perſpicuitatis ad perſuadendum deeſt. Quæ certa ſunt in dubium revocare, deſipientis eſt. Obſcuriora curioſius rimari, aut otioſi, aut improvidi: in falſitatis ſuſpicionem adducere, non niſi temerarii. Relinquantur in medio, ne ſi fictiones augeamus, perfidiæ quorumdam, ſi quævis amplectamur, ſuperſtitioni aliorum ſuccurramus.

LICINIO MAXIMINUM debellanti genium quemdam conceptas preces in ſomniis dictitaſſe, quibus milites ad placandum Deum uterentur, LACTANTIUS auctor eſt. (*) Res admiratione, ſed & dubitatione digna! Adſenſum eventus, numinisque ſæpe tum ſpectata providentia flagitare videtur. Scrupulos ipſius negotii indoles, teſtis, imperatorum quorumdam aſtutia, injiciunt. Credam? At vanæ fidei reus ero, hominisque forte facinus, qui, quod olim SERTORIUS, *ſomnium ſimulaverit*, *falſasque religiones contulerit* (**) divinæ providentiæ tribuero. Negem? At ne impietatis nota me contaminem, nonnullisque noceam, metuo. Quid ergo? Alius ſentiat, non ego. Similis certe plurimorum ratio eſt, in quibus viri docti ſeſe exercent. Quot lites, quot diſcordiæ de rebus primis illis temporibus geſtis excitatæ ſunt, & excitantur? Sed pugnas video, non tri-

(*) De mortib. perſec. c. XLVI. p. m. 1122.
(**) Vid. *Gellius* Noct. Att. L. XV. c. XXII. p. 497.

triumphos. Laudat ille patres: hic vituperat. Uterque sane potest. Sanctitas quorumdam, cruenta, quam oppetierunt, mors, temporum, quæ describunt, notitia amplam panegyrico materiam præbent. Linguarum ignorantia, mentis stupor, sancta illa simplicitas totidem reprehensioni locos suppeditant. Illis commodissime utetur, qui fidem eorum sartam cupit. Has adhibebit, qui facta, quæ narrant, vera esse negat. Anceps certe pugna! ex qua is plerumque superior evadit, qui aut in genio, aut orationis copia abundantior est. Nescit is, quod alius refert. Nova disceptandi occasio? Tenue illi sit acumen, qui non aut loquacitatem illius, aut silentium hujus ad veritatem aut falsitatem adstruendam adcommodare possit. Negant quidam patrum, quod alii adfirmant. Quanta litigandi materia? Comparationes si instituendæ sunt, nullus tam jejunus, qui non habeat, quo alterum superet; nullus tam sapiens, de cujus laude non aliquid detrahi possit. Ingeniis frena laxentur & disputandi finis non erit. Hunc antiquitas, illum eruditio, hunc locus, ubi vixit, illum sagacitas, hunc fortuna, qua usus, illum mores commendant. Quot virtutes aut vitia, tot credendi, tot dubitandi pondera. Ipsa facta interdum in easdem salebras nos detrudunt. Temporum conditio pariter mox quod evehamus, mox quod contemnamus suppeditat.

tat. Quis vero tam rerum ignarus, ut in tot ac tantis difficultatibus ſemper verum inveniri poſſe ſomniet ? Diſputant nihilo minus viri docti, ac ſecreta ultimorum temporum eruere aliisque noſcenda prodere conantur ? De SIMONE MAGO quot ſententiæ ? At quæ certior ; Nulla credo. Ipſe aliquando hominem ab APOLLONIO TYANAEO non differre credidi. Non multum hodie conjecturæ illi tribuo. Sed habet tamen, quo, ſi velim, & illam defendere queam. De GNOSTICIS quot dubia ? de geſtis legatorum Chriſti quot opiniones ? de propagatione doctrinæ Chriſtianæ, quot ſenſus ? de PETRI in urbem adventu ? De mortis genere, quo hic aut ille obiit ? de fatis cœtus Hieroſolymitani ? quam anxie, quam ſubtiliter quæſitum eſt ? Nec quærendi modus umquam erit, quam diu quod certum eſt nos conſequi poſſe opinamur ? Unus mihi inter turbida hæcce portus eſt : NON LIQUET. Satius puto inter iſta rudera non quid factum, ſed quid nobis faciendum exquirere. Hoc dubio vacuum : illud fluctuantis ingenii arbitrio commiſſum. Evidentiora, fateor, non pauca poſſunt induſtria noſtra fieri. Qui de rebus hiſce conſultant, ſi odio ſemper & amore vacui eſſent, certiora videremus. Idem tamen in permultis omnem conatum fruſtraneum eſſe, certus ſum. Cur ergo tantum nobis exhibemus negotiorum ? Cur non

potius

potius acie nos nonnumquam deſtitui fatemur ? Miſeros nos ! Fuci potius, quam famæ ſtudioſi ſumus. Dum inter mille deſudamus anfractus, dum inter ſententiarum nutamus divortia, dum divinationum acervos conſtruimus, dum obſcuriſſimos perſequimur homines, tum in fugientium rerum veſtigia ferimur, dum hic negat, ille adfirmat, uterque ſine ratione, id quod certum eſt amittitur, ſenectus nos a tergo premit, mors tandem annos inter vana ſtudia conſumtos objicit. Laudabile ſtudium eſt vera a falſis diſcernendi : ſed non minus egregium, ab incertis certa ſeparandi. In hoc elaboremus, & facilius in illo verſabimur. Hanc ego mihi metam, cum de EBIONE nuper diſſerendum eſſet, propoſui. (*) Noſti quantis animorum motibus tum defenſus, tum rejectus ſit homo. Cauſſa cognita neminem, qui omnia ſuſtulerit dubia, reperi. Miro tamen conſenſu quæ adverſus eum dicta ſunt hodie recipi videbam. Deploratam igitur hominis cauſſam ſuſcepi; non tam ut extitiſſe eum, demonſtrarem, quam ut qui extitiſſe negant nihil demonſtraſſe oſtenderem. Dubium omnino eſt negotium. Qui exilii virum condemnat, quo me penitus convincat, nihil adfert. Qui retinendum jubet, cui opponi quædam poſſint,

(*) Vid. vindiciæ noſtræ adverſus TOLANDI Nazarenum Sect. I. c. VI. p. 118. ſ.

sint, adhibet. Reliquum est, ut quid sentiendum sit, nos ignorare fateamur.

Perspicis jam, VIR AMPLISSIME, quo tendam, quidve meum de JOANNIS ex oleo ferventi liberatione judicium sit. In illis hanc narrationem habeo, quarum nec veritas, nec falsitas manifesto patet. Historiam plurimi dicunt. TU fabulam. Ego neutrum. Invenirem, si ingenio vellem abuti, quibus, ut verisimillima vidéretur, efficerem. Neque TIBI, quæ meis opponeres, ex Getulis aut Thracibus petenda essent, sed domi nascerentur. At enim quod certaminis nostri emolumentum foret? Tutissimum est, ut nec destruatur, nec adstruatur. Mihi jam, ne frustra hoc dixisse videar, incumbet, ut quæ adversus eam protulisti, non ea esse, quæ in fabularum numerum eam detrudant, evincam. Pace TUA quin id fiat, nullus dubito.

Generatim nihil fabulam dici posse sentio, cujus non natura ipsa cum veritate pugnet, aut cujus testes non inepti sunt. Si quid ab humana fide alienum occurrit, nil me prohibet, quo minus irridendum putem. Circa testes cautius instituendum. Aequales si non compareant testes, præsertim qui de iisdem rebus commentati sunt, sed homines ætate longe inferiores, magnum fabulæ indicium. Antiqui satis si adsint, sed nugatores, dubia res est, nondum fabula. Non omnia

Cretes fingunt. Teſtes ſi rogari poſſunt vetuſti quidem, ſed ſtolidi, hisque alii graviores repugnant, ad nugas ableganda eſt narratio. Alia quæ moneri poterant prætereo, quoniam ad negotium noſtrum non adeo pertinent. In quo quidem prima omnino deeſt nota. Nihil enim in eo latere, quod temporum illorum ſit alienum, aut incredibile, ipſemet, puto, concedis. Ad teſtes ergo res tota redit. Aequales non produci poſſunt. At in Hiſtoria ſacra æqualium loco illi ſunt, qui antiquiſſimi. Scriptis etenim non nimium dabant operæ priſci CHRISTI ſectatores. Diſpiciamus itaque, quid rei ſit?

TU, VIR VENERANDE, ſic concludis: Fabula eſt, quæ de JOANNE feruntur in oleum conjecto. Nam unicus qui id tradidit, TERTULLIANUS eſt. Operæ pretium eſt, verba viri, ne lectoribus quærenda ſint, adſcribere: (*) *Habes Romam*, ait patrum acutiſſimus, *unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Felix eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes poſteaquam in oleum igneum immerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* Hoc teſtimonium illud eſt, cui omnia inniti, quodve ſimul indignum eſſe fide, exiſtimas. Primo qui-

(*) Libro de præſcriptionibus c. XIV, Opp. p. m. 109.

quidem loco id monere posſem, non adeo controverſia carere, hoc teſtimonio omnem rei veritatem contineri. Ipſemet longam eorum ſeriem ſiſtis, qui eamdem retulere narrationem. Quos dum omnes ſua TERTULLIANO aut HIERONYMO debere putas, id TIBI ſumis, quod fortaſſis non omnes largientur. Sane præter illius auctoritatem conſtans quædam & vetus extitiſſe videtur traditio ejus rei, cum & nugaciſſimi mortalium, fæx ſcriptorum, quos recenſes, eam non neſciverint. Præterea eſt HIERONYMI locus, quo ad plures libros, aut ad hominum certe opinionem provocat Hiſtoriam hanc recitando. *Quæritur*, inquit (*) *quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet & Joannes biberint; cum ſcriptura narret, Jacobum tantum Apoſtolum ab Herode capite truncatum; Johannes autem propria morte vitam finierit. Sed ſi legamus ECCLESIASTICAS HISTORIAS*, (vide teſtes alios, quam TERTULLIANUM) *in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſerit - - videbimus martyrio animum non defuiſſe.* Excipies forſitan, ex alio HIERONYMI loco, quo TERTULLIANI meminit, patere, hunc unice hic intelligendum eſſe. At non deerit, qui reſpondeat, ipſa verba viri obſtare, quo minus unus tantum indicatus putetur; Addet, fruſtra hoc dici, quod probationis expers ſit.

Temporum fortaſſis ordines etiam explicabit, Commentariosque ad Matthæum HIERONYMI poſt *in Jovinianum Libros* litteris mandatos eſſe, contendet. Quod ſi certum ſit, quis ab eo tempore, quo JOVINIANUM refellebat, non plures innotuiſſe hujus rei teſtes HIERONYMO, defendere poterit? Denique, cum multi veterum libri deperditis hodie connumerentur, difficile dictu eſt, nullum præter TERTULLIANUM talia ſcripſiſſe? Eorum quos habemus teſtis unicus ſi hic dici poteſt, non tamen omnium, qui fuerunt, ſolus vocabitur.

Hæc, inquam, VIR AMPLISSIME, moneri poterant; a me non monebuntur. Valeant vitilitigationes: agnoſcam TECUM, TERTULLIANUM Atlantem illum eſſe, cujus humeris onus hoc incumbat unice. TU viciſſim mecum agnoſces, ſi aliæ non darentur ambigendi cauſſæ, & antiquum, & idoneum ſatis teſtem eum futurum eſſe. TUAM etenim haud arbitror hanc concluſionem eſſe: Quod unus tantum, qualiscumque ſit, memoriæ prodidit, id fabuloſum eſt. Eſt, ubi mille graculis unus præferendus eſt ſapiens. Eſt, ubi verba unius multorum ſuperant ſilentium. Quid itaque ſic ejus enervet teſtimonium, ut velut mendacii plenum repudiandum ſit, inquirendum jam eſt.

Duo ſunt, quæ TIBI rem perficere videntur. Levitas TERTULLIANI, ad quævis cre-

credenda proni, & aliorum de hac re ſilentium. Utrumque non contemnendum: neutrum, ſi quid judico, tanti, ut in fabulis hanc narrationem habendam eſſe, demonſtret. De primo quidem multa poterant moveri. Fuerit ad credendum nonnumquam facilis: ſed & erat interdum paullo difficilior. Nec exempla, ſi id probare conſtituiſſem, diu quærerem. Idem gravis vir, acutus, diſertus, Latinorum patrum facile ingenioſiſſimus. Virtutes dico, quæ, ſi nihil aliud efficiunt, dubitationem ſaltim concitant, num ſine examine ſemper aures præbuerit. BARONIUS, quem levitatis ejus teſtem rogas, ipſe nimium habet, quod emendet, & præterea non omnem ejus fidem ſollicitat. Viſionibus quibusvis nimium ab eo tributum eſſe, conqueritur, idque, ut Romanos purget, in lapſus ejus præcipuis fuiſſe cauſis, opinatur. *Acceſſit*, ait (*) *ad faciliorem hominis lapſum, quod ipſe licet durus in diſciplina, in credendo tamen magna erat animi facilitate præditus: adeo ut quæcumque muliercula ſe aliquid ſecundum viſum accepiſſe diceret, mox tantam illi præſtaret fidem, ut - - omnem illi poſthaberet doctrinarum veritatem.* Hæc a noſtris paullum diſtare rationibus, facile perſpicis. Si non diſtarent, nihil tamen efficerent. Sexcentos ſi quis



(*) Annal. Eccl. Tom. II. ad A. ccl. n. XIII. p. m. 302.

contra TERTULLIANUM teſtes excitat: mihi mille pro eo producere, non grave ac arduum erit. Dubia itaque jam res eſt. Fuerit interdum levis: erat alio tempore prudentior. Credulus erat, ſed & veterum fabularum & Hiſtoriarum diligens explorator. Quæritur, hac in re num virtutibus, aut vitiis ſuis obtemperaverit. Quod cum nullo pacto explicari queat, fabulam ab eo recitari, nondum probatum eſt. Propius adhuc & liberalius pugnabo. Fatebor imprudentiſſimum fuiſſe mortalium, omnia vetularum commenta probaſſe, nihil rationi dediſſe. Neque ſic tamen hæc narratio cadet. Non eſt in homine, quod fabuloſum factum quoddam reddit, ſed in ipſo facto. Quæ vulgo feruntur, non omnia conficta ſunt. Is igitur qui cuncta credit, non fictionibus tantum, ſed & Hiſtoriis fidem habet. Iniqua eſt concluſio: Levis hic homo eſt: Ergo mendacia ſunt omnia, quæ narrat. Non confeſtim probat, quæ THRASYLLUS refert, vir ſapiens: ſed nec tamen continuo abjicit. Quapropter habeat ſummum inter vanos homines locum TERTULLIANUS, nondum tamen inter mendaces eumdem gradum occupat. Qualiscumque fuerit, nihil noſtra refert. Olitor opportuna interdum loquitur. De narrationis veritate & falſitate quæſtio eſt. A qua tamen omnis illa diſputatio de natura & vitiis hominum remota eſt.

Pri-

Primo itaque argumento missso, quod, ut arbitror, ad rem nihil facit, omnis in secundum impetus erit convertendus. Id etenim ipsam rem talem esse demonstrare conatur, quæ in Historiarum numerum admitti nequeat. Quam bene, jam apertum erit. Summa ejus hæc est: Silent IRENAEUS, EUSEBIUS, HIERONYMUS, HIPPOLYTUS, ORIGENES, & straminei quidam scriptores de hac re, quam TERTULLIANUS memorat. Igitur fabula est. Negativi, ut vocare solent, argumenti speciem video. Dudum, VIR AMPLISSIME, est, ex quo in recepto hujus argumentandi generis usu plurima desidero. Nostri, qui Pontificios impugnarunt, usi eo præcipue sunt: non omnes æque feliciter. Quæ JO. LAUNOJUS hanc in rem scripsit, non omnia probo. Vir erat non magni acuminis, sed magnæ industriæ. Neque etiam quæ JO. BAPT. THIERSIUS contra eum disputavit, omnia placent. Raro, si res quædam in controversiam abit, momenta ejus sine animi commotionibus ponderantur. Sed omnia hic discutere, nimis longum foret. Sufficit dixisse, magna opus esse cautione, antequam ope illius fabulas locupletemus. Vis ejus sæpe numero ad dubitandum tantum valet, non ad decidendum. Qui fortissime illud ursere, nihil mihi quidem, nisi illud: NON LIQUET, extorsere. Si æquales, qui fuse de re quadam exposuere, illud nesciant,

quod longe recentiores tradunt, fabula dici poteſt. At hic longe alia ratio obtinet. Antiquitate omnibus, qui tacent, aut par, aut ſuperior TERTULLIANUS eſt. Non ex inſtituto & conſilio quodam de JOANNIS vita expoſuere, qui hoc prætereunt, de quo agimus. Tandem nugatores ex parte ſunt. Quæ hic virtus hujus argumenti eſſe poteſt? Diſtincte dicam.

Generatim duo adnotabo, quorum neutrum, niſi fallor, a TE, VENERANDE VIR, repudiabitur. Primum hoc eſt: Quamdiu aliæ rationes ſilentii recentiorum quorumdam adferri poſſunt, quam perſuaſio de falſitate rei, quam prætermittunt, negantis hujus argumenti vis dubitandi tantum locum ſuppeditat. Ratio aperta eſt. Effectus interdum conſpicitur, cauſæ latent. Unius vero effectus plures poſſunt eſſe cauſæ. Poſſunt & diverſæ cauſæ eumdem producere effectum. Res ex Phyſicis & moralibus notiſſima. Quapropter, cum occultæ ſint cauſſæ, prudens quænam alteri præferenda, nec decernit, nec decernere poteſt. Probabilior hæc illa videri poteſt; ſed ad pronuntiandum illud non ſufficit. Et, quæſo, ubi facilius fallimur, quam in probabilioribus diſcernendis? Philoſophi hanc partem artis ratiocinandi nondum expolitam eſſe dolent. (*) Ego vero

(*) Vid. Ill. LEIBNITIUS Diſcours de la conformité de la foy avec la raiſon §. 28. p.m. 38.

vero ſapere eos exiſtimo, qui in lubrico hoc-ce ſtadio multum decurrere nolunt. Ardua profecto res, regulas conſtituere, ubi rerum varietas poſt infinitas diſcuſſiones leges certas reſpuit, ubi ſine longa experientia ratio ſola nihil proficit, ubi denique neſcio quis ſenſus ex intimis noſtris receſſibus ortus hunc ſæpe illuc, alium iſtuc rapit. Alterum quod noto hoc ſit : Ipſum eorum ſilentium, qui inferiores ætate aliis ſunt teſtibus, indicium eſt, alias ſubeſſe tacendi cauſſas, quam perſpecta rei falſitas. Eſt, quod omnes ſcimus, veritatis amor animis noſtris inſitus, qui tum omnium facillime ſeſe exſerit, cum alios in errore verſari cernimus. Libenter caſtigamus, quod caſtigatione dignum in aliis animadvertimus. Proclivis hinc concluſio : Si is qui poſterior eſt aliis antiquiores plane intactas dimittit narrationes, illum aut iſtum ignoraſſe, aut ejus, quæ legerat, oblitum fuiſſe, aut ſaltim, num error ſit, addubitaſſe. Admodum enim probabile eſt, ſublaturum eum fuiſſe vitium, ne alios ad peccandum traheret, ſi vitium credidiſſet. Alia adhuc poſſem adjungere : ſed non neceſſarium eſt.

Nihil ego, VIR AMPLISSIME, in his video, quod non facile admiſſurus ſis Ad quæ tamen ſi argumentum illud, quod adhibuiſti, exigamus, valde pretium illius minui certum eſt. Ab ultimo exordiar, quod manifeſto virtutem ejus evertit. Omnes illi, quos nominas

ignorare videntur quod TERTULLIANUS tradit. Verum omnes illi etiam, quod is prodidit, ne vocula quidem reprehendunt. Silentium ergo ipsum non tam causſæ TUAE, quam meæ favet. Tacent ii, qui non tacuiſſent, ſi fabulam exiſtimaſſent. Quare ipſa hæc taciturnitas fictionis culpa rem liberat. Probabile tantum hoc eſſe dices. Fateor, ſed addo primum, maxime probabile. Deinde vel leviſſimam aliter ſuſpicandi cauſſam decreto judicis obſiſtere noſti. Quanto magis hæc ratio? Denique præter id quod probabile eſt nihil quæritur. Patet jam, prius illud, quod animadverti, hic quam maxime valere. Suſpicio jam adeſt, longe aliam fuiſſe ſilentii ipſorum cauſſam, quam de falſitate rei perſuaſionem. Quæ hæc fuerit, non diſputo. Nihil porro requiritur. Sed percurramus tamen tacitos TUOS teſtes.

Ante omnia numerum eorum diminuere mihi licebit. HIERONYMUM ſtatim eximo. Ipſemet agnoſcis, duobus locis hujus rei virum mentionem facere. Quod putas, cum in *ſcriptorum eccleſiaſt.* catalogo ſileat, id argumento eſſe, negaſſe eum hujus Hiſtoriolæ veritatem, nihil eſt. Ex iis, quæ jam obſervavi, conjectura hæcce refellitur. Erat locus hanc rem narrandi: ſed & locus erat eam, ſi minus vera eſſet, confutandi. Temporum ſi rationes conſulimus, eodem anno CCCXCII. *Scriptorum catalogus & adverſus Jo-*

*Jovinianum* libri compositi sunt. *Commentarii in Matthæum*, nisi memoria hodie me fallit, ætate adhuc illis cedunt. Novum ex hac observatione contra TUAM sententiam telum nascitur. Præterea, si rem recte putemus, HIERONYMI unius hanc narrationem probantis auctoritas major est decem aliis, de quibus num probaverint, aut improbaverint non constat. Quin, ut id extra ordinem hic adjiciam, si Philosophorum more mentem a personis abstrahamus, solus TERTULLIANUS, qui loquitur, potior erit omnibus silentibus. Jam in orbitam redeo. Abeant quoque ex eorum, quos laudas, numero inepti illi fabulatores, HIPPOLYTUS, DOROTHEUS, ISIDORUS, & si qui sunt alii. Tot eis ejusdem notæ simias opponere possem, qui rem commemorant, quibuscum æternum digladiarentur. Nolo vero, ne citra necessitatem rem extraham. Ut contemnuntur, quando aliquid tradunt; sic spernantur quoque, cum nihil habent. Restant IRENAEUS, EUSEBIUS, ORIGENES, HIPPOLYTUS. Quamquam & ultimus mihi sordet. Nimis manifestæ sunt maculæ, quas recentioris Græculi cujusdam solertia *Libro* illi de *Anti-Christo* adsperserit, quam ut totus verus & integer haberi queat. Sed maneat interea loco suo, qui concessus ipsi est. In his omnibus præter ea, quæ jam observavi, id notari velim, nullum vitam & res gestas JOANNIS

ex

ex instituto conscripsisse, sed aliud quasi agendo ejus meminisse. Hæc vero commentandi ratio plurima præterit, quæ idcirco tamen non falsa sunt. Adjungo hoc, cum plurimi librorum, quos exararunt, injuria temporum deleverit, nulli posse constare, annon in aliis, quos desideramus, operibus rem prodiderint. Abest in iis, quos habemus. Quocirca & non extitit in deperditis? Imbecillis ratiocinatio! Neque hoc prætereundum, quosdam ex illis hoc aut illud omisisse, quod firmum esse aliorum novimus beneficio. Exempla TIBI, VIR VENERANDE, sine negotio occurrent. Ultimo, cum aliorum plenior sit notitia, aliorum macilentior, tum cum sua consignarent, quod TERTULLIANO compertum erat, nescire potuerunt. IRENAEUS speciatim sectas convellit. Ab hoc quis postulat, ut sine caussa testium fata enumeret? Omnibus locis, quibus JOANNIS mentionem facit, nulla ipsi fuit occasio hanc ejus ex oleo liberationem prædicandi. Recitasset fortassis eam, si res postulasset. Et quid? Nonne & is ipse IRENAEUS exilium JOANNIS prætermittit? Num propterea dubitandum de eo erit? Non puto. Periere præter alia multa, quæ HIERONYMUS & operose DODWELLUS recensent, (a) διαλεξεις hujus viri. Quid si in illis, aut alio quodam volumine, quo caremus

(a) Diss. VI. in Irenæum Ven.

mus, opportuniori magis loco Hiſtoriam expoſuerit? Adfirmari poteſt, negari quoque. Sed fundamenta utrinq; dubia ſunt. EUSEBIUS quot prætermiſit, quæ nullus inficiatur? Qui penitius virum novit, numquam propterea in ejus Hiſtoria TERTULLIANI narrationem fruſtra quæri ſentiet, quod examini eam ſubjecerit. Non is erat vir bonus, qui aliorum dicta ponderabat. Conſarcinabat quæ poterat, judicio aliis relicto. Teſtes ſunt tot futiliſſimæ, quas habet, narrationes. Igitur, ſi quid ratio valet, non alia ſilentii ejus cauſſa fuit, quam quod TERTULLIANUM *de præſcriptionibus* aut non legerit, aut ob Latini ſermonis ignorantiam non legere potuerit. Sane ex Græcis quæ refert corradit: Latinos ne tangit quidem. Hinc & eorum, qui in Occidente florebant, cœtuum Hiſtoriam exhibere non potuit, ſed in Orientis rebus occupatus eſt. Alia quæ jam dixi & hic ex ſuperioribus repetenda ſunt. Paria de ORIGENE moneri poſſunt, quæ ſtudioſe mitto. Unum eſt, quod adjiciam. Græci ſunt omnes ORIGENES, EUSEBIUS, IRENAEUS, HIPPOLYTUS, qui hanc non recenſent Hiſtoriam. Expertes ſimul erant Latinarum literarum. Quid mirum, quæ a Latino aut pluribus commemorabantur ipſos fugiſſe? HIERONYMUS quia gnarus erat linguæ Latinæ, legerat & TERTULLIANUM, forte & alios qui hoc de JOANNE tradiderant. Quo-

circa

circa & in ejus & aliorum Latinorum scriptis extat, quod in Græcis non conspicitur. Novum argumentum, non fuisse Græci hujus silentii hanc caussam, quod rem non crediderint, maxime saltim, num fuerit, dubium esse.

Multa vides, VIR AMPLISSIME, quæ incertissimum esse demonstrant, num pro falso commento miraculum, cujus caussa agitur, qui illud non narrant, habuerint. Hoc in certissimo, num contigerit, aut falso contigisse traditum sit, itidem non liquet. Ex quo efficitur, nec tuto Historiam illud vocari posse, nec tuto fabulam. Sed nondum penitus solutus sum. Observator ille Hallensis, vir alioqui eruditus, cujus & TU suffragio inniteris, adhuc audiendus est. Fabulam & is hanc narrationem appellat. Quare vero? *Deus nullum apostolum vel doctorem priscæ ecclesiæ a supplicio jamjam subeundo miraculose liberasse in monumentis fide dignis legitur.* Singulare pugnae genus! Hoc pacto omnia, quæ semel tantum facta feruntur, irrita reddi possunt. Principium petit vir doctus, quod Philosophi dicunt. Falsum esse sibi sumit, quod TERTULLIANUS perhibet, quod num falsum sit, disquiritur. Non capio sane hæc consectaria: Non legitur apud alios. Igitur repudiandum est, quod in TERTULLIANO tamen legitur. Non factum fuisse legitur. Igitur non factum est. Orbem quemdam conspicio. Propositio hæc est: Nullum Deus

us miraculoſe a ſupplicio liberavit. Unde ſcis? Nusquam enim lego. At habet TERTULLIANUS. Mentitur. Quod indicium? Nam Deus nullum per miraculum liberavit. Ipſa, quæ probanda erat, propoſitio, ratio eſt, cur non neganda ſit. Neſcit gyros iſtiusmodi vera philoſophandi ratio, ad quos tamen, velut in Sirenios ſcopulos, nimis ſæpe etiam litteratorum principes feruntur. At quid de TE fiet, divine PETRE, qui cum neci jam vicinus eſſes, miraculo ex vinculis ducebaris? (*b*) Quid de TE, dive PAULE, qui cum tot in TE lapides convolarent, ut jam vita functum omnes crederent, inviolatus tamen in urbē revertebaris. (*c*) Scripſi, quæ ſcribere conſtitueram, VIR ERUDITISSIME. TUUM nunc eſt, ut quo ſucceſſu ſcripſerim, judices. Exiſtimo, ſatis evidenter me docuiſſe in fabulis non tam facile TERTULLIANI Hiſtoriolam cenſeri poſſe. Num præclarius, ut ſolemus, de meis ſentiam rationibus, ex TE diſcam. Sed habeo adhuc, quod abs TE petam, antequam ſcribendi finem facio. Video ex Diſſertatione TUA *de columba ex POLYCARPI rogo evolante*, (*d*) omnes IGNATII & POLYCARPI epiſtolas ſpurias & confictas eſſe, TE perſuaſiſſimum habere. At etiam POLYCARPI omnino a TE rejiciuntur.

(*b*) Act. XII. 4. ſ. (*c*) Act. XIV. 19, 20. Novi alias loci hujus interpretationes: ſed & nullas eſſe novi.

(*d*) Vid. hæc Biblioth. Tom. III. p. 429. 430.

tur. E re mea est, ut cognoscam, quibus rationibus in hanc inductus sis opinionem. Nuper cum adversus celeberrimum TOLANDUM antiquæ Christianorum disciplinæ vindicias conscriberem, etiam has in auxilium vocavi epistolas, magnamque demonstrationis partem ope earum contexui. Serio in falsitatem & veritatem earum inquirenti nihil tum occurrebat, quod me a proposito iis utendi dimoveret. PEARSONI potius, aliorumq; rationes invictas esse opinabar. Sed homines sumus, qui non raro fallimur. Facilius quidem quare aliquid falsum, quam quare verum cernimus; sed & interdum, cum res nostra agitur, nimis celeriter, quare aliquid verum sit, perspicimus. Quamobrem, VIR AMPLISSIME, si quid habes, quod auctoritatem harum epistolarum evertere possit, invidere nobis noli. Omnium interest, ut ex illis tandem fluctibus emergamus, quantive hae epistolæ habendæ sint, cognoscamus. Ego quidem, si rationes TUAS immotas esse conspexero, lætus mentem veterem exuam, omniaque quæ in vindiciis meis chartis illis innituntur, expungam. Permanebit veritas, etiamsi hæc cadant. Quod si vero labefactari eas posse post institutam deliberationem intellexero, adversarium me, sed modestum & pacificum, habebis. Hæc ipsa Bibliotheca palæstra est, in qua inspectantibus eruditis decertemus. Exiguum quidem est, quod mihi

fata

fata concedunt, otii. Sed quantillum sit, libenter huic impendetur tanti momenti negotio. Quare, si quid meae preces, si quid litterarum commoda si quid Historiæ sacræ dignitas apud TE potest, fac, ut nulla mora interposita, quæ accusationis TUAE contra IGNATIUM capita sint, sciamus. Divinatione non opus; est qui rerum æqui sunt existimatores, TE neminem libentius audient. Ita vale, VIR MAXIME VENERANDE, AMPLISSIMEQUE, litterasque, quod dudum tanta industria feciſti, ornare perge. Dab. ex museo. Kiliæ Holsat. Kal. Maji. MDCCXX.

IV.

Vita

# *THEODORI (a) FABRICII,*

## Theologiae Doctoris, & Superintendentis Anhaltini,

ab ipso a. 1565. ad filios suos conscripta,

nunc primum edita.



(a) *Si alios ex nostro metiri ingenio liceat, hanc Fabricianæ vitæ historiam ab ipsomet in usum Filiorum*

# THEODORUS FABRICIUS, D.

Brevis Vitæ meæ Hiſtoria, ſolis filiis meis relicta, nequaquam ut ulciſcantur, nam hoc divinitus prohibitum eſt, nec ego feci, ſed ut meam calamitatem divinaque auxilia ſciant, Deoque confidere diſcant, qui ſuos non deſerit.

INitium & curriculum vitæ meæ, Filii mei chariſſimi, ſatis humile & morbis, calamitatibus, periculis, perſecutionibus & paupertate plenum fuit, & adhuc eſt, niſi quod Deus mihi vos habenti victum mediocrem & domum dederit. Quare vi-

ſuorum conſignatam literis, adhuc ἀνέκδοτον benevolo Lectori, praecipue ſtatus eccleſiae & literarum, qualis circa tempora inſtauratae religionis fuit, curioſo, acceptam fore auguramur. Non confundendus ille eſt cum M. Theodoſio *Fabricio*, eccleſiae Brunopolitanae ad D. Martini miniſtro, de quo Cl. Rethmeieri hiſt. Brunſvic. P. IV. o. 1. videri poteſt. Vocatur alias à Sleidano & Hamelmanno Theodoricus, quod moneo ne duos inde Fabricios fabrices. Exhibemus autem illam integram, prout ex ejus manuſcripto communicata eſt nobiscum, niſi quod deinceps paucula omiſimus, quæ ad ejus ſolum familiam aut privatas cum nonnullis lites ſpectabant, quae ſcire, parum intereſſe alios judicabamus. T. d. H.

vitam meam hactenus magis oblivioni, quam memoriæ tradere cupivi. Cæterum, quia ex certis quibusdam indiciis ſingularem benevolentiam Dei erga me cognoſco, & vitæ meæ curſum ab ipſo tacite moderari video, de beato fine non dubitans, hanc vobis, Filii mei, brevem raptimque ſcriptam hiſtoriam vitæ meæ relinquo: ut patris veſtri humile genus, afflictiones, invocationes & ſubſecuta Dei auxilia videatis, Deumque timere, invocare, & in ipſo ſperare diſcatis.

Eſt itaque oppidum ſupra Iſulam fluvium non procul ab Embrica inferioreque Veſalia, inter Cliviæ, Geldriæ & Weſtphaliæ fines poſitum; ad Dominos de Battenburga pertinens, cui *Anholt* nomen eſt. In eo ego circiter annum reparatæ Salutis 1501. in eo noctis medio, quod inter purificationis Mariæ, ac divi Blaſii Feſtum diem incidere ſolet, in magno frigore natus ſum. Patri meo Tilemanno *Fabro*, Matri vero Johannæ *Weſſeli* nomen fuit, ambo quidem boni & coram Deo legitimi Conjuges, ſed humiles & pauperes;

Mater, poſtquam me edidit, in phthiſin morbum incidit, quo aliquot annis graviter laborans, paullatim imbecillior facta, & tandem a patre in magna paupertate invaleſcenteque morbo deſerta eſt. Pater proh dolor! ut vere ebrius & parum pius ſe poſtea alteri junxit fœminæ, ex qua aliquot procreavit filios & filias, cum quibus mihi parva conſue-

tudo fuit, quia matri ad finem vitæ ſuæ ſemper mordicus adhæſi. Mater autem in illa ſua paupertate, ægritudine ac deſertione, ad vitæ ſuæ terminum patienter perſeveravit ſanctiſimeque vixit; Quibus enim potuit ſe ac me laboribus aluit, ſæpius jejuniis, orationibus & vigiliis vacans, etiam corpus ſuum reſte ex pilis facta ſtrinxit & maceravit, quæ etiam in ipſius corpore putrefacta, & ſepulta eſt.

Memini me a matre aliquoties audiſſe, piam obſtetricem in mea nativitate dixiſſe, me aut in juvenili ætate in aquis periturum, aut magnum futurum, quod precor non in hoc, ſed in futuro Seculo fieri.

Mater, cum propter morbi incrementa amplius laborare non poſſet, ego ipſam & me primum quæſitis oſtiatim eleemoſynis, deinde eleemoſynis ac laboribus ſimul in opidulo Gendringa, non procul ab Anhalt ſito, annos pene octo ſuſtentavi. Et quanquam literas ab ineunte ætate ſemper amabam, tamen Deum præcari tunc auſus non fui, ut mihi earum cognitionem daret. Verum iſta adhuc puer in animo volui, ſæpeque a Deo precabar, quo mihi ſui cognitionem & eam gratiam daret, ut cum Sanctis martyribus pro ipſius gloria meum Sanguinem fundere morique liceret. Cum autem in dicto opidulo Schola non eſſet nec matrem in ſua ægritudine ac paupertate deſerere vellem, me jam an-

annos undecim natus ibi sutorino opificio tradidi, interdum meridianis horis panem pro matre & me emendicans. Cum ita in eo opificio annum & amplius versatus fuissem, majorem istius artis cognitionem quærens, opidulum Gendringam reliqui, & me ad vicinam Civitatem Embricam contuli, ac matrem paulo post eo mecum adduxi, ibique eam & me, ut antea, laboribus & quæsitis Eleemosynis non sine magna bonorum hominum admiratione ac subsidio satis facile sustentavi, lectum ejus matutinis, meridianis & vespertinis horis, cum ad operas irem atque redirem, sternens, eique decumbenti cibum cæteraque corporis necessaria porrigens. Et quanquam antea sæpe febri laboraveram ac in sinistro crure in imâ dorsi spinâ & in capite & circa umbilicum gravissimos diuturnosque Cruciatus, & quid dicam omnia pene morborum genera pertuleram, tamen Embricæ incredibilis ardor juncturas manuum ac pedum meorum invasit, qui me non solum a cœptis operibus satis invitum retraxit, verum etiam uno & amplius anno, tam in hyeme, quam in æstate, manus ac pedes interdum per integras dies & noctes in frigidissimis, iisque subinde recentibus aquis tenere coegit. Præterea Medici existimantes istius inauditi ardoris causas in meo esse Sanguine, corpus meum suis phlebotomiis pene exsangue & pluribus morbis obnoxium reddiderunt; Divino tamen beneficio contigit,

git, ut insolens ardor iste, interdum aliquot diebus aut noctibus paululum remitteret, sed statim, ubi hoc senseram, me ad institutum opificium consuetumque laborem recepi. Cæterum cum hoc aliquoties facerem, semper intentior calor manuum mearum ac pedum juncturas vexare cœpit, qui me rursus ad ocia in aquas revocavit. Cum itaque aliquoties meliuscule habens, ab aquis ad opera, & iterum æger factus, ab operibus, cum admiratione totius Civitatis, ad frigidas aquas redire cogerer, me multi prudentes piique homines Embricæ adhortati sunt, ut ab institutis laboribus ad tempus abstinerem, ac me alicui Scribæ committerem, qui vel tantum germanice legere scribereque doceret, se interim ægrotanti matri ac mihi victum pollicentes. Quibus tandem obtemperandum duxi, & animum manusque his literis adjeci. Verum ingenium ac manus jam ab aliquot annis laboribus adsueta ad dictas literas satis inepta fuere.

Post aliquot tamen meas & aliorum piorum hominum pro me ad DEUM fusas lacrymas, illæ ingenii mei tenebræ paulatim, singulari misericordia DEI, ita discussæ sunt, ut intra pauculas septimanas mediocriter simul germanice legere & scribere scirem. Hæc cum assecutus essem, meliusque in manibus ac pedibus haberem, valedictis his literis, ad consueta opera remeavi. Sed superius dictus

ctus dolor, & quidem acrior rediens, me ad solitas aquas revocavit, quo paulisper sedato, rursus ad opificium redii, sed redeunte, cruciantequè ardore, etiam ad meas aquas redire compulsus sum. Itaque ferventes meas manus ac pedes continuo in aquis tenens, tantum humorum per corpus contraxi, ut postea aliquot annis, cum calefierem, exudans aqua instar copiosi roris super tunicam meam jaceret, & passim per vestes fluerer. Quare tandem omnes pii & aliquot optimi Monachi, inter quos unus eminentioris Sanctimoniæ Vir fuit, nomine, Frater Henricus de *Sancten*, Franciscani ordinis Monachus, uno ore dicebant, se ex rerum mearum Statu nihil aliud colligere posse, quam quod Deus me singulari quodam modo ad perdiscendas literas vocaret; Ideoque eos suadere, ut relicto opificio, me ad latinarum literarum & artium Studia conferrem, se pro me ad Deum deprecaturos, ut ille meum Studium, licet satis tardum, pro sua bona Voluntate gubernaret, mihique pollicebantur, se curaturos, ut interim cum ægrotante matre apud pios vitæ subsidia haberem; quod & factum est. Igitur annos natus fere decem & septem, grandiusculusque factus, cum pio quodam homine Rectorem inclytæ Embricensis Scholæ accessi, subnixe precans, ut miserum vitæ meæ statum inspiceret, ac me, licet ἀδιμαθῆ in disciplinam suam susciperet, quod tandem

non sine admiratione fecit, me non, sicut jure potuit, inetr nullarios, sed in Septima Classe collocavit. Paulo post Sancta mea Genitrix, quam ego per datam DEI gratiam, semper amavi & pro virili colui, sæpius pro me ad Deum intercedens ac ex vivis discedens, me orphanum & semper miserum in hac lacrymarum valle reliquit; Et Embricæ juxta majorem porticum Templi Divæ Aldegundis ad dextrum latus, cum in Templum itur, cum sua pilosa reste, sepulta est.

Ejus Sancta anima jam cum divo Lazaro in sinu Dei gaudio perpetuo fruitur, ego miser adhuc inter stercora repo. Exequiis sanctæ Parenti meæ rite solutis, ego ad incepta Studia mea redii, eisque tanquam in proposita divinitus vocatione mordicus adhæsi & adhuc hæreo. Et singulari gratia Dei hominumque auxilio adjutus, diligentia frequentique precatione ad Deum adhibita, tantum brevi tempore effeci, ut elapsis quinque annis inter mille & quingentos Studiosos adolescentes & viros facile primus haberer, melius latine & carminice, quam germanice loquerer aut scriberem. Cumque jam mecum de suscipiendo monachatu aliquoties ageretur, Deumque semper orarem, ut meam consilii & rerum inopiam intuens, Studia conatusq; meos ad suam gloriam proveheret.

Dominus Oswaldus, Bergæ Comes, qui

non

non procul ab Embrica commoratur, quorundam Amicorum meorum monitis acquiescens, me gratia promovendi susceptum Studium Coloniam ad montanum Collegium misit. In quo Hospitium, Lectiones, quædam obsonia & quosdam panes tantum habebam. Verum cum hic mera Barbaries regnaret & honestiores literæ ac disciplinæ non tantum jacerent, sed etiam male audirent, nondum expleto ibidem anno cum dimidio relicta Colonia Wittebergam veni. Natus igitur annos circiter viginti duos, anno reparatæ Salutis millesimo, quingentesimo vicesimo secundo honestiora Studia quærens Wittebergam appuli, ubi Martinum Lutherum, veritatis Doctorem singulis operosis diebus semel, festivis diebus bis germanice coram populo, in Scholis autem & domi singulis pene diebus latino sermone Docentem inveni, quos autem libros & latino & germanico sermone conscriptos eo tempore ediderit, jam inter ejus opera cernitur.

Persecutionum, turbarum, hæresium & negotiorum contra repullulascens Evangelium tum non erat modus nec numerus. Ipse tamen D. Lutherus, his malis non cedens, velut Leo in propagatione concrediti Evangelii immotus permansit. Philippus singulis diebus aliquot horis literas, cum græcas, tum etiam latinas, frequenter etiam sacras & Dialecticam docuit, sicut juvante Deo adhuc facit.

Alii ibi tunc alia legerunt. Paulo post Dominus Joh. Bugenhagius ex Pomerania accedens, sedulo Sacra profitebatur, tandem judicio omnium ejus Ecclesiæ Pastor vocatus est. Fuerunt eo tempore Wittebergæ propter ingentem persecutionem Studiosi pauci, & inter illos Theologiæ amatores paucissimi. Ego etiam qui tunc hujus Ecclesiæ Theologiam suspectam haberem, politioribus literis magis adhæsi. Cæterum cum exacto quasi dimidio anno, illic ex sinistro crure graviter laborassem, & in ea mirifico singularique Dei beneficio illæ innatæ Papatus tenebræ ex mentis meæ oculis paulatim excuterentur, & Evangelii lux mihi in dies clarior appareret, magna pœnitentia ductus me totis animi corporisque viribus ad Theologiæ hebraicæque Linguæ Studium contuli, priora Studia non relinquens.

Quod ubi Dominus Oswaldus, superius nominatus, aliique amici papisticis tenebris adhuc detenti intellexerant, me prorsus omni ope sua destituerunt. Ego tamen in sententia persistens Wittebergæ in extrema paupertate, sed Studio satis ferventi annos quatuor & amplius mansi, stramineo lecto, solo pane, quem ibi ex Canonicorum Collegio propter Deum singulis septimanis accipiebam, & aqua contentus, raro cerevisiam & carnes gustans, vinum nunquam: Adeo ut multis mirum

rum videretur, quomodo in tanta pauperta-
te vivus manere, ne dicam, ſedulo ſtudere
potuerim. Elapſis his quatuor annis tantum
Wittebergæ in hebraica Lingua promove-
ram, ut diſcipulos facere ac me ex privata
hujus linguæ lectione aliquamdiu mediocriter
alere poſſem. Cumque annos quatuor Wit-
tebergæ dictos Præceptores diligenter audi-
viſſem, & annum unum illos audiens etiam
alios docuiſſem, circa ætatis meæ annum vi-
geſimum ſeptimum Wittenberga diſcedens,
in Patriam redii & ibi aliquot Septimanis a-
pud Chriſtianos Amicos converſatus, tandem
Coloniam reverſus ſum. Ubi hebræam Lin-
guam ſatis multis ad me confluentibus Audi-
toribus & domi & in coronarum Auditorio
prælegi. Multi etiam Monachi & Optima-
tum filii ac filiæ hic a me iſtius Linguæ rudi-
menta acceperunt. Porro cum jam viginti
& novem annos natus intelligerem, me ſine
honeſto Conjugio diutius difficulter pie vi-
cturum, ſubinde Deum rogavi, ut mihi piam
aliquam vitæ Comitem diſpiceret. Cum ita-
que Colonienſes Theologi adverſus me &
meos Auditores ſatis magnam perſecutionem
moviſſent, hortatu amicorum clam ad quos-
dam Juliacos Nobiles, Evangelio faventes
confugi, ubi honeſtam & juvenem mulie-
rem, Margaretham nomine, in Juliaco Syr-
ſtorphenſi pago natam, Claudi Johannis fi-
liam

liam pauperem quidem, sed piam Evangelioque valde faventem conspexi, amavi & paulo post, cessante persecutione, matrimonio duxi.

Interea in eam Urbem ad meos Auditores consuetasque Lectiones rediens, & Civis factus brevem (*b*) in hebræa Lingua Grammaticam, Coloniæ impressam, edidi. Non ita multo post magis in fide confirmatus hebrææ Lectioni etiam Sacram adjeci. Et editis pro Evangelica Doctrina Articulis, contra Adversarios disputavi & scripsi; Deinde in quibusdam Christianorum domibus multis eo concurrentibus Auditoribus Evangelium germanice prædicavi.

Postremo Sanctos Martyres (*c*) Adolphum Clarenbach & Petrum Flisstedeu pro Evangelii veritate Coloniæ in vinculis detentos ac inopia laborantes pro mea virili & alui & defendi, etiam pro illis Imperatorem appellans. Quare denuo ac iterum adversus me mota

(*b*) Sub titulo: *Institutionum Grammaticarum in linguam Sanctam*, non confundendarum cum ejusdem tituli libro Wolffgangi *Fabricii* Capitonis, qui Argentinae 1524. prodiit.

(*c*) Hic Clarenbachius paulo postea scil. d. 28. Sept. 1529. una cũ socio suo Petro a *Flisted*, ex agro Juliacensi crudelibus flammis exustus est Coloniæ, postquam per sesquiannum & amplius custodia detentus fuisset. Non pauca mihi de egregio hæc Viro sunt notata, quæ singulari dissertatione de ejus vita & fatis, si Deus voluerit, exhibebo propediem. T. d. H.

mota est persecutio, & aliquot Senatoribus nobilibusque viris valde hortantibus, ut rursus ad tempus iræ illius cederem non acquiescens, a Senatu captus & in vincula conjectus ac septimanis septem in iis detentus sum. Verum cum in hac urbe civis privilegio donatus essem multosque Nobilium filios in disciplina haberem, nec populi favore carerem neque ex adversariis quisquam mecum de fidei articulis coram justis arbitris, sicut petieram, differere vellet, ex carceribus ea lege dimissus sum, ne ibi absque Senatus permissione amplius legerem, nec acceptam injuriam ulciscerer.

Cumque mihi hic Lectionis spes & proemium adempta essent, inopia coactus cum pia mea Conjuge, hortantibus in carcere superius dictis Sanctis Martyribus & aliis amicis, relicta Colonia ætatis meæ anno quasi trigesimo primo ad illustrem Philippum Hassorum Principem concessi, qui me satis benigne cum pia mea Conjuge suscepit & primum Cassellis in Diaconatus functione aluit. Meque ibi agente in multis Ecclesiasticis negotiis satis familiariter usus est. Aliquoties me in Brabantiam ad Imperatoris Consiliarios misit. Cum autem Anabaptistica hæresis civitatem Monasterium jam occupasset peneque vastasset, me Anno Domini 1534. cum quodam Comite illuc ad inspiciendam eam controversiam legavit. Comes citius discessit, ego

vero

vero & Monasterienſis Senatus, & principis mei petitione compulſus ibi quatuor fere menſibus in maximis afflictionibus manſi. Singulis enim diebus ego minus eloquens coram tumultuante populo interdum bis, interdum ſæpius concionem habere, frequenter cum Hæreſiarchis illis conferre, illorum incredibiles tumultus, inſidias, Detractiones, præſtigias & cædes ferre, rarius præ timore veſtes exuere, nunquam vero quiete comedere aut dormire coactus ſum. Tandem cum Optimi quique ex ea Civitate his malis fracti aut ultro fugiſſent, aut vi ejecti eſſent, egoque contra hos furioſos homines pene ſolus remanſiſſem, me aut ad necem aut ad fidei meæ negationem quæſierunt, ac me inventum ſatis inhumaniter tractarunt. Verum cum me infractũ vidiſſent, vitæ meæ parcentes ex urbe plane miſerum dimittunt. Quemadmodum etiam hæc omnia inter Germanica opera D. Mart. Lutheri Tomo ſecundo & in Chronico Sleidani libro decimo (*d*) clarius recitantur. Ego hic

(*d*) Verba Sleidani haec ſunt. *Menſe Novembri Landgravius, rogatu Senatus mittit eo duos docendi cauſâ, Theodoricum FABRICIUM & Johannem Melſingerum, & hic quidem cognita rerum pertractatione, periculo etiam commotus domum redit, alter autem ſtrenue monebat cives, ut ab anabaptiſtica doctrina diligenter caverent; & in hoc quidem ſtadio decurrit atque permanſit, donec Anabaptiſtae ſuperiores facti reliquos urbe pellerent.* Conſer etiam Hamelmannum in hiſt. Ren. Eccl. in

hic dimissus in Hassiam redii, ipsi Anabaptistæ vero hanc civitatem contra fugientes erectosque Cives & Episcopum aliquamdiu vi & armis defenderunt. Exacto autem dimidio anno iterum ab Hessorum principe & Electore Johanne Friderico ad Anabaptistas Monasterium missus sum, quo eos horum & omnium Principum nomine rogarem, ut exules cives in Civitatem reciperent, Civitatem ad pristinũ statum redire paterentur, & subintroductas uxores rejicerent, hoc si facerent, eos & Evangelium Christi in urbe servaturos & cum imperio reconciliandos; si nollent, longa obsidione cogendos fore.

Cumq; hanc facilem piamq; Principum petitionem etiam per multos alios ipsis oblatam non reciperent, diu obsidione pressi, tandem omnes cæsi sunt. Ego autem ad Principem meum reversus ad Cliviæ Ducem in Evangelico quodam negotio Legationis munus accepi. Cumq; mihi in hoc itinere per quandam ejus Civitatem, *Hammonem* nomine, proficiscendum ac in ea pernoctandum esset, & multos cives ac Monasterienses exules ad hospitium meum accedentes in Evangelio Christi confirmarem, ejus civitatis Papistæ ira per-

in urbe Monast. in Opp. p. 1206. & 1218. ubi vocat hunc nostrum *insignem Ebraeum*, sed corrigendus est ibi error, qui bis occurrit, nactum eum esse stationem *Gervesti*, cum *Servestiae* scribendum esse unus quisque facile videat; T. d. H.

perciti, me quasi hæreticum apud Præfectum detulerunt, qui me sequenti die structis insidiis equo insidentem dejecit, cæcidit & vinculis constrictum in arcem proximam duxit. Cæterum, ubi meam innocentiam agnovit, pœnitentia ductus me in pace dimisit.

Ego autem hac expedita Legatione, ad Landgravium reversus, ipsum in Wirtenbergensi bello, ac postea in Austriam ad Regem Ferdinandum proficiscentem ac Concionibus sacris sequutus sum. Videns autem, quod sacris studiis cum Aula non conveniret, postposita aula, oblatam in (e) Aldendorpio Pastoris functionem suscepi; ubi me sicut & antea & postea semper in sanctorum Patrum scriptis diligenter exercui, & cum eos cum fide nostræ Ecclesiæ consonare viderem, mirifice gavisus & in fide confirmatus sum.

Tandem cum Principem & primarium ejus Concionatorem Dionysium Melandrum propter Polygamiam eorum primum clam, postea vero palam amice reprehenderem, graviter & captivitate & amissione bonorum meorum adflictus sum. Quibus tamen malis paulo post per intercessionem Dominæ Chrystinæ, primariæ legitimæque Conjugis Landgravii, defunctus sum.

Postre-

(e) Crediderim hoc oppidum esse Hassiae non incelebre Allendorffium ad Werram, salinis inclutum. T. d. H.

Postremo autem cum me adhuc sub introductæ mulieris ac Dionysii insidiis de vita periclitari intelligerem, accepto a Landgravio honesto vitæ & doctrinæ meæ Testimonio cum nea pia Conjuge Hassiam relinquens, annc ætatis meæ quadragesimo tertio, Wittembergam redii, anno reparatæ salutis 1543.

Cum illic D. Martinum Lutherum, M. Philippum Melanthonem, D. Johannem Bugenhagium, D. Casparum Crucigerum, D. Melchiorem Vendium; M. Matthæum Aurogallum complureſque alios veteres amicos ac Præceptores adhuc superstites maximamque studiosorum frequentiam inveniſſem, plurimum gavisus sum. Ipsi etiam reditus mei causſam cognoscentes me satis humaniter susceperunt & consolati sunt & me hebræas simul & sacras literas exercitii & quærendi victus gratia prælegere cupientem adjuvarunt. Non multo post, hebraicæ Linguæ Professore mortuo, mihi ejus Linguæ lectionem & mercedem commiserunt. Interjecto deinde brevi tempore, me eodem die eademque hora, qua a Polygamistis in Hassia maxime afflictus convitiisque laceratus fueram, suis pene impensis, non sine maximo honore & gaudio, sacrarum literarum Doctorem (f) declara-



(f) Factum id est a. 1544. Decano M. *Luthero*, ejusdem honoris sociis Stanislao Lithuano, Georgio Majo-

runt; Postremo cum duos illic egissem annos, & in hebræa Lingua aliquot (g) tabulas edidissem, primum ab Illustribus Principibus de Anhalt, postea vero a Senatu & Centumviris in Pastorem (h) Cervestensis Ecclesiæ vocatus & a Principibus deinde confirmatus sum, præcedente quodam divinitus indicio, quo me hujus Ecclesiæ Pastorem fore ante cognoveram. Anno igitur 1544. Wittembergam non relinquens cum pia mea Conjuge Margaretha Cervestam veni. Siquidem hebrææ Linguæ stipendium me aliquamdiu Wittembergæ

jore, Nurmbergensi, & Johanne Fabricio, Monacensi, ut ex Athenis Wittenbergensibus H. Sennerti didici. T. d. H.

(g) Sub titulo Theodori Fabricii *tabulae duae de nominibus Hebraeorum una, altera de verbis* quem librum Basileae ab Henrico Petri excusum suspicatur Gesnerus.

(h) Factum id esse auctore *Georgio*, principe *Anhaltino* ex consilio ejus olim præceptoris Georgii Helti, Fercheimii commemorat D. O. Becmannus in hist Anhaltina T. I. p. III. L. II. c. 1. §. 8. Ubi quoque narrat sequenti anno 1545. Superintendentis munere in eum collato primam ecclesiarum visitationem instituisse sociis sibi adjunctis Johanne Statio, Hulderico Bullingero, Pastore ad D. Bartholomaei, Laurentio Fuhrmanno, Cos. Andrea Lamprecht, & Urbano Selingio, idque eum potissimum in finem, ut in bonorum ecclesiasticorum clam surreptorum notitiam venirent, quæ res successit feliciter, quod familiarum Patres praevio examine catechetico jurejurando sibi adstringerent, ut, quae de illis sibi innotuissent, profiterentur aperte addita promissione, illorum nomina nou indicatum iri. T. d. H.

ga Cerveſtam ſequebatur, & ego interim ſingulis annis aliquoties Wittembergam rediens, amicos illic & Præceptores inviſo; Nondum autem expleto hic dimidio anno volentibus Principibus Anhaltinis Senatuque Cerveſtenſi reliquarum confinium in hoc Principatu Eccleſiarum gubernacula ſuſcepi, nec multo poſt petente Illuſtriſſimo Electore Marchione ab his Principibus & Senatu primum (*i*) Brandenburgam ad colligendam Eccleſiam Chriſti miſſus ſum, quæ propter ejectionem Doctoris Eraſmi Alberi contriſtata diſperſaque fuerat. Deinde Francofordiam ad Oderam fluvium evocatus ſum, ut ibi aliquot doctos viros in Theologiæ Doctores promoverem. Et quamvis in utroque iſto loco ſtipendio ſatis amplo in Paſtorem ſæpe vocarer, fidem tamen meis Principibus & Senatui ſervans ad eos reverſus ſum; Imo ipſe Elector Marchio paulo poſt Cerveſtam veniens hos Principes & Senatum rogavit, ut me hinc dimiſſum ſuæ Francofortenſis Eccleſiæ Paſtorem eſſe paterentur, & cum propter certas cauſas ipſi vocanti acquieſcere non poſſem, pene in maximum periculum incidiſſem, niſi me Deus ſervaſſet. Cum autem Brandenburgæ



(*i*) Hujus quoque rei meminit Becmannus, addita hac circumſtantia, cum Brandenburgenſibus tantum ad anni quadrantem ad emendanda in urbe ſacra conceſſus fuiſſet, Conſules urbis literis petiiſſe, ut ſibi illius opera in annum ſequentem 1547. frui liceret T. d. H.

adhuc agerem, illicque multi pauperes & pleuriſi & inopia laborarent, pia mea uxor illis ſubinde neceſſaria miniſtrans, & ipſa in pleuriſin incidit. Ex qua diligenti medicorum cura paululum levata hydropſi ac ingenti tuſſi correpta eſt. Verum cum is morbus incurabilis eſſet, diem & horam mortis intelligens, continuis precationibus vacans ac tandem pro Eccleſia, pro ſe ac me, ſimiliter pro parentibus & Benefactoribus intenſiſſime orans ſanctam animam ſuam in manus Creatoris Redemtorisque Chriſti commendans, ſuáviter in ulnis meis expiravit, anno 1547. ſeptima d. Menſis Jul. Ego autem amiſſa tam piiſſima Conjuge in tantam triſtitiam delapſus ſum, ut per aliquot Civitates, neſciens quid facerem, oberrarem, & mihi apoplexia interdum nocte valde minaretur. Tandem domum rediens, plura defunctæ Conjugis amicis, quam par fuerat, & vires ferrent, donavi; Cernens autem, quod adhuc ætate mediocriter integra eſſem ac metuens, ne ſanctum meum Miniſterium fornicationis vitio aut hujus vitii ſuſpicione macularem, præterea quod me apoplexia aliquot noctibus Socia deſtitutum graviter minata eſſet, mihi tandem, matrimonium repetendum eſſe, perſuaſi, ac Deum ſedulo precabar, ut mihi rurſus aliquam piam vitæ Sociam daret, ſi me diutius vivere vellet, ne per meam infirmitatem ipſius Sanctum miniſterium male audiret. Et

libe-

liberos in matrimonio quærens, deliberatione cum aliquot piis hominibus habita, virginem Ursulam, Pauli Flamingi filiam, civem Cerveſtenſem, pauperem quidem, ſed piam elegi, eodemque anno eam duodecimo die Septembris uxorem duxi.

*Quæ hic ſequebantur de filiis ex hoc conjugio ſuſceptis, eorumque ex ſacro lavacro ſuſceptoribus ea conſulto omittimus.*

Interea mihi hic Cerveſtæ in miniſterio degenti multa ſatis dura evenerunt. Nam præter quotidianas fere Conciones, & viſitandi infirmos officium, etiam omnia harum Eccleſiarum & matrimoniorum negotia audire ac pro virili componere coactus ſum. Torminibus colicis, nocturno incubo, eriſipali, febri & aliis morbis hic frequenter ad mortem usque laboravi. Semel in maximam ægritudinem ſubito, neſcio venenone, an aliquo alio incommodo edulio ſuſcepto, incidi, in qua ipſum mortis aculeum me guſtaſſe credo, nam a planta pedis mei usque ad pectus omnia mea membra mortifero frigore horruerunt, & paſſim per cutem meam multæ magnæque maculæ ſubvirides conſperſæ ſunt & adhuc in ea manent; Inter hos tamen meos labores, ægritudines & pericula ſedecim Libros germanico ſermone ſcripſi (*k*) Septem



(*k*) Vix auſim pronunciare hos libros lucem adſpexiſſe. J. C.

de duplici Adventu Christi ac de ejus regno & unum de Trinitate, item octo de Ecclesiastica Doctrina & Sacramentis, quos omnes non tantum sacris, sed etiam orthodoxorum patrum scriptis munivi; Et quædam alia latina & hebraica opuscula, inter mea nondum edita scripta reposita. Multas etiam hic res indignas tuli, in gravem Principis iram incidi, quod quasdam collapsas in Ecclesia Ceremonias non reciperem. Multi nobiles, & cives quidam mihi ideo infensi infestique fuerunt, quod illis Ecclesiasticorum bonorum rapinas non permiserim liberas, adeo ut mihi & Concivibus meis impius & sacrilegus ille Jacobus

*Nut.*

J. C. Becmannus, ut de omni re literaria ita de Historia Anhaltina praeclare meritus, ejus hist. L. VII. c. 3. testatur varia Volumina scriptorum hujus viri manu exarata adhuc exstare, quorum se tantum vidisse testatur Germanice; D. Theodori Fabricii viertes Buch Christl. Lehre und Kirchen-Ordnung/ in welcher weiter Bericht vom Gesetz und Evangelio Christi geschiehet/ dabeneben auch das H. Predigamt und Priesterthum samt Nahmen/ Stand/ Amt/ Weise und Gebühr aller Kirchen-Diener insgemein aus Göttlicher und der H. Vätter Schrifft klärlich behandelt und beweret / und dagegen etliche Mißbräuche wiederleget werden. Item alium librum Christlicher Lehr und Kirchen-Ordnung / in welchem der Artickel von Vergebung der Sünden und der Absolution aus Göttlicher Schrifft und Gezeugnüß der heiligen Vätter gründlich gehandelt/ und dagegen etliche Mißbräuche angezeiget werden. Item alium, de adventu Christi, judicio extremo, resurrectione mortuorum, & coelesti regno Christi & fidelium. T. d. H.

*Nutman* ideo bellum inferret, quod rapto Ancunensis Ecclesiæ sacerdotio pro sua libidine abuti non potuit. Propter meritam alicujus magnæ Personæ reprehensionem longi temporis periculum sustinui. Baumgardus Consul parvam meam mercedem, quam ab hac Ecclesia diu habui, diminuere voluit, & diminuisset, nisi Principes nostri ipsius Conatibus obstitissent.

Cum Anno Domini 1554. ex Principum Præcepto secundam in hac Civitate visitationem instituissem, & in Confessu Dominorum Principum, Consiliariorum, Presbyterorum, Subdiaconorum & Senatus, quasdam abusiones Senatus contra scholæ, Xenodochii, Ecclesiæ & Presbyterorum utilitatem, ut Episcopus conquererer, quemadmodum antea, & privatim & publice, sæpius conquestus fueram, quidam etiam summi ex Senatu adeo adversus me commoti fuerunt, ut, nisi populum ac Principes metuissent, me non solum ex Ecclesia, verum ex Civitate hac ejeciſſent. Imo indignissime tulerunt, quod Principes, Consiliarii, Presbyteri & Diaconi omnes in eo consessu ex more visitationis de Doctrina, vita & administratione mea interrogati, mihi harum honestissimum Testimonium dederant. Altero enim die convocatis meæ Ecclesiæ Presbyteris, vehementer indignati sunt, quod in hesterno Consessu de vita & doctrina administratioque tam ho-

norifice conteſtati ſuerant, cum mihi antea apud eos diverſum inſimulaſſent.

Ab eo igitur die, inſtigantibus adverſariis meis, cœperunt mei Compresbyteri clanculum aliquid monſtri adverſus me alere ac mihi a tergo detrahere. Huic acceſſit, quod ſe in futura Synodo ex Principum mandato cum reliquis hujus ſuperattendentiæ Magiſtris, Paſtoribus, Presbyteris & Ludimoderatoribus examinandos ſciebant. Quamvis enim illa S. ſcripturæ Collatio, quæ in ea ſynodo per Doctorem Georgium Majorem, aut per me tunc fiebat, reliquis Magiſtris, Paſtoribus, Presbyteris & ſcholarum moderatoribus utilis, ſuavis & adeo grata erat, ut datis ad Principem Joachimum literis, eam ſingulis annis bis fieri peterent, meis tamen Synergis ſatis odioſa fuit, exiſtimantes rem, ipſis indignam, eſſe, ſi aliquando cum aſſidentibus de fidei articulis interrogarentur. Quanquam ſynodi præſes ſæpius ad quæſtiones propoſitas, quam interrogatus, reſpondit, ne dicam, quod a ſingulis interrogatis mihi ſua dubia ſolvenda proponi ultro petierim. Poſt ſuavem illam S. Literarum collationem ac dubiorum ſolutionem in ſynodo noſtra fratrum diſſidia, ſi quæ fuerant, & eccleſiarum negotia producebantur componebanturque.

His abſolutis, nobis ex Principum Largitate duo ſatis opima Convivia adminiſtrabantur. Verum Synergi mei ad hanc amicam ſynodum

dum & ſuavia fratrum convivia vocati, non ſolum venire contempſerunt, ſed etiam alterius Eccleſiæ Paſtorem Joh. Mumenium cum Diaconis ſuis, non ſine magno Principum aliorumque honeſtorum hominum dolore abſtraxerunt. Ego tamen paci ſtudens, hos, qui ſynodi conviviis intereſſe noluerunt, annuente Principe Carolo ad meum quoddam amicum convivium vocavi, quod etiam ſtomachantes recuſarunt. Interrogati autem a Conſiliariis, quare jam aliquoties ad amicas Eccleſiæ hujus Collationes non veniſſent? Satis trepide reſpondentes dixerunt, ſe aliquid in mea doctrina habere ſuſpectum, ſecundo interrogati, quare illud juxta regulam Chriſti Matth. XVIII, prius mecum ſoli aut palam in viſitatione, aut in Synodo non fuerint locuti, tunc ipſis hic ſubticentibus injunxerunt Conſiliarii, ut in triduo, ſi quid adverſus me haberent, ſcriptis proderent. Interim circumcurſantes, & eos, qui mihi parum favebant ad parteis ſuas ſollicitantes his acerbiſſimis verbis hos adverſum me articulos tandem Conſiliariis tradiderunt, in quibus ne Syllabam quidem mutandam duxi.

## *Die Haupt-Articul der irrigen Lehre des Doctors.*

ERstlich hat er angefangen von den un-“
getaufften Kindern, so im Mutterlei-“
be vor der Geburth sterben, welche“
er offt wider unserer *Præceptoren* Schrifft,“
verdammet hat, und damit viel Leute be-“
trübet und erschrecket.“

Zum andern hat er den *Articul* unsers“
Christlichen Glaubens: Er ist niedergefah-“
ren zur Höllen, angefochten, und offtmals“
gesagt und auff der Cantzel geschrien: ver-“
steige dich nicht. Derhalben ohn Zweif-“
fel unser G. F. und Herr *Georg* Seel. und löbl.“
Gedächtnüss dawider sich Christl. und Fürstl.“
erzeiget hat in dem Büchlein über den 16.“
Psalm. Aber das hat er nicht geachtet, son-“
dern mit etlichen Worten gesaget *in priva-*“
*to*: Er habe zu weit gefahren.“

Zum dritten hat er *anno Domini* 1551. den“
19. Sonntag nach *Trin.* offt geprediget und“
gesagt, dass alle Pfarr-Herrn und *Diaconi*“
Richter sind über die hunde, und dass sie“
als Richter sitzen, wenn sie Beicht hören,“
und daraus die Erzehlung aller Sünden nö-“
thig geacht, und dass sie *de jure divino* sey.“
Wie er dann davon desselbigen Jahrs 3.“
Predigten gethan, und mit Ernst darauff ge-“
drungen.“

Zum

Zum vierdten hat er auch gelehrt mit“ grosser Aergernûs des Volcks wider den“ Gebrauch unsrer Kirchen, und wider die“ Lehre des lieben *Pauli*, dass der Glaube, der“ uns seelig macht, aus der Liebe komme.“

Zum fünfften hat er offtmals auff der Can-“ tzel hochmüthig die *Version* des Ehrwürdi-“ gen Hn. *Doct. Martini Lutheri* getadelt, “ schimpflich damit umgegangen, und die-“ selbige bey den Bürgern wollen verächt-“ lich machen, oder was sonst sein Beden-“ cken gewest.“

6. Hat er heimlich wider unser Wissen“ und Willen den Wehmüttern eine Hand“ und Fus oder was sonst von den Kindern“ in nöthen anzeigte zu tauffen, ehe der“ gantze Leib gebohren würde; Welches“ doch unser lieber Vater und *Præceptor Doct.*“ *Mart. Lutherus* an einem Ort, als einen Ir-“ thum und Unrecht straffet und nicht nach-“ geben will.“

Zum siebenden und letzten ist uns das“ beschwerlich, dass er, wider aller Herr-“ schafften und umliegender Länder Ge-“ brauch und *Convocation* der Priester, den *Sy-*“ *nodum* hält, das nöthigste, so er in dem *Sy-*“ *nodo* solte fürnemlich handeln, läst er anste-“ hen, und das allein dringet, welches zu“ Verkleinerung des lieben Predig-Ambts ge-“ reichet.“

*Johan-*

*Johannes Mumenius Pastor ad S. Barthol.*
*Joh. Ertmannus, Diaconus ad S. Nicol.*
*Joh. Rusener Diac. Ecclesiæ S Nicol.*
*Henricus Dresler Diaconus S. Nicolai.*
*Paulus Neander, Minister verbi in Ecclesia Christi ad divum Barthol.*
*Georgius Anis Diaconus ad Sanct. Barthol.*

„ Nimis longa est Fabricii ad has accusati-
„ ones responsio Principibus Anhaltinis, e-
„ jusque consiliariis ad d. 16. Aug. 1555. exhi-
„ bita, quam ut heic integra exhibeatur, præ-
„ cipue cum sermone Germanico, sit exara-
„ ta. Excerpimus tantum quæ ad præcipua
„ capita accusationum, quæ doctrinam spe-
„ ctant, regessit. Quoad scilicet artic. 1)
„ *ait* se exhortatum tantum esse mulieres gra-
„ vidas ut majorem fœtus, quem utero fe-
„ runt habeant curam, quod Augustinus sta-
„ tuerit salutis infantum non in lucem edito-
„ rum nos esse certos non posse, licet poten-
„ tiæ aut misericordiæ Dei nolit limites
„ figere credatque Deum, etiam non natos
„ infantes posse salvos facere. Ad artic. 2)
„ se tantum rejeciisse scribit fabulas de limbo
„ Patrum, violenta effractione inferni, libe-
„ ratione Patriarcharum ex illo, & Christi in
„ illo concione consentiente sibi Luthero in
„ Comment. ad 2. Petr. III. Ad art. 3) se
„ confessionem peccatorum graviorum uti-
„ lem censuisse & in concionibus commen-
„ dasse,

„dasse. Ad 4) se credere, licet fides in „Christum solum justificet, & beatos reddat, „eam tamen cognitionem & amorem Dei, „& proximi complecti. Ad 5) se ex Hebrai„cæ vel Græcæ linguæ genio aliquoties „phrases scripturæ aliter esse interpretatum, „quam à D. factum fuerat Luthero, sed id „semper factum esse sine contemtu chariſſi„mi Præceptoris sui Lutheri. Ad 6) falsum „esse, se obstetricibus injunxisse, ut nondum „natorum infantum manus aut pedes bapti„zarent.

Exhibita itaque illa Apologia ita pergit. Cumque in hanc sententiam ad Illustriss. Principes nostros germanico sermone meam defensionem scripsissem, vidissemque desideratum causæ meæ judicium differri, meorum adversariorum temeritatem adversus me crescere, currum conscendens ad illustriss. Principem nostrum Joachimum profectus sum, humiliter petens, ut mortuorum fratrum calceos indueret, ac destitutæ Ecclesiæ nostræ misertus causam meam in præsentia adversariorum meorum audiret, & si me innocentem inveniret, tueretur, si minus, puniret. His precibus Optimus Princeps flexus, me cum literis suis ad Præceptorem meum Dominum Philippum Melanthonem & Doctorem Joh. Pomeranum misit, eos per me ac literas suas rogans, ut statuta die ad se Dessoviam venirent, ac secum meum negotium

tium audirent discernerentque, quod illi audientes mihique condolentes libenter fecerunt.

Cum itaque bonus ille Princeps nostram controversiam auditurus, nobis, ni fallor, duodecimum diem anni 1555. constituísset, adversarii mei Senatus nostri literis, curribus & pecuniis concomitati pridie Natutæ dieiDessoviam ovantes venerunt. Nuncius autem meus, quem ad Principem & ad parandum mihi maturiorem Albis transitum præmiseram, detentus fuit Dessoviæ, ut meus impediretur adventus, sed pudet hic dicere a quibus. Altero vero die cum præcipuis aliquot hujus Superattendentiæ magistris, Pastoribus & aliis amicis, primo diluculo ad Albis vadum veniens, ibique propter detenti nuncii fraudem aliquot horis expectans, serius transvectus Dessoviam ad Principem veni. Conspectis tamen meis Wittembergensibus præceptoribus, gavisus & ad eorum colloquium admissus sum.

Ego igitur in aula Principis, semotis adversariis coram Domino Philippo Doctore, Johanne Pomerano, Consiliariis meis comitibus & aliis doctis viris primum ore, deinde scriptis ad propositos Adversariorum articulos in eundem modum respondi, quem ante aliquot septimanas ad Principes eorumque Consiliarios miseram, & huic vitæ meæ curriculo superius inserui, nisi quod in hoc po-

ste-

steriore responso, Dessoviæ dato, eundem sensum servans quædam brevius dicta magis declaraverim & quædam prolixius dicta abbreviarim. Illi itaque controversiæ nostræ arbitri, audita hac mea responsione, me, ut paulisper ex conclavi una cum comitibus discederem, rogarunt. Post parvam eorum deliberationem mei accusatores ad eos revocati introierunt, ac vere per dimidiam horam cum illis egerunt, nescio quæ.

Post hæc cum meis sociis revocatus sum & in præsentia adversariorum meorum Dominus Philippus nomine aliorum arbitrorum mecum de componenda pace ac donanda injuria agere cœpit. Dominus autem Joh. Mumenius, Domini Philippi & aliorum erga me Clementiam cernens, Domino Philippo quædam obgannire orsus, adeo Dominum Philippum commovit, ut eum superbum bibulum, authorem hujus discordiæ ac Ecclesiæ turbatorem coram nobis omnibus vocarit.

Quibus ille auditis primum ingenti pallore, deinde quadam nigredine in faciem perfusus, postea humilior factus tacuit. Ego autem Domini Philippi & Consiliariorum aliorumque assidentium clementiam erga me conspiciens, remurmurante meo affectu, tamen in propositos reconciliandæ pacis articulos annui, idem mei accusatores libenter fecerunt.

Se-

Sequenti vero die, compositis & subscriptis initæ concordiæ articulis, mei accusatores coram omnibus ad me coacti venerunt, precantes, ut illatam mihi injuriam illis propter Christum remitterem, se posthac cautiores futuros, quod etiam libenter feci.

Cumque illustrissimo Principi & arbitris illis pro adhibita eorum, in reconciliata pace, diligentia, meo & aliorum nomine gratias egissem, cibo in principis mensa apud Principem & arbitros sumto, cum meis Comitibus lætus ad meam Ecclesiam redii : Philippus Melanthon etiam cum quibusdam aliis me usque ad Dessoviæ portam concomitatus est, me multis modis super accepta injuria consolans.

Mei autem accusatores domum reversi, metuentes, ne ipsis hæc reprobatio Dessoviæ accepta, etiam in hac civitate perpetuo opprobrio esset, clanculum Scholasticis, mulierculis & Senatui suggesserunt, se Dessoviæ fuisse victores, me vero ibi male acceptum. Quod ego hic aliquamdiu patienter ferens tandem Principibus eorumque Consiliariis conquestus sum, qui hæc mendacia repressérunt, ego etiam pro concione sine adversariorum læsione me demum purgavi. Deus etiam omnium negotiorum & cordium inspector paulo post primum Dominum Joh. Erdmannum deinde Dominum Joh. Mumenium alterius Ecclesiæ pastorem non postremos hujus

jus discordiæ authores ex hac mortali vita non sine reconciliatione sui ac mei sustulit, quorum animæ requiescant in sancta pace, amen!

Dominus Paulus eodem fere tempore rupturam circa ilia sua accepit, reliqui postea aut discesserunt, aut mecum solidiorem pacem fecerunt, hactenusque servarunt. Ego tamen interim defunctorum comministrorum viduas & filios pro virili semper consolatus sum, adjuvique eos, ubicunque potui. Ex hac Tragœdia mihi exhibita videtis, filii mei charissimi, senatum nostrum pulchre collusisse ac sumptus meis adversariis contribuisse & operam. Deus det illis mentem meliorem, quam hactenus omnibus suis piis Pastoribus exhibuerunt. Vobis etiam in ea ut in hoc toto vitæ meæ curriculo cernere licet, me quidem ab initio a Satana ejusque organis multis adflictionum generibus satis cribratum, sed a Deo non derelictum, ut discatis Deum timere, qui sperantes in se non deserit.

Sequenti anno, qui fuit 1556. circa Johannis Baptistæ diem quidam viri fide digni venerunt ad me, mihique indicarunt, se in aëre super hanc civitatem flammiferum chasma vidisse, idemque eo tempore aliquoties rustici in nocte videntes nobis prædicarunt. Ejus cum in quadam concione meminissem, Ecclesiamque diligenter adhortatus fuissem, ut

quisque vitæ prioris pœnitentiam ageret, Deumque precaretur, quo malum, nobis hoc chaſmate ſignificatum, clementer averteret, & ut quisque ſuum ignem domi diligenter cuſtodiret, a ſelectis ad hoc trium ordinum conſulibus & Camerariis hic ſatis male exceptus, & pudet dicere, quibus ſcommatibus luſus ſum. Sed paulo poſt hanc deluſionem circa Martini Epiſcopi diem Xenodochium noſtrum, in quo totius Eccleſiæ noſtræ & omnium pauperum pœnus repoſitum, hora noctis undecima, ex neglecta præteritæ diei coctione cereviſiaria ſubito ingenti flamma conflagrare cœpit. Ac intra quatuor horas cum univerſo pœnore & quatuordecim pauperibus, duobus ſubdiaconis unoque architecto ac multis jumentis exuſtum eſt, ac non ſine intolerabili hujus Eccleſiæ jactura totum concidit.

Ego autem iſtam Eccleſiæ ac Xenodochii calamitatem & deſperationem omnium hominũ horum conſpiciens ſumo dolore adfectus ſum, Tandem reſumpto animo Senatum noſtrum Clerum, Subdiaconos ſeu Curatores pauperum & ipſos ſuperſtites pauperes de reſtauratione amiſſi pœnoris, veſtitus, cibi & combuſtarum ædium conſolatus ſum; Et accepto a Principe ac Senatu teſtimonio cum quibusdam ſubdiaconis in frigidiſſima hyeme & altiſſima nive ad vicinas Civitates Principes & nobiles viros profectus ſum, & ab illis propter

pter Christum & arctam nostram cum ipsis & ipsorum nobiscum amicitiam & societatem resarciendæ jacturæ nostræ subsidium petens, in lignis, ordeo, siligine ac promta pecunia octingentos & amplius aureos brevi tempore reportavimus, quibus nudatos destitutosque nostros pauperes statim vestivimus aluimusque & amissum pœnus exustasque ædes reparare cœpimus, quemadmodum adhuc præ oculis est.

Circiter annum reparatæ Salutis 1560. primum magna capitis gravamina mihi apoplexiam minantia sentii; Et paulo post me adsueta erysipelas obruit solitoque more eructavit. Postremo tantus ex Capite meo fluxus in guttur, scapulas, brachia, coxas & crura mea decidit fereque singula corporis mei membra ita penetravit, debilitavitque, ut per octo septimanas veluti truncus in lecto jacerem, nec cibum sumere, neque dormire, neque ullum corporis mei membrum, præter caput, linguam & manus movere potuissem. Præterea tantus ardor dexteram meam invasit, ut in ea præter ossa, nervos & venas nihil maneret. Cumque sub ista gravissima cruce, nihil nisi præsentem mortem sentirem ac desiderarem, meos ex duabus hisce Ecclesiis comministros convocavi illisque initium Testamenti mei prælegi curavi; in quo habetur: Me hic in Ecclesiis Christi pro viribus fideliter ac sine justa querela docuisse,

proinde mihi ante annos aliquot non levem injuriam factam, cum mihi illi erroris articuli, superius enumerati insimulati essent, quod jam in hac mihi imminente morte coram judicio Christi contestari vellem. Hæc tres Diaconi seniores audientes infremuerunt, mihique sacram corporis & sanguinis Christi communionem desideranti impediverunt & abiverunt. Ex quo ego non mediocriter contristatus faciem meam versus parietem verti, Deumque flens oravi, ut me a malis tandem liberaret ac animam meam in manus suas susciperet & sic orans suaviter dormire cœpi. Post hunc somnum vere subito quandam in corde meo Consolationem futuri auxilii divini sentii, statimque paulatim cibum sumere, dormire, convalescere, ambulare, in Ecclesia docere, sacram corporis & sanguinis Christi communionem celebrare ac cum aliis sumere cœpi, ac per Dei gratiam jam melius quam antea valeo. Injuriam autem hanc Diaconorum propter Ecclesiæ concordiam patienter tuli & adhuc fero & dissimulo. Unus autem ex istis Diaconus, qui mihi semper molestior fuit, paulo post in horrendum incestum & aliud facinus lapsus aufugit & in fuga misere periit, relictis hic uxore ac filiis, atque ita hic aliquamdiu pacem habui.

Anno Domini 1564. Dominus Joh. Rusener noster hic Diaconus aliud contra me bellum ex hoc fonte ortum movit. Nostri illustres

ſtres Principes hic ante annos XV. omnium ordinum Conſenſu ſtatuerunt, ut nos Eccleſiarum miniſtri in officio ſacræ Cœnæ ante percipiendam corporis & ſanguinis Chriſti communionem ſuſcepturis brevem illam Mart. Lutheri præfationem prælegeremus. Cum huic utiliſſimæ inſtitutioni omnes paruiſſemus, etiam noſter Rusnerus, ſolus ille, paulo poſt eam lectionem omiſit, & amplius annis ſeptem communicaturis non prælegit, ſimulans, ſe ſub hac lectione multas pati tentationes. Cum autem temeraria hæc omiſſio noſtris Eccleſiis earumque miniſtris diſpliceret, ego ut illorum miniſter ſæpius dictum Dominum Johannem aliquando ſolus, aliquando etiam in præſentia ſynergorum amice admonui, ne tam utiliſſimam lectionem temere omitteret. Simulatas tentationes, etiamſi eſſent, tamen iis ut malis non eſſe acquieſcendum. Cæterum hac amica admonitione neque ego neque alii quicquam apud illum effecimus. Quare coactus tandem noſtrum ſenatum acceſſi rogavique, ut me dictumque Dominum Johannem ad ſe vocarent, & me illum admonentem patienter audirent. Senatus vero illi gratificans nos omnes quatuor hujus Eccleſiæ miniſtros ad ſe vocavit ac me dicere juſſit.

Cum itaque coram Senatu & Synergorum præſentia ſuperiorem admonitionem ſatis amicis verbis admonerem, ille more ſolito ſta-

tim ira commotus nihil ad meam admonitionem reſpondit, ſed in maledicta exarſit, ac me inter maledicta coram omnibus falſum Doctorem vocavit (einen falſchen Lehrer.) Ego vero hæc audiens ac maledicta ejus flocci faciens, ſolum illud arripui ac coram omnibus repetivi, ac ſenatum ſuplex oravi, ut aut me a Miniſterio ſacro ut falſum Doctorem amoverent, aut meum Antagoniſtam ad probationem jam objecti criminis urgerent. Hæc cum Senatus aliquamdiu diſtuliſſet, & res mihi ſuſpecta fieret; Principis noſtri Bernhardi auxilium imploravi, qui ſtatim hic ſuis Conſiliariis ſcripſit, ut ortum iſtud diſſidium noſtrum in præſentia ſenatus audirent & componerent; & ſi nulla compoſitio fieret, illi ſignificarent. Cum itaque ſtatuto die ad Conſiliarios conveniſſemus, noſter Johannes objectum crimen libenter negaſſet, ſi propter Conſulum præſentiam, qui hoc audierant, licuiſſet, cumque ad ejus probationem urgeretur, expavit palamque coram omnibus confeſſus eſt, ſe objectum crimen probare non poſſe, nihil falſæ doctrinæ in meis Concionibus ſcire, ſed ſubita ira commotum mihi hoc crimen objeciſſe, meque propter Deum coram omnibus rogavit, ut factam illi injuriam propter Chriſtum condonarem. Hanc ejus revocationem audiens contentus fui, illius injuriam remiſi. Conſiliarii vero & Conſules hanc revocationem

& petitam injuriæ remissionem audientes, eam in suis actionum Libris signari jusserunt, ac mihi hujus revocationis scriptum suo sigillo notatum Testimonium dederunt, quod huic historiæ propter filios annectere volui, ut in eo clarius hujus dissidii finem videre queant.

Aliquoties etiam hic Senatui nostro illas non leves injurias contumeliasque per literas indicavi & conquestus sum, quæ a potentioribus quibusdam Senatoribus non raro hic perpessus sum. Quod mihi huc ad ministerium parœtiæ suæ vocato centum & viginti aureos, quadraginta octo siliginis modios sexagesies sexaginta majora ligna ad focos ac duo vasa nostratis Cerevisiæ ad singulos annos sancte promiserint, præcessori etiam meo, imo & mihi primo anno dederint, verum jam viginti fere annis dictos viginti aureos ac dictam siliginem subtraxerint. Nisi quod jam forte pœnitentia ducti mihi bis viginti quatuor modios siliginis dederint. Et ut summatim & humano more dicam, Deo meo semper gratias ago, qui mihi qualemcunque doctrinæ ac vitæ innocentiam, etiam mediocrem Principum & civium, vicinarumque Ecclesiarum favorem erga me dedit. Alioqui me quidem in Senatu hic tot annis non tulissent, sed haud dubie mihi hic, quod omnibus meis præcessoribus Pastoribus, quorum nulla hic ostenditur sepultura, evenisset.

Semper autem hæc, quantum potui, modeste tuli, pacem & amicitiam illorum quærens, nisi quod interdum hæc senatui, amicis tamen verbis ac satis parce significarim, quemadmodum in duabus, aliquot epistolarum mearum, copiis seu apographis videre licet.

Hæc, carissimi Filii, vobis non ideo scripsi, quod vobis aliquam rancoris aut vindictæ materiam relinquere vellem, absit hoc a vobis quam longissime, quia nec ego unquam has injurias ultus sum, semper autem eas Deo nostro, juxta præceptum suum, vindicandas pro sua misericordia, reliqui. Imo nec vos jam hæc ulciscí potueritis, plerique enim jam mortui sunt & suum habent judicium.

Verum ideo hæc vobis scripta reliqui, ut miseram meam vitam variasque calamitates meas sciretis, ac discatis vel meo exemplo, nos citius faciliusque Patientia, quam vindicta & armis, vincere posse ac debere; Et acceptas injurias Deo judicandas relinquere, qui & suo tempore eas judicabit & ulciscetur. Deinde quod Deus suos invocantes non deserit. Postremo si aliquando post mortem meam forte mearum actionum aut passionum siniſtram memoriam ab invidis audiretis, ut eas recte scire ac defendere poteritis, nihil enim in illis mutavi.

Hæc

Hæc anno Domini (*l*) 1565. Domin. Lætare addita sunt.

(*l*) Quinquennio postea Fabricius vitam cum morte commutavit, quod ex ejus Epitaphio, quod etiamnum in templo Servestano visitur, cognoscimus. *Theodorus Fabricius S. Theologiae Doctor, ecclesiarum Anhaltinarum Superintendens, obiit anno Domini 1570. Die Sept. 15. anno aetat. suae 71.* Celeberrimus Beemannus adducit excerpta literarum Principis Joachimi Ernesti ad Maximum a Kötschau & Abrahamum Ulricum, scriptorum Ballenstadii ad d. 17. Sept. 1570. quibus illi testimonium exhibetur, quod munere suo functus fuerit *fideliter, Christiane, & Candide* (treulich / christlich und redlich) *ut animarum Pastorem deceat.* Et reliqua. T. d. H.

V.

# Testimonium ordinationis THEODORI FABRICII D.

## datum a M. LUTHERO, (a) & collegis.

VErsatus est in Schola Ecclesiæ nostræ Theodorus *Fabricius* ea modestia & diligentia in literis, ut propter bonos mores & eruditionem ornatus sit gradu Doctorum Theologiæ. Postea cum vocatus esset ad gubernationem Ecclesiæ Cervestensis, hortatores ei fuimus, ut illi vocationi obtemperaret. Sæpe enim eum audieramus & sciebamus, eum recte tenere summam Christianæ pietatis, & amplecti puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia nostra uno Spiritu & una voce cum catholica Ecclesia Christi profitetur, ac a fanaticis opinionibus damnatis judicio Catholicæ Ecclesiæ Christi abhorrere. Promisit

(a) A Luthero hoc testimonium esse conscriptum inde conjicio, quod ille hoc anno 1544. Decanatus munere in Wittenbergensium Academia functus est. T. d. H.

miſit etiam hic D. Theodorus Fabricius in doctrina Conſtantiam, & in officio fidem & diligentiam. Quare ei juxta doctrinam Apoſtolicam publica ordinatione commendatum eſt miniſterium docendi Evangelii & Sacramenta a Chriſto inſtituta adminiſtrandi juxta vocationem. Cumque ſcriptum ſit de filio Dei : *Aſcendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apoſtolos, Paſtores & Doctores*, precamur ardentibus votis, ut ſuæ Eccleſiæ Gubernatores det idoneos & ſalutares ac efficiat, ut hujus Fabricii miniſterium ſit efficax & ſalutare. Ipſum etiam D. Theodorum Fabricium & ſuam Eccleſiam hortamur, ut curent Evangelium Dei pure & fideliter conſervari & propagari. Nam hoc officio Deus præcipue ſe coli poſtulat, ſicut inquit Chriſtus : *In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copioſum feratis, & fiatis mei diſcipuli.* Et hac luce retenta, manet Eccleſia, & aderit in ea Eccleſia Deus, dabit vitam æternam invocantibus ipſum, & opitulabitur in ærumnis hujus vitæ. Ibi enim adeſt & exaudit Deus, ubi ipſius Evangelium vere ſonat. Sicut ſcriptum eſt Joh. XV. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis, petetis & fiet vobis. Datæ Wittebergæ die tertio Auguſti Anno MDXLIIII.

*Paſtor Eccleſiæ Wittebergenſis & ceteri Miniſtri Evangelii in eadem Eccleſia.*

Mar-

*Martinus Luther D.*
*Johannes Bugenhagius Pom. D.*
*Philippus Melanthon.*

VI.

# *C. A. HEUMANNI,*

## HEBDOMAS SACRA

*Sive*

EXPLICATIO

## SEPTEM LOCORUM IN GNOMIS SALOMONAEIS.

### *Proœmium.*

TRes omnino ſunt regulæ, quarum ope obſcuriora Sacræ Scripturæ loca enodari oportet: primum ut ſcopum dicentis eruamus, & inde ſententiam veram eliciamus: deinde ut orationis ſeriem diligenter expendamus, & cum ex iis, quæ præmittuntur, tum quæ ſequuntur, colligamus, quæ mens fuerit dicentis: denique ut loca παρεμπλα, ſive verbalia, ſive realia, conſulamus, & hinc lucem fœne-

fœneremur loco caliginoſo. Quod ſicubi his regulis uti non licet, de certa ſententia conſtare vix poteſt, ſed ſolis conjecturis locus relinquitur, quarum feliciſſima veritatis inſtar habenda eſt. Hinc mirum nemini videri debet, multa δυσνόητα occurrere & tam diſſonas eſſe interpretum voces in gnomis Salomonis. Nam non ſolum crebrius occurrunt voces, quarum ſignificatus aliunde diſci nequit, verum etiam ſententiæ pleræque nullo ordine ſunt congeſtæ, ut nec ſcopus auctoris ſit liquidus, nec ad antecedentia & conſequentia liceat confugere. Nec vero propterea cura interpretandi hujus libri abjicienda eſt, ſed cum pulchra ſint, quæ difficilia, etiam hic decet ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς, imploratoque Numinis auxilio tamdiu progredi, quoad inveniamus, ubi ſtabili conſiſtere gradu liceat. Hac in re egregium diligentiæ exemplum præ cæteris nobis præivit *Geierus*, cujus liber commentarius facile reliquis palmam præripit. Cæterum poſt tam uberem meſſem nonnullum relictum eſt poſteritati ſpicilegium: neque adeo verendum nobis eſt, ne vitio nobis vertatur, ſi quorundam locorum ſenſum veriorem in apricum conemur producere. Namque & nos cum *Pfeiffero* (*a*) *nihil infelicius putamus iis ingeniis, qui mordicus tenent, majores noſtros nihil ignoraſſe. Patet omnibus veritas*, (ita pergit, Senecæ repetens verba,) *nondum*

(*a*) Præf. ad *Dubia vexata* p. 4.

*dum est omnis (certe in hoc genere) occupata: multum ex illa etiam futuris relictum est.* Instituti autem nostri habita ratione septem nunc locis enodandis operam navabimus, brevitatisque studio, ubi *Geieri* sententiam probamus, longa probatione supersedebimus, lectorem *Geieri* librum adire jussuri.

## I.

## CAP. I. v. 8.

שְׁמַע בְּנִי מוּסַר אָבִיךָ וְאַל־ תִּטֹּשׁ תּוֹרַת אִמֶּךָ׃

PEr *Patrem* interpretes quidam DEUM, per *Matrem* Scripturam vel Ecclesiam capiunt. Sed cum durior sit hæc interpretatio, ea merito repudiata *Geierus* hæc verba de obedientia liberorum erga naturales parentes exponere non dubitavit. At quo minus huic subscribamus sententiæ, manifestus impedit allatorum verborum scopus. Est enim hæc totius libri præfatio. Jam abunde constat, librum huncce non esse pueris scriptum, sed provectioris ætatis hominibus: nec crimina in subsequentibus vetita cadunt in teneram ætatem, sed in robustiorem. Equidem *Geierus* suam sententiam probatum it ex aliis hujus libri locis, ad liberos bonos malosve pertinentibus. Sed minime isti loci sententiam ipsius stabiliunt. In nullo enim istorum Salomo pueros affatur, sed vel laudat felicitatem

inte-

infelicitatemve parentum, vel liberos jam adultos monet, ne contemtui parentes habeant, vel denique ipsos monet parentes, ut diligenti disciplina liberorum saluti consulant. Non dubitamus itaque, scopi ratione habita, præsentia verba accipere pro monito, quo Salomo, tanquam magister θεόπνευστος, omnes homines in disciplinam vocat suam, suisque præceptis parere jubet. Namque Hebræis moris est, præceptores *patrum*, discipulos *filiorum* nomine appellare. Sic Elisa Eliam *patrem* vocabat, & *filii prophetarum* in veteri Testamento sunt ipsorum discipuli. Pluribus id demonstravit *Fesselius* in *Adversariis sacris* (*b*), & ipse *Geierus* ad *Cap. II*, 1. Pari modo in Ecclesia N. T. jam olim doctores vocari soliti sunt *patres*, hique vicissim, quos ad vitam Christianam instituebant, *filios* appellitabant *filiasque*. Sic *Augustinus* Volusianum vocat *filium suum*, *epist.* 1 & 3; item Marcellinum, *epist.* 5. & 7; & Bonifacium, *epist.* 70: Italicam vero fœminam appellat *filiam* suam *epist.* 6. Hunc ipsum sensum nostro quoque loco tribuendum esse, eo certius est, quod toto hoc libro, quoties occurrit hæc allocutio: *fili mi*, (occurrit autem creberrime,) semper significatur *discipulus*, id est omnis homo, cui Salomo hoc sese libro *magistrum* præbet. Vid. *Cap. I*, 10. 15. *II*, 1. *III*, 1. 11. 21. *IV*, 1. 10. 20. &c. quibus singulis locis *Geierus* ipse no-

(*b*) Lib. IV. cap. 6. §. 14.

nomen *filii* exponit de quovis homine, paterna Salomonis monita sequi jusso. Cæterum quo minus idem præsenti loco faceret *Geierus*, ei, nisi fallor, obstare visa est altera nostri versus pars, ubi Salomo vetat *obsequium negare matri*. Verum hæc singularis est ἔμφασις, dictumque vult Salomo, se non paterno solum, sed & materno affectu, qui omnium tenerrimus est, prosequi homines, iisque anxie & ardenter velle consultum. Sic & *Esaiæ XLIX*, 15. DEUS ipse affectum matris sibi tribuit. Et *Cantic. VIII*, 1. sponsa suum sponsum vocat *fratrem suum, matris suæ ubera sugentem*: quibus verbis non aliud significat, quam sponsum sibi suum tam carum esse, quam si esset ipsius frater eadem genitus matre eodemque enutritus lacte. Eadem sermonis figura est, cum molles & effeminatis moribus homines vocantur *feminæ* apud *Curtium III*, 10, 10; *VI*, 11, 3; *VIII*, 1, 37; *Suetonium* in *vita Julii Cæs. Cap. 22.* Ergo itaque loci nostri hic est sensus: *Ego Salomo te lectorem, quisquis es, adhortor, ut me audias meisque præceptis obtemperes, profectis quippe ex animo tuæ salutis ita studioso, ut nec pater ullus, nec mater filii sui sit amantior.* Illud præterire non possum, meam sententiam jam *Vatablo* in mentem venisse, qui dictum nostrum παραφράζει hoc modo: *Audi, fili, disciplinam meam, qui in te instituendo fungi volo vice patris, & directionem, quam dederit tibi mens mea, ne repellas.* Immo, his scriptis, præter spem nactus

Com-

Commentarium *Ferdinandi Quirini de Salazar*, lætus video, ab eo adduci *Raduiphum*, sæculi XII. scriptorem, qui hoc loco *accipiat ipsum Salomonem, qui se tanquam patrem audiri & tanquam matrem auscultari suadeat.* Atque huic interpretationi miror non subscripsisse ipsum *Salazarium*, cum tamen argumenta afferat ad illam sententiam stabiliendam, nec verbulum quidem reponat ad eam labefactandam refellendamque. Illud merito adjicio, *Capite V. v. 20.* eadem fere verba repeti, quæ nostro in loco adhibentur, prætereaque subsequentibus ibi verbis confirmari, nec patrem nec matrem naturalem intelligi, sed doctorem plusquam paterno maternoque affectu inflammatum: ut adeo hæc duo loca, *Cap. I. v. 8.* & *Cap. VI. v. 20.* plane sint παράλληλα, mutuoque se illustrent.

## II.

## CAP. XIV. v. 17.

קְצַר־אַפַּיִם יַעֲשֶׂה אִוֶּלֶת וְאִישׁ מְזִמּוֹת יִשָּׂנֵא׃

PRiorem hujus gnomes partem recte vertit *Montanus.* Nam *brevem naribus* dici hominem subito excandescentem ira, liquet ex hujus ipsius capitis *v.* 29. ubi *longus naribus* est homo tardus in irascendo, & *brevis spiritu* est homo in iram præceps. Apud Hebræos enim *naribus* tribuitur iracundia, propterea quod *in*

*naso ira potissimum apparet ex vehementiori spiratione*, ut ait *Glassius* (c): immo quia *sola omnium perturbationum in naso se prodit*, ut observat *Gussetius* (d). Sed & apud profanos scriptores hæc loquendi ratio reperitur. *Theocritus*: (e)

ἐν πύγε πικρὸς
καὶ οἱ ἀεὶ δεινεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται,
*est acerbus*
*Et ei semper acris bilis in naso sedet.*

*Persius* (f): *Ira cadat naso*, hoc est, interprete *Farnabio*, *ne irascere*. *Martialis* (g):

*Sed miserere tui, rabido nec perditus ore*
*Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.*

Jam progrediamur ad cætera. *Faciet* hic loci ponitur pro *facit*: qui Hebraismus, quippe notissimus, probatione non indiget. *Facere stultitiam* prægnanti Scripturæ S. stylo complectitur consequens, adeoque significat *facere stulte*, *suam insipientiam verbis*, *gestibus*, *actione prodere*, *seque adeo deridendum aliis propinare*. τὸ δὲ, quod sequitur, reddi debet *sed*, quia sententia subsequens præcedenti opponitur. Nempe præcipiti ad irascendum homini opponitur *vir cogitationum*, quod non significat hominem, *qui semper cogitat*, *nihil agit*, uti visum est *Vatablo*, sed ut firmiter demonstravit *Geierus*,

(c) Philol. S. p. 1554. (d) Comment. ling. Hebr. p. 81. (e) Idyll. I, 11. sq. (f) Sat. V, 91. (g) Lib. VI. epigr. 64. v. 27. sq.

*rus*, ejusmodi hominem, qui dissimulans iram alterum reddit securum, ejusque opprimendi occasionem tacitus captat. Talem describunt historici Domitianum Imp. *Fronte* erat *laetus*, *pectore anxius*, inquit de eo *Tacitus* (*b*). Idem de eodem (*i*): *Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium.* Idem rursus de eo (*k*): *Domitiani natura præceps in iram, & quo obscurior, eo irrevocabilior.* Eandem indolem in Tarquinio Superbo notat *Livius* (*l*): *Quam rem*, inquiens, *Tarquinius aliquanto, quam videbatur, ægrius ferens, confestim Turno necem machinatur.* Tales innuit *Plinius Secundus* (*m*): *Facilius*, inquiens, *iratos, quam propitios, habere principes.* Ubi respicit ad Domitianum pariter, quem *Suetonius* (*n*) quoque refert fuisse *callidæ inopinatæque sævitiæ, ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset, quam principis lenitas.* De Nerone quoque *Tacitus* (*o*) testatur, eum *factum natura & consuetudine exercitum velare odium fallacibus blanditiis.* Idem (*p*) tradit, Vitellium *odium vernilibus blanditiis velasse.* Hujus generis hominum odium *blandum* vocat & *affabile Seneca* (*q*). In Pœnis crudelem hanc astutiam notat *Florus* (*r*), narrans Cn. Cornelium Asinam Cos. *si-*



(*b*) In vita Agric. XXXIX, 1. (*i*) Ibid. n. 4. (*k*) Ibidem cap. XLII, 6. (*l*) Lib. I. cap. 51. (*m*) In paneg. cap. LXVI. (*n*) In vita ejus cap. XI. (*o*) Annal. XIV, 56. 5. (*p*) Hist. II, 59. 4. (*q*) Lib. II. de benef. cap. 14. (*r*) Lib. II, cap. 2.

*mulato colloquio evocatum atque oppreſſum fuiſſe perfidiæ Punicæ documentum.* Sic & *Curtius X, 9. 8.* de Perdicca Meleagro inſidianti ſcribit: *Alta diſſimulatione conſilium premebat, ut opprimeret incautum.*. In ſacris illuſtria habemus exempla Saulis & Joabi. Audiamus jam, quid exiſtimet Salomo de hac indole. *Odio*, inquit, *habetur*, id eſt, *haberi meretur*, per Hebraismum, multis illuſtratum exemplis a *Glaſſio* (*s*). Significat ſcilicet, obſcuram illam & callidam iram eſſe peſtilentiſſimum vitium, quod merito ſapiens quisque averſetur ſummopere, ac, ne ſibi obſit, provideat. En igitur ſenſum dicti noſtri: *Qui repentina ira accenditur, is ſtultitiam ſuam prodit, ſeque ludibrio omnium exponit. Cumque adeo talis, niſi ſibimet ipſi, noceat nemini, nemo quoque ei iraſcitur, nemo eum timet, nemo odit, ſed ridet. Contra qui iram alte premit & quaſi in ſinu gerit, eaque diſſimulata interim nocere ſtudet, nec niſi vindicta accepta acquieſcit, is peſſimæ indolis homo eſt, merito inviſus optimo cuique.* Hinc prudentiæ nobis diſcenda eſt regula. Nimirum præceps ira non admodum eſt metuenda. In tales enim homines convenit Terentianum illud (*t*): *Inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum.* Sed qui a nobis offenſi iram & odium diſſimulant, (cujus generis homines Græci vocant πικρούς, teſte *Ariſtotele lib. IV. Ethic. Nicom. cap. 5. Seneca lib I. de ira amaros* appellat *atque acerbos*,) ab his vero diligen-

(*s*) Philol. S. p. 763. ſq. (*t*) Eunuch. I, 1. 15. ſq.

ligentissime cavendum est. Hoc sensu verum est *Plinii* illud (*u*): *Pejor odio amoris simulatio.* Adi sis *Piccarti Observationes historicas & politicas*, ubi singulari capite (*x*) ostenditur, odia recondita apertis esse graviora. Moralis philosophiæ doctores prius vitium observarunt in melancholicis, posterius in sanguineis,

## III.

## CAP. XVI. v. 4.

כל פָּעַל יְהוָה לַמַּעֲנֵהוּ וְגַם־רָשָׁע לְיוֹם רָעָה׃

NOtum est, quam abutantur hoc dicto quidam, maxime Supralapsarii, quos vocant, ex quibus nuper *Phil. Naudaeus* hoc potissimum tibicine fulcire absolutum decretum conatus est, Salomonæum illud identidem ingeminans (*y*) Unde nostrates Theologi, itemque Remonstrantes, certatim illud a tam dura asseruerunt interpretatione. Nos, missa controversia, simpliciter verum laudati dicti sensum scrutaturi, ante omnia observamus, allata verba arctissime cum proxime præcedentibus connexa esse. Dederat enim Salomo *v. 3.* hocce præceptum: *Devolve ad Jehovam opera tua, & firmabuntur consilia tua.* Quæ ita παραφράζω: *Fac, quod tuarum est partium, tui muneris, ac strenue operi insiste tuo.* Cæ-

 te-

(*u*) Paneg. cap. 85. (*x*) Decad. IX. cap. 7.
(*y*) In libro Gallice edito adversus Placettam pro absoluto decreto, T. I. p. 57, 153, 154, 176. &c.

*terum progressum actionum tuarum & eventum committe DEO, qui faciet, prout optimum fuerit. Nec tibi soli confidas tuæve prudentiæ & industriæ, sed DEUM roga, ut cœptis tuis benigne adspiret.* Jam *v.* 4. moniti hujus ratio sequitur ac fundamentum. Nam (ita pergit,) *DEUS omnia operatur ad responsum suum.* Cur *operatur* reddam, (quod & *Vatablus* fecit itemque *Lutherus*,) non *operatus est*, causam jam attuli ad dictum præcedens. *Operatio* autem DEI significat ejus providentiam nunquam cessantem : quam *operationem* eodem sensu (quem optime declaravit *Lutherus* (z) ei adscribit Filius *Joan. V, 17.* Ὁ πατήρ μου, inquiens, ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. Cæterum ut Salomonis sensum penitus assequamur, animadvertimus, eum his verbis obviam ire objectioni, quæ & possit & quotidie soleat fieri. Scilicet interdum etiam bonas mentes dubitatio subit de providentia DEI, cum mirantur, pios multis malis conflictari, improbos e contrario felices fere consiliorum suorum successus & exitus habere. Notum est poëtæ illud :

*Cum rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso,)*
*Sollicitor nullos esse putare deos.*

Sic *Q. Claudius Quadrigarius Libro I. annalium*, recitante *A. Gellio* (a) *Hæc maxime*, inquit, *versa-*

(z) Comment. in Genes. Cap. I. f. 18, a
(a) Noct. Attic. Lib. XVII. cap. 2.

*ſatur deorum iniquitas, quod deteriores ſunt incolumiores, neque optimum quempiam inter nos ſinunt diurnare.* Neque vero ſolos idolorum cultores, quos ἀθέους vocat Apoſtolus, hæc inceſſit dubitatio. Etiam ii, qui divina habent oracula, hic aliquando offendunt, quos ſolatur David Pſalmo 37. Immo integrum idque elegantiſſimum opus ad tollendam hanc dubitationem conſcripſit *Salvianus*, pluresque, quos recenſet *Rittershuſius* in ultima pagina Operum *Salviani* tomi prioris. Sed redeamus ad Salomonem, qui dicens, *DEUM omnia ad reſponſum ſuum operari*, declarat, non cœco impetu omnia hoc in orbe ferri, ſed Numen ſapientiſſimum conſtituiſſe certos fines, quo omnia tandem evadere oporteat ipſo gubernante. Cujus providentiæ illuſtriſſimum exemplum ipſa Scriptura S. ſuppeditat in Joſepho, qui, ſpe ampliſſimæ dignitatis divinitus ſibi facta, tam παραδόξοις agitabatur fatis, ut deſperationi interdum fuiſſe videatur proximus. Attamen ejus vitæ quaſi fabula lætiſſimum ſortiebatur exitum, & omnia, quæ pollicitus erat, quæque fieri ad ultimum volebat, præſtabat DEUS. Cæterum cum non ſit לְמַעֲנוֹ, ſed לְמַעֲנֵהוּ, facile aſſentimur *Marino*, *Franc. Junio*, *Geiero*, *Calovio*, & *Guſſetio*, male reddi cenſentibus *propter ſe ipſum*, cum ſit nomen מַעֲנֶה. Atque adeo verba Salomonis hunc in modum interpretamur : *DEUS omnia*

*omnia in hoc orbe dirigit & moderatur ita, ut ipsius voluntati ac proposito respondeant* : (*a*) *licet sæpe ea rerum facies sit, ut nulla rerum humanarum cura DEUS affici videatur.* Quando Salomo pergit : *etiam impius ad diem malum*, (*b*) sub-

(*a*) Quod si hanc interpretationem eruditissimi Viri admitteremus, non video tamen, quid illa contra eos, quos hac observatione tangit, faciat magnopere. Quid enim ? *si Deus* OMNIA *in hoc orbe dirigit & moderatur ita, ut ipsius* VOLUNTATI & PROPOSITO *respondeant;* quod sane facit, ecquis non videt, etiam primum hominis lapsum, omniaque, quae usquam contra divinam legem vel facta sunt, vel fiunt etiamnum, etiam, quod non omnibus & singulis sufficientia ad salutem media concedantur (id quod non sine liberrimo juxta & justissimo DEI judicio fit, propter neglectam, conculcatamque ab Adamo, in cujus fuisse lumbis, & in quo pepigisse foedus cum Deo censemur, ejus cum legem, tum gratiam) non omnes vocentur, fiant Sancti, declarentur justi, & salventur aeternum, HAEC quoque *Deum dirigere & moderari ita, ut ipsius* VOLUNTATI & PROPOSITO *respondeant*, adeoque HAEC *quoque* OMNIA non fieri sine ejus VOLUNTATE, sed aeterno ejus niti PROPOSITO ? T. d. H.

(*b*) Sed, quid si ita posteriora haec verba explicemus, *Impius autem omne operatur ad diem mali* ? Sive *quidquid operatur impius, operatur ad diem mali*, vel *malum*, atque ita το רשע non in casu quarto, ut vulgo fit, sed primo sumitur. Quod ne nobis mirum nimis videatur, id ab ipsis Alexandrinis Interpretibus factum est. Οι δε ἀσεβεις ἐν ἡμερα κακη ὁλωνται, ut & Chaldaeo, qui hunc Versum ita παραφραζει. *Omnia opera Dei sunt illorum, qui ei obediunt, Impius autem*

ſubaudio cum *Grotio* & *Guſſetio*, *deſtinatur a divina providentia*. Per *diem malum* ſignificari



ca-

*autem ſervatur in diem malum*. Quorum veſtigia ex Chriſtianis Interpretibus quoque premunt Vatablus & Grotius. Sed illi omnes ellipſin verbi, quae adeſt, nimis longè ſupplent. Nobis omnium commodiſſime videtur impleri poſſe ex proxime praecedenti phraſi, כל פעל Eum in finem notetur de impiorum operibus illud פעל ſaepe uſurpari. Ita Job. XXXIV: 8. פעלי און commutantur cum אנשי רשע. Sicut Pſ. XXVIII: 3. cum רשעים, quos Phraſi Salvatoris dicas τους ἐργαζομενους την ἀνομιαν Matth. VII: 23. De impio, רשע, dicitur Prov. XI: 18. eum facere פעלת שקר. & Pſ. IX: 17. eum illaqueari בפעל כפיו Michae II: 1. *Vae* denuntiatur, פעלי רע, Pſ. XXVIII: 4. *operantibus malum in lectis ſuis*. Vide etiam Eſ. LIX, 6. XLI, 24. Atque ita ſenſus horum verborum eſſet. Quidquid impii moliuntur, quidquid agunt, eo ſuas ſibi augere poenas, &, quod meruere, attrahere exitium, vel potius, ut verbis Paulinis utamur ex Rom, II, 5. quae cum his conferri debent omnino, θησαυριζειν ἑαυτοις ὀργην ἐν ἡμέρᾳ ὀργης καὶ ἀποκαλυψεως δικαιοκρισιας του Θεου. Ibi quod Salomon vocat יום רעה Apoſtolus vocat ἡμεραν ὀργης ſicut: רשעים פעלי רע ex verſu 9. ſunt κατεργαζομενοι το κακον. Neque haec interpretatio abludit a ſcopo quem ſibi Salomonem ob oculos poſuiſſe monuit politiſſimus Heumannus, ut doceret, tametſi videantur omnia impiis ſuccedere ex animi ſententia, nihil tamen fieri ſine Dei decreto, neque debitas ſcelerum poenas evitaturos, cum omnia, quae faciunt, viam muniant ad exitium, &, quemadmodum diligentibus Deum, omnia ad bonum, ita ex oppoſito impiis omnia ad malum cooperentur. T. d. H.

calamitates, quæ manent improbos, & infaustos exitus, satis probavit *Geierus*. (c) Sic *Psal. XXXVII, 18. dies piorum* sunt prospera ipsorum tempora. Atque adeo istis verbis Salomo vult, DEUM providentia sua ita moderari improborum hominum fata, ut, licet ii aliquamdiu felicissime rem gerant, probisque insultent& eos acerbissime vexent, tandem tamen in turpem & tristem desinant catastrophen. His verbis adducimur, ut statuamus, verborum Salomonis copiosum interpretem esse psalmum trigesimum septimum, filiumque hoc loco *v. 3. & 4.* paucis docuisse, quæ uberius sanctissimus ipsius parens enarrarat. Conf. Psalmus LXXIII. Atque hinc discamus divinæ confidere providentiæ, ac firmiter nobis persuadeamus, cum non omnia ex voto nobis succedunt, omnia ta-

(c) Locis à Geiero adductis adde Ps. XCIV, 13. Eccl. XII, 1. & confer Eph. V, 16. Quod si autem quisquam per hunc *diem malum* praecipue intelligi velit Diem futurum judicii, quem Judaei vocant יום דינא רבא quique in sacris κατ ἐξοχην vocatur Dies Luc. XXI, 34. 2. Tim. I, 12. IV, 8. magna dies Jud. v. 6. Dies Dei 2. Petr. III, 12. & Domini 1. Thess. V, 2. Dies judicii Matth. X, 15. illi eo quidem non valde refragabor. Ceterum, ut *dies mali* notant calamitates, & poenas, ita *dies boni* designant tempora laeta, felicia, & bonorum affluentia, non apud Germanos nostros solum, sed & Ebraeos. Vide Esth. IX, 22. Job. XXI, 13. Eccl. VII, 14. T. d. H.

tamen tandem exitum nanciſci nobis ſalutarem. Τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν θεὸν, inquit Paulus *Rom. VIII, 28.* πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν.

## IV.

## CAP. XVIII. v. 1.

לְתַאֲוָה יְבַקֵּשׁ נִפְרָד בְּכָל—תּוּשִׁיָּה יִתְגַּלָּע׃

HAec verba ita exponit *Vatablus*: *Præ amore ſapientiæ quaerit ſapientiam ſapiens, ſejunctus ab hominibus, hoc eſt, poſthabitis rebus omnibus: & in omni doctrina ſana admiſcere ſe ſolet.* Cum *Vatablo* ſentit *Grotius*, verba Salomonis hunc reddens in modum: *Quantum lubet, inquirit* (*ſupple*, rerum naturam, *ex ſequentibus*,) *is, qui ſubducit ſe turbæ: in omni rerum natura miſcet ſe.* Eandem ſententiam ſequitur & tuetur *Albertus Schultens* in *Animadverſionibus* ſuis *ad varia loca V. T.* (*b*) *Geierus* hunc Salomoni ſenſum tribuit: *Sunt, qui ambitioſo ſingularitatis ſtudio pro lubidine prava in ſententiis ſe ſeparant ab aliis, & varia conquirunt diſſentiendi argumenta, inque omni ſcibili ac ſapientia verſati volunt videri, omnique adeo ſe ſapientiæ immiſcent.* *Guſſetius* interrogandi ſenſu verba iſta exponit, atque ſic reddit: (*c*) *An ille, qui ſequeſtratus eſt, quærit concupiſcentiæ? venaturne objecta, quibus eam expleat?* Quæ alio loco (*d*) lucidius declarat, ut is verborum jam recitatorum ſenſus ſit: *Vir* μισάνθρωπος, *ſocietatem hu-*

(*b*) P. 236. ſq. (*c*) p. 71. D. (*d*) p. 146. G.

*humanam non colens, quaerit & venatur res illas, quas libido ejus appetit, & tunc omnia media cupiditatis explendæ approbat & adhibet cœco impetu.* Plures coacervare sententias, alienum ab instituto nostro est. Satis jam liquet ex adductis, interpretes in omnia alia discedere & δὶς διὰ πασῶν discrepare. Quare & nos ingenue fatemur, videri nobis hunc locum tantis immersum tenebris, ut nostram sententiam non nisi pro conjectura cæterorum interpretum conjecturis meliore venditare cogamur. Scilicet videtur hoc dictum esse connectendum cum duobus proxime præmissis versibus, ubi dixerat Salomo, *sapientis esse, temperare linguæ, verborumque parcum esse: stultum quoque, si taceat, videri philosophum & sapientis præbere speciem.* Jam sequitur ἀντίδοσις. *Ast*, inquit, *stultus homo*, cætera. Non quidem diserte hic leguntur ista verba: sed quo minus per ἔλλειψιν subaudiantur, nihil obstat. Ac lætus deprehendi, *Gussetium* in δευτέραις φροντίσι (e) hactenus subscribere meæ sententiæ, prioremque suam interpretationem emendare. Atque eam ἔλλειψιν hic habere locum, connexio hujus versus cum præcedentibus fidem facit. *Quamvis*, inquit Salomo, *ut versu proxime præcedenti dictum, stultus tacendo speciem conciliare sibi possit hominis sapientis, tamen id facere, id est, tacere nullo pacto potest.*

*Nam*

(e) In Addendis p. 915.

*Nam sentit* תַּאֲוַת *in animo suo, hoc est, acre desiderium loquendi suamque expromendi sapientiam scilicet: illudque desiderium adeo ipsum angit, ut studiose quærat sapientem virum, qui tamen a stultis separatus vivere gestit eorumque commercia diligentissime vitat.* נִפְרָד ergo accipimus casu quarto, & exponimus *hominem, qui sapientiæ vel pietatis studio solitudinem & secessum quærit*, quam notionem ex Arabismo satis probavit laudatus *Abertus Schultens*, qui eodem modo τὸ נִפְרָד declarat, antecessores habens *Grotium* atque *Vatablum*, ut ex ipsorum versionibus supra productis manifestum est. Quo fine, inquies, stultus ille quaerit sapientem? Nempe non ut ab eo discat, sed ut suscepta cum ipso disputatione quietem sapientis interpellet, eique suas opiniones falsis nixas præjudiciis vi quasi quadam obtrudat. Hæc enim est sequentium verborum sententia, quæ ita reddenda censeo: *Contra omnem sapientiam sese opponit*, id est, spiritu agitatus disputatorio *levis, futilis & importunus oblocutor* (ut *Gellii* (*f*) verbis utar,) sententias a se dissentientium acriter impugnat, & plane bellum excitat & ferale schisma. Itaque בְּכֹל reddo *contra omnem*. Sic de Ismaële dictum est *Genes. XVI, 12. ejus manum futuram esse* בכל *CONTRA omnem hominem, & manus omnium hominum* בו *CONTRA* ipsum. Quod vero תּוּשִׁיָּה significet

(*f*) Noct. Attic. lib. I, cap. 15.

ficet *ſapientiam*, luculenter demonſtravit *Geierus*. (*g*) Cæterum *loquacitatem* ſtulti hominis ſignum eſſe, quemadmodum Thaletis Mileſii judicio *pauca verba prudentis animi ſunt indicium*, alibi quoque docuit Salomo noſter. (*h*) Scilicet ſapientes non *loquendi* ſolum, ſed etiam *tacendi artem* norunt. (*i*)

## V.

## CAP. XXV. v. 22.

כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל-רֹאשׁוֹ וַיהוָה יְשַׁלֶּם-לָךְ׃

ANtehac *Eraſmi* expoſitio mihi præ cæteris placuit, quo judice (*k*) Salomo jubet beneficiis obruere inimicum, *quo tandem reſipiſcat, & meritis lenitateque noſtra victus ex hoſte fiat amicus.* Huc referebam illud *Prov. III, 3. 4. Miſericordia & candore aliis obviam eas, & invenies gratiam.* Nimirum ſub ſymbolo ignis non raro deſcribitur ſummus amor, & *prunæ amoris* memorantur *Cantic. VIII, 6.* Uti igitur fax facem accendit, ita amore tuo beneficiis comprobato alterum tibi reconcilia. bis, ut non poſſit te non redamare. Hanc igitur faciebam paraphraſin verborum Salomonis: *Dum beneficiis afficis inimicum tuum, ignem immittis capiti ejus, id eſt, efficis, ut ex ejus*

(*g*) Comment. ad Prov. II. v. 7. p. 87. (*h*) Prov. X, 19. XXIX, 20. (*i*) Vid. Verulamius lib. VIII. de augm. ſcient. c. I. p. 384. ſq. Morhofii Diſp. *de eloquentia in tacendo.* (*k*) Annot. ad Rom. XII, 20.

*ejus capite quasi prodeat flamma mutui amoris, utque adeo is erga te mutua inardescat charitate.* Trahebam huc verba Pauli, quæ recitato Salomonis monito statim subjicit *Rom. XII, 21. Vince tu malum*, hoc est, odium alterius in te, *bono*, id est, beneficiis. *Vince odium ejus*, inquiebam, hoc est, evelle odium ex animo ejus, ut odio succedat amor tui. Verum postquam diligentiore cura in sensus investigationem incubui, priorem meam sententiam, quæ præter *Erasmum* alios quoque subscriptores habet, repudiare melioremque amplecti coactus sum. Quænam igitur est illa? Nempe ego simplicitatis studiosus ita verba Salomonis converto & expono: *Si inimicus tuus esurit, ciba illum: sitientem pota. Nam tu quidem hoc faciens prunas in ejus caput congeris, sed Jehova reddet & repensabit tibi. Congeris* inquam, non *congeres.* Nam præsens tempus clarissime exstat in Hebraica oratione, ubi legimus hæc: *tu congerens es*, id est, congeris. Futurum vero tempus subjungitur: *Jehova reddet tibi.* Cum igitur *congeris* sit reddendum, sequitur hinc, eo ipso, dum beneficia conferuntur in inimicum, eo ipso, inquam, in ejus caput ingeri prunas. Quid autem est *ingerere prunas in caput alterius?* Studeant alii subtilitati per me licet. Mihi quidem istud non aliud videtur esse, quam inanem insumere laborem. Scilicet hoc quoque loco rex sapientissimus antevertit objectioni hominis ita secum

cum cogitantis: Cur tam demens sim, ut inimici mei utilitatibus inserviam, cum is adeo non referat par pari, ut etiam injuriam reddat pro beneficio? *Benefacta male locata malefacta arbitror* cum *Ennio* (*l*).

*Qui pretium meriti ab improbis desiderat,*
*Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat:*
*Impune abire deinde quia jam non potest* (*m*).

*Improbus* enim homo *beneficium scit sumere, reddere nescit*, ut ait *Plautus* (*n*). Quare qui inimico præstat beneficia, prunas congerit in caput ejus, hoc est, oleum & operam perdit. Hactenus loquentem induxi hominem, cui illico respondet Salomo. Cujus responsionem antequam audiamus illud adagium meo sensu acceptum paucis illustrabo. Nimirum in cujus caput prunæ ingeruntur, statim eas excutit. Adeoque hoc proverbium idem vult, quod hujus generis alia, e. g. *laterem lavare* vel *AEthiopem*, *aquam e pumice poscere*, *cribro aquam haurire*, *in aqua sementem facere*. Respondet autem Salomo ad istam objectionem, minime proptera probos homines illa ἀχαριστία absterreri debere a beneficiis in inimicos conferendis. *Quod ad inimicum*, inquit, *attinet*, *sane prunas in caput ejus ingeris*, *id est*, *oleum perdis*

(*l*) Apud Cic. de Offic. lib. II. cap. 18. (*m*) Phaedrus lib. I. fab. 8. v. 1. (*n*) In *Persa* V, 1. 10.

*dis atque operam : ſed* (ו enim expono notione adverſativa,) *DEUS tibi rependet collata in eum beneficia.* Pari modo Chriſtus *Matth. VI,* 1. jubet pauperibus dare eleemoſynas, compenſationemque a DEO expectare : cum, uti inimicis non libet, ſic pauperibus non liceat referre gratiam. Idem *Matth. V, 44. 45.* jubet nos benefacere inimicis noſtris, eaque in re ſequi exemplum ipſius DEI, ſole ſuo non ſecius impios, ac pios, colluſtrantis. Cæterum ſi quis putat, interpretationi meæ adverſari Paulum Apoſtolum *Rom. XII, 20.* is primo cogitet, Apoſtolum illum non verba Salomonis, ſed interpretis Græci, recitare; deinde recordetur, (quod non incognitum eſt literarum ſacrarum interpretibus,) Apoſtolos ſæpius dicta V. T. eo ſenſu producere, quo ſuo ævo ſolebant capi a Judæis. Sic *Petrus* prioris epiſtolæ *Cap. IV. v. 8.* adducit non ſenſu Salomonis, ſed ſenſu communiter tum recepto, qui aliis verbis exprimitur *Dan. IV.* 24. Si libet, Lector, adi etiam doctiſſimum *Majum* juniorem, qui *lib. IV. Obſ. ſacr. cap. 27. p. 91. ſq.* Salomonæa verba alio ſenſu (ſed, ut mihi quidem videtur, alieno) interpretatus eſt.

## VI.

## CAP. XXX. v. 2. 3. 4

כִּי בַעַר אָנֹכִי מֵאִישׁ וְלֹא בִינַת אָדָם לִי׃ וְלֹא־לָמַדְתִּי
חָכְמָה וְאֵדַע קְדֹשִׁים אֵדָע׃ מִי עָלָה־שָׁמַיִם וַיֵּרַד׃

Hæc verba Aguris omni tempore crucem fixerunt interpretibus. Vulgo ea accipiunt pro confessione naturalis coecitatis, qua mentes hominum laborant, maxime quod attinet ad mysteria. Vid. *Geierus* & *Calovius* ad h. l. *Witsius Misc. S. lib. I. cap. 18. §. 28.* Ad allegoricam explicationem confugit *Henricus Hulsius* in singulari commentario ad Paroemiastæ Cap. XXX. & XXXI, edito Lugd. 1693. 4. Sed merito pias hujus viri nugas a seria & severa verbi divini contemplatione excludimus. Aliam, sed æque contortam interpretationem proponit Gussetius. (o) Nobis aliam ingredi viam, eamque planiorem, placet. Scilicet constat inter Criticos, quam sæpe pravo sensui locum fecerit omissio signi interrogandi: id quod exemplis compluribus manifestum fecit *Jo. Clericus* in *Arte Critica* (p). Subit hic memoriam illustris ille locus *Jesaiæ IX, 3.* ubi τὸ *non* per *nonne* reddendum esse facile assentior *Carpzovio* in seinen Tugend-Sprüchen. Addo jam aliud hujus rei exemplum ex loco præsenti. Nimirum Agur, præcepta prudentiæ traditurus, ad inimicos suos, qui eum vilem habebant, & ineptum sapientiæ magistrum judicabant, statim initio sui sermonis orationem convertit, &, quod vehementis animi signum est, in hæc verba erumpit: *An*, inquit, *putatis, me esse omnium im-*

(o) p. 254. & 600. (p) P. III. Sect. I. Cap. XI. editionis novissimæ.

*imperitiſſimum, nec ſapientiam ſanctorumque præcepta didiciſſe?* Hæc interrogatio proditur particula כִּי, quam ſæpius pro *num*, *an* adhiberi, multis exemplis oſtendit *Geierus* ad hujus ipſius capitis verſum quartum (*q*). Quod autem כִּי hic loci ſit interogativum, eo ipſo confirmatur, quod eodem ſenſu repetitur ſequenti *v. 4.* כִּי תֵדָע, *an noſti?* Pergit Agur: *Quis adſcendit in cœlum & inde deſcendit?* Quæ verba rurſus directa ſunt ab Agure ad contemtores ſuos, quos ita affatur: *Quis quæſo*, veſtrum ὁ δοκησίσοφοι, *adſcendit in cœlum, & hauſta ibi ſapientia ad mortales rediit, eos docturus myſteria mentibus humanis impervia?* Hanc inimicorum allocutionem proſecutus verſu quarto, ſequentibus præcepta tradit ſaluberrima. Cæterum in hac me ſententia confirmant loci paralleli *Jobi XI, 7. ſq. XV, 7. ſq. XXXVIII, 2. ſq. XL, 2. ſq.* ubi pari ratione provocantur & in ruborem dantur turgidi ſapientiæ oſtentatores.

## VII.

## CAP. XXX. v. 31.

זַרְזִיר מָתְנַיִם אוֹ תַיִשׁ וּמֶלֶךְ אַלְקוֹם עִמּוֹ׃

POſtrema duntaxat præſentis dicti verba expoſitum imus. Scilicet Salomo hoc & præcedenti verſu proponit quatuor ani-



(*q*) pag. 1560.

malia, quæ intrepide incedant, quorumque occursus cæteris metuendus sit. Primo loco leonem nominat, quem ait ad nullius animantis occursum expaveſcere retroque fugam capeſſere: ultimo regem, cujus ſane potentia omnibus eſt formidabilis, ut nemo, niſi ſtolidus, iram ejus ſponte in ſe concitet. Unde ait: אַל־קוּם עִמּוֹ quod ego ſic reddendum duco: *ne ſurgas adverſus eum*, hoc eſt, noli cum eo pugnam inire, cui victoria certiſſima eſt maximo tuo malo. עִם hoc loco ſignificat *adverſus*, *contra*: quo ſignificatu eadem vocula, idque cum eodem verbo קוּם juncta, occurrit *Pſal. XCIV*, 16. מִי־יָקוּם לִי עִם־מְרֵעִים *quis ſurget mihi* (id eſt, mecum) *contra impios?* Porro אַל־קוּם, *ne ſurge*: quales voces plures in codice S. occurrere notat ad h. l. *Geierus*. Nec moveor, quod אַל hic præponitur imperativo, cum mos ſit, eam particulam præfigi futuro tempori. Nam hoc eſt inter rariora referendum, qualia plura in his paræmiis occurrunt. Sufficit, meam interpretationem ſtabiliri ipſius Salomonis verbis, quæ de leone præmiſerat. Uti enim leonem dicit imperterritum viam proſequi ſuam, ipſum cæterorum terrorem animalium; ita regi quoque vim leoninam tribuit, adeoque, ne quis in eum inſurgat, monet.

## ADDITAMENTUM.

PRo appendice eruditis expendendam offero conjecturam meam de *Lemuele*, *Cap. XXXI*,

*XXXI*, 1. nominato, qui & *Lemoel* vocatur *v.* 4. Interpretum plerique omnes Salomonem ipsum existimant hoc nomine adumbrari: a qua tamen sententia non solum *Grotius* discessit, verum etiam è nostris *Lucas Osiander*. Is enim in sua ad hunc locum annotatione ita scribit: Ich halte dafür / daß dieser Lemuel sey ein Fürst gewesen in irgend einer Stadt unter den Israelitischen Stämmen / dessen Mutter besondere Gaben des Heiligen Geistes gehabt / und habe ihrem Sohn folgende Lehren vorgeschrieben: Welche / damit sie nicht verlohren würden / zu Ende dieses Büchleins der Sprüche Salomo nicht uneben hinangehänget werdē. Mihi in mentem venit statuere, Lemuelem esse Samuelem prophetam. *Samuel* enim significat filium *a DEO exoratum*: *Lemuel* eum, qui *DEO dicatus est*, tanquam proprius. Uti igitur Samuel propheta, cum nascebatur, vere erat *Schemuel*: Sic, postquam a matre divino ministerio consecratus esset, recte *Lemuel* dicebatur. Hæc sententia, præterquam quod in Scriptura S. non raro unus pluribus gaudet nominibus, inde quoque confirmatur, quod mater Samuelis, Hanna, mulier fuit sanctissima, quæ haud dubie filium suum præceptis impertivit optimis. Accedit, quod *v.* 2. mater Lemuelem vocat *filium votorum suorum*, id est voto sæpius concepto a DEO expetitum. Talis enim fuit Samuel, uti constat ex 1. *Sam. I*, 11: Salomoni autem id nominis quomodo convenire

possit, non video. Dices, nec Samueli *regis* nomen deberi, quod *v.* 1. tribuitur Lemueli. Enimvero nomine illo nego indignum esse Samuelem. Fuit enim (vid. 1. *Sam. VII*, 15. 16. 17.) *judex* populi Israelitici, adeoque de eo dici potest, quod apud *Corn. Nepotem* de Miltiade (*r*) legimus: *Erat inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine.* Et quod *Virgilius* (*s*) ait:

*Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,*

idem de Samuele dicere licet (*t*). Sic hoc ipso Cap. XXXI. 4. per *regem* significatur *judex*. Ac in libro *sapientiæ cap. VI*, 1. & *IX*, 7. *reges* & *judices*, βασιλεῖς ac δικασαὶ, ponuntur synonymice. Alibi quoque locorum in codice sacro nomen מֶלֶךְ signare *judicem*, jamdudum observavit *Liberius de S. Amore*, id est, *Joh. Clericus Epist. Theol. p, 298. & 306.* Cæterum cum *reges*, sive quocunq; nomine utatur reip. præfectus, fere peccent libidine, comissationibus & injustitia: hinc a tribus hisce vitiis graviter filium dehortatur mater sanctissima. Postremo non miror, hasce sententiolas annexas fuisse, ne perirent, Salomonæis. Salomonis enim ætas non adeo longe distabat ab illo tempore, quo Samuel vixit, quippe qui Salomonis patrem regem Israelis unxerat.

VII.

(*r*) *In vita ejus Cap. II. n. 3.* (*s*) *AEneid. III, 80.*
(*t*) *De regibus iisdem & sacerdotibus vid. Grotius de imperio summarum potestatum circa sacra Cap. II. §. 4 & Fabricius Bibliogr. antiquar. Cap. XIII. §. 2.*

VII.

# PHILIPPI DAVIDIS SCHROEDELII,

In eccleſia Reformata Hanovienſi V. D. M.

# Dubia circa INNATAS IDEAS.

§. I.

ILluſtris ſane, eximia, nec ſatis unquam prædicanda hominis, præ omnibus aliis creaturis, qualescunque ſint, prærogativa eſt, quod res univerſæ hujus mundi ſive corporum, ſive ſpirituum, non uno modo per compendium in ipſius partibus & natura repræſententur. Nemo ferè eſt, quem lateat tritum illud philoſophorum ſermone proverbium, quo hominem, barbara licet voce, microcoſmi nomine inſignire ſueverant, ac per ſingulas quoque ipſius partes inſignem ac perelegantem utriusque convenientiam demonſtrarant. Non autem ſubſtitit in hiſce ſapientiſſimi & potentiſſimi conditoris digitus, quin ſimul compendium in quibusdam hominis facultatibus ſingularibus con-

ſtruere & adornare ipſi volupe fuerit; cuivis enim quotidiana experientia obvium, quam late pateat hominum quorumvis, cætera ſtupidiſſimorum, vis imaginandi, & res quasvis corporeas, maxime diſſitas, multisque antè annis in nativa ſua forma, magnitudine, ſitu & pulchritudine conſpectas, per minutiſſimas cerebri imagunculas præſentes ſibi ſiſtendi. Hæc licet grande quidpiam & auguſtum ſint, ſuo tamen pretio nequaquam accedunt ad inſignem illam mentis præſtantiam, qua corpori juncta, nil tamen, ratione eſſentiæ, commercii cum corpore habens, rerum non ſolum extenſarum, ſed & cogitantium, ipſius quoque Entis perfectiſſimi, imagines conceptus, picturas, notiones & repræſentamina poſſidere dicitur.

§. 2. Nemo eſt, quantum quidem ſcio, qui negaverit unquam, hominem hac eximia facultate exornatum eſſe, ut tantum non omnium rerum cogitantium & corporearum imagines & picturas, ſucceſſu temporis, intervenientibus crebris meditationibus, induſtria, diſcurſu, experientia & auſcultationibus in ſe vel deprehendat vel acquirat vel accipiat: lippis & tonſoribus etiam notum eſt, quam acriter & moroſe hactenus inter partes diſſidentes pugnatum ſit de modo & ratione qua imagines illæ, quas vocant, menti humanæ inſint; ſtatuentibus quibusdam eas ab ipſo Deo menti à primo nativitatis ſuæ momen-

mento, certo quodam modo esse inditas: aliis è contrario asserentibus successu temporibus formari eas per discursum: aliis tandem eas menti plane non ineſſe, sed in ipso Deo eas ab humana mente arctissime cum Deo conjuncta & in Deo vivente, cerni suo modo & conspici contendentibus.

§. 3 Cui harum sententiarum opinio nostra, quam hactenus fovimus, & in animo nostro, justo argumentorum pondere statuminare studuimus proxime accedat, inpræsentiarum plane non pandimus, dubiis multis, pollicem nostrum retinentibus, præpediti. Ingenue tamen fatemur minime omninium hactenus se commendasse nobis eam, qua discursui ab arbitrio hominum suspenso idearum & conceptuum causa fons & origo prima assignatur: Illa vero qua ipsi Deo ineſſe ideæ creduntur, hactenus quidem nobis imperceptibilis fuit: Omnium vero magis probabilis, rationalis & plausibilis semper visa fuit illa, qua ideæ communiter dicuntur innatæ, seu à nativitatis hominis primo momento à Deo ipso inditæ, vel inscriptæ, vel insculptæ. Interim tamen non desunt multi scrupuli, dubia & difficultates, quæ plenum nostrum assensum & ab hac sententia hactenus cohibuerant, quas difficultates paucis hisce adumbraturi & cujusvis sapientiæ veræ cultoris ac scrutatoris judicio & disquisitioni subjecturi sumus.

§. 4. Primum igitur dubium ortum nobis

est ex ipsa philosophis receptissima idearum definitione, quæ ab omnibus traditur, quod sit mentis humanæ conceptus, cujus ope unamquamque rem, à se ipsa distinctam, sub certa & determinata forma repræsentare seu præsentem sibi sistere valeat: in omni ergo idea simplex primum est & generalis mentis cogitatio, tanquam ideæ uniuscujusque materia, insuper vero requiritur etiam certa quædam forma, cujus auxilio rem quandam specialem sibi ita repræsentare valeat, prout est ab aliis rebus per certam formam distincta: unaquæque enim res ab aliis rebus est distincta per certam suam formam, quæ ipsi est peculiaris, nec cum aliis rebus communis, adeoque menti etiam repræsentari debent prout sunt ab invicem ipsæ distinctæ: hæc autem forma quando à mente removetur, nil relinquit nisi generalem mentis cogitationem, tanquam materiam alii cuidam formæ recipiendæ & sustinendæ aptam, cum vero neminem philosophorum, quorum scripta lustrare hactenus nobis contigit, deprehenderim, qui negaverit formam talem à mente interdum removeri, interdum vero reduci mentique de novo induci posse, inde quidem valde dubitare cœpi, an mentis meæ natalibus illæ coævæ fuerint, quia secundum propriam suam formam ipsi non sunt coæquales sem per, quod tamen requiri mihi videbatur, si ejusdem cum mente ætatis esse dici mererentur

tur. Equidem ignotum nobis non eſt quam caute hic idearum innatarum patroni incedant, quamque vehementer inculcent omnibus, mentem ideas ſuas non habere ſemper in actu ſecundo, ita tamen eſſe conditam & à Deo ipſo determinatam, ut poſtulante neceſſitate, ferente ſic occaſione, judicio voluntatis interveniente, mens eas in ſe deprehendat, & ita ac non aliter ſe determinatam eſſe experiatur, adeoque merito iſtos conceptus menti noſtræ poſſe dici congenitos: *Sed idem illud eſt* quod mihi rem ſerio & *debita mentis attentione* perpendenti dubium alterum ſuggeſſit.

§. 5. Alterum ergo dubium mihi obortum ex ipſo illo modo, quo ideæ vulgo dicuntur innatæ, non enim dicuntur ita innatæ, ac ſi mens à primo nativitatis momento iis tanquam actualibus rerum picturis & imaginibus plena ſit, nec, ac ſi eas ſemper in actu ſecundo in propria ſua forma ſimul præſentes haberet, quod etiam in ſe conſideratum omni dubio caret & veriſſimum eſt, ſed hæc perpetua mea hæreſis fuit, quod omnes res, quæ alteri alicui jure innatæ dicuntur, ita illi innatæ dici debeant, ut ipſi ſemper adſint, idque non ſolum ratione materiæ ſed etiam ratione formæ, nam forma dat eſſe rei, &, forma hac ablata, auffertur quoque rei Eſſentia, ita E. gr. omne corpus organicum omniaque ejus membra integrantia producuntur ſtatim, non ſolum ratione

tione materiæ ſed etiam ratione formæ, licet ratione gradum, magnitudinis, vigoris, roboris & alacritatis, creſcere indies, augeri majoraque effici queant: ita, obſervantibus philoſophis, in quovis pomi acino integra arboris alicujus forma, licet minutiſſimis partibus contexta, cerni & deprehendi per quoddam oculorum adjumentum poteſt, ita etiam, ſi non omni ex parte fallor, ſe res habere debet in ſubſtantiis cogitantibus, in quibus res innatæ ſimul etiam natæ ſimpliciter dici poſſunt, idque non ſolum ratione materiæ & fundamenti, ſed etiam ratione formæ, nam ante formam res non habet Eſſentiam, quomodo vero ſano ſenſu & illibato communi conceptu id dici poteſt innatum, quod nondum natum, nondum autem natum eſt quod ſine forma eſt, vel eſſe ad minimum, deſtructa ſua forma, deſiit: Ita huic noſtræ ſententiæ ſeu magis ſcrutinio inſervit illud ipſum exemplum, quo acerrimi quidam idearum innatarum propugnatores utuntur, deſumtum à corpore, quod aptum iis dicitur, ſuccedente tempore, ad recipiendas quamplurimas figuras, inprimis materia ſubtiliſſima, quæ quovis modo figurari apta eſt, ſed quis ſine luminis læſione diceret, haſce figuras omnes hiſce corporibus eſſe innatas? licet ſint prædita naturali ad eas recipiendas aptitudine, ita homini quoque naturalis eſt loquendi facultas, ſed, ut articulate hac aut illa

illa lingua loquatur, ab uſu & crebra exercitatione pendet, ita, ut loquitur ipſe, quod tamen miror, Claubergius, menti naturale quidem eſt cogitare, ſed quod ſub hac aut illa forma cogitet, id aliunde pendet, adeoque, re ſic comparata ipſæ ideæ ægerrime ferunt, ſe dici innatas, quod tamen beatæ memoriæ Roëllius, non obſtantibus hiſce circumſtantiis & conditionibus, omni virium contentione ex conſuetis philoſophorum etiam gentilium loquendi formulis comprobare ſtuduit.

§. 6. Sed quando oculos mentis, intra omnia ipſius mentis pomœria, fixa meditatione, circumagimus, ipſa quoque ejus natura dubium quoddam miniſtrabit: conſtat nimirum de ea quod ſit ſubſtantia ſimplex, cujus tota eſſentia cogitatione abſolvitur, ſimul vero perfectioni, maxime finitæ, quo fit ut ipſa, in ſeſe conſiderata, plures actus ſecundos ſimul, uno eodemque temporis momento, habere nequeat, adeoque exinde porro ſine erroris periculo colligi poſſe mihi videtur, præter unicam rei alicujus formam; menti ſimul, uno temporis momento, inhærere non poſſe, ſi nimirum menti ipſi ineſſe vel innatæ eſſe dicuntur, quandoquidem unica talis forma totam mentem, tanquam rem ſimpliciſſimam, & ratione actus ſecundi, unicæ alicui rei ſemper adfixam, implet & occupat, ſiquidem, philo-

philoſophis haud refragantibus, nihil aliud eſt niſi ipſa mens cogitans de hac aut illa re ſub certa & ſecundum rei Eſſentiam determinata forma: Id ipſum autem quotidianæ experientiæ repugnare videtur, per intimam quemq; conſcientiam docenti, mentem noſtram unico eodemque ſæpe actu plurium immo multarum rerum vel materialium vel cogitantium ideas, &, per eas, rerum Eſſentias ſpectare, tueri & contemplari, quæ tamen ſunt ratione formæ diverſiſſimæ, adeoque fere exinde concluderem, ideas illas, ceu tot rerum imagines, non exiſtere in ipſa mente, ſed ineſſe aliis alicui ſubſtantiæ, mente humana multo perfectiori, intime tamen cum mente humana unitæ, in qua, ob Eſſentiæ perfectionem valde eminentem, plures ideæ concurrere & menti humanæ ſaltem contemplandæ objici poſſunt, quod tamen non determino, qui ſatis habeo, in ipſa mentis natura haud levem inveniſſe difficultatem, quæ ipſi tantas nativitatis divitias dubias reddere poteſt, nam ſi ne certum quidem eſt ideas menti ineſſe, multò minus certum, eas ipſi à nativitate infuiſſe, &, licet ſuccedente tempore per actus alternantes ei inſint; iterum propterea non poſſunt dici innatæ.

§. 7. Vulgaris pariter idearum diviſio in innatas, adventitias & fictas ſeu factas, huic ſententiæ haud exiguum præjudicium creat; ſcio equidem, & in anteceſſum quoque mo-

nen-

nendum duco, philoſophis ſemper in primoribus labris verſari, ideas adventitias non plane novas eſſe, ſed à rebus, extra mentem exiſtentibus, ceu idearum in mente archetypis, interveniente & concurrente voluntatis determinatione, excitari ſaltem: ſerio etiam monent, ideas fictas ſeu factas, quas diſpeſcunt iterum in veras ſeu falſas, præſupponere ideas generales, ſimplices & innatas. Sed quod ad primas, adventitias nimirum, attinet, non capio, cur ideæ in natalibus ſibi ſimillimæ, *in excitatione* diſſimillimæ evadant, *illis*, quæ in emphaſi innatæ dicuntur, per ſe & ſua ſponte ſeſe ex cortice, ſub qua naturaliter deliteſcunt, evolventibus & in conſpectum mentis, ſine ulla alia excitatione prodeuntibus, hiſce vero, adventitiis, alto ſopore interea ſepultis, donec objecta, januam mentis ferientia, ex nativa ſomnolentia eas excitent. E contrario argumentamur, quod rei alicui innatum eſt, id ſinè alterius rei interventu in ea deprehendi & obſervari poteſt, nam concedam hac vice, id etiam innatum dici poſſe quod alicui rei per potentiam ineſt, hocce non magis verum eſſet, de iis, quæ proprie & ſtricte innatæ dicuntur, quam de iis, quæ propter fictam illam excitationem adventitiæ dicuntur, ſimul tamen æque ac priores innatæ ſunt, adeoque ſimillimæ ſibi ſunt in nativitate, hinc firmiter concludi poſſe cenſeo, ſi omnes ideæ maxime ſibi pares ſunt in actu primo, pari etiam modo procedente

dente tempore, in actum secundum transferri à mente possunt, atqui vero mens ideas quasdam innatas evolvit & deprehendit sine tali excitatione, ergo pari ratione cæteras quoque, procedente tempore, invenire poterit, vel ad minimum posse, dici deberet, licet non semper faciat: hocce vero concesso, in aprico est, mentem humanam, debita attentione adhibita, sine excitatione tali externa & occasionibus forinsecus oblatis, omnia quoque sensuum objecta per ideas illas cognituram, &, etiamsi visus, auditus, tactus & olfactus organis destituta esset, tandem tamen de coloribus, figuris, sonis, odoribus atque saporibus æque promte, accurate & infallibiliter judicaturam, atque, teste experientia, nunc facit, omnibus hisce naturæ adminiculis instructa, quod tamen valde absurdum? qui ergo dicunt, ideas illas per sensus in mente demum excitari debere, alii multum jam de natalium jure & splendore ipsis detraxerunt. Quod ajunt de ideis factis, iisque vel veris vel falsis, id accurato rerum scrutatori plane est imperceptibile, nam falsas ideas facere est contradictorium, impossibile enim est ideas habere de rebus quæ nec sunt nec existere possunt, omnes enim imagines indigent aliquo exemplari, ad cujus formam effingantur, quod sane extra omnem controversiam est; id quidem satis capio, mentem posse ceu potius sæpe conari duas

ideas

ideas sub unum eundemque conceptum reducere, quarum tamen una alteram destruit, corpus E. gr. & mentem, lapidem & lignum &c. quidem comparent ideæ mentis, corporis, lapidis & ligni, sed ex compositione harum rerum non exsurgit nova quædam seu tertia idea, quæ, salvo omni conceptu humano, falsa dici mereretur; sed potius per conatum illum hasce duas sub unum conceptum reducendi, utræque destruuntur. Potest etiam mens, conceptibus & picturis valde dives, duas ideas inter se conjungere quæ inter se conjunctæ extra mentem nullum exemplar habent ita compositum: Humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit &c. ait Horatius, sed hæcce fictio non facit ideas novas, nedum falsas, sed ideas reipsa existentes inter se saltem conjungit, quarum conjunctarum exemplar extra mentem licet non existat, existere tamen potest per potentiam Dei. Porro ideas veras facere est æque impossibile, nam homo eas producit vel ex generali cogitatione, tanquam idearum omnium materia, vel educit eas ex aliis ideis, rem aliquam sub certa forma repræsentantibus, hæque rursus earum sunt vel causa efficiens vel exemplaris, vel utraque simul; Quodsi eas producit homo ex generali cogitatione, tanquam idearum materia, tunc omnes quoque aliæ sic à mente possent produci, & sic nullis ideis innatis homini opus es-

set, quia pari facilitate omnes producere pos. set : aliæ porro ideæ, ceu peculiares cogitandi formæ, non possunt esse causæ efficientes, quia tales ideæ passive se in mente habent, nec aliarum rerum imagines producere pos. sunt, quas nec eminenter nec formaliter in se habent, & ita etiam non possunt esse causa exemplaris, quia quævis idea certam, determinatam & sibi plane peculiarem formam possidet, quæ exemplar alterius formæ non habet, adeoque multo minus utraque simul esse possunt. Nec reponi potest, mentem habere ideas generales & simplices, quarum proprietates, generis ad instar, descenderent in multas species & individua, adeoque mentem ex istis generalibus elicere ideas simplices, speciales habent quidem species & individua semper aliquid ex genere in se transscendens, sed habent simul etiam aliquid sibi privum, quod in conceptu generis nequaquam repræsentatur, sed peculiarem postulant ideam, cujus ope repræsentetur, præcise ut species aut individuum, ita, qui generalem conceptum habet substantiæ, nondum habet corporis, qui conceptum animalis, nondum habet hominis aut equi, qui hominis aut equi, nondum Petri, nec Bucephali, adeoque vel minima individua peculiarem quandam cogitandi formam requirunt, licet quædam cum aliis rebus communia habeant: Experientia quidem in ratiocinando homi-

minem docet, ipſum ſæpe, uno conceptu evoluto, ſua ſponte ruere in alium quendam huic valde affinem, ſed dici hinc neutiquam poteſt, illam ideam primam eſſe cauſam illius alterius, in quam occaſione prioris quis forſan inciderit, ſed, quemadmodum res ob congenitam quandam affinitatem, licet ratione formæ diſcrepent, arctam inter ſe connexionem habent, ita etiam noſtræ ideæ, rerum illarum vices in mente ſuſtinentes, arctiſſime colliguntur, ut, una perſpecta & evoluta, altera ſua ſponte, *licet à priori ratione* formæ diverſa, in ſcenam mentis prodeat; adeoque firmiter concludimus, nullam ideam alterius, quatenus quævis peculiarem formam habet, poſſe eſſe cauſam, vel efficientem vel exemplarem, hincque nullam quoque præ altera natalium quadam prærogativa gaudere poſſe, ſed vel omnes pari modo ſunt innatæ, vel omnes adventitiæ, vel omnes factæ, quod quum philoſophi pertinaciter negent, arcem opinionis produnt, & totam ſuam ſententiam, dubiam ambiguam & lubricam relinquunt.

§. 8. Ipſe porro modus quo mens ideis uti & ad judicia formanda eas adhibere dicitur ſubminiſtrat nobis cauſam dubitandi an tales ideæ, ſi vel maxime in mente exiſterent, ad judicia conſtruenda adhiberi queant: ideæ namque rerum ſecundum philoſophos inhærent ſaltem intellectui, quatenus eſt facultas

mentis neceſſaria, nec ab arbitrio voluntatis dependens, quia voluntas, præciſe ut talis conſiderata, eſt facultas prorſus libera, cui nihilominus frequens animo perpetuum cum ideis commercium intercedit, quia ad id creata & data, ut ideas contemplando, easque vel conjungendo vel ſeparando, varia judicia vel affirmantia vel negantia componat efformetque, hincque res per ideas objectas vel amore vel odio proſequatur; neceſſum igitur eſt voluntatem rerum ideas, in paſſiva illa intellectus facultate exiſtentes, cernere & contemplari, atque ita per ideas, probe & ſollicite inſpectas, tranſire ad commercium cum rebus ipſis, quarum vices in mente ſuſtinent rerum illarum ideæ; cum igitur voluntas, rem quandam vel amando ſibi jungens, vel odio proſequendo à ſe propellens, repræſentamina rerum in mente videat, cum tamen ipſa illa in ſe haud contineat, hinc ſequitur humanam mentem & ſingulas ipſius facultates ita poſſe comparatas eſſe, ut ideas rerum cernere in alia quadam ſubſtantia, arctiſſime & immediate cum ea unita, queant, licet ipſas in ſe concluſas non habeant; quodſi enim quis, uti communiter fieri ſolet, contendere velit, mentem objecta percipere non poſſe, niſi per ideas in ipſa mente exiſtentes, tunc pari jure dicerem, nec voluntatem, conſideratam ut facultatem poſſe percipere ideas in intellectu exiſtentes, niſi idearum ideæ ſi-

mul

mul etiam in voluntate existerent, & sic posset dari progressus in infinitum, quem tamen Cartesiani cane & angue pejus oderunt: Quoniam Ergo voluntas, quatenus propria judicii sedes est, cernere ideas in intellectu sine aliis ideis potest, non video cur intellectus quoque, ut facultas æque cogitans, sine innatis talibus ideis, in alia quadam substantia, percipere eas & sibi repræsentare nequeat, quod quum nondum determino, hoc ad minimum jure postulare possum, ut quis mihi solide demonstret, quomodo illa mentis facultas, quæ circa ideas vel componendas vel separandas versatur, eas sibi repræsentet easque hinc vel conjungat vel disjungat, quum tamen eas in seipsa, prout sunt in intellectu, haud complectatur. Et hoc ultimum sane nemo negabit, qui saltem considerat ideas de rebus esse, nullo philosopho hic occinente, necessarias, voluntatem vero esse facultatem liberrimam, liberrimè sæpe circa ideas & communes conceptus occupatam, vi cujus proin natura, proprie sic dicta, ideæ necessariæ nec Essentiam nec existentiam habere possunt, licet voluntas in mente, tanquam substantia simplicissima, plurimum semper commercii cum iis habeat.

§. 9. Tandem quoque dubium quoddam, à Philosophis, qui se Cartesio opposuerunt, productum, nondum satis mihi confutatum dilutumque videtur; producunt nimirum il-

lud ab inutilitate idearum, etiamsi menti essent innatæ, & mens quasi, ut ita loquar, apothecam aut armamentarium idearum haberet: non capiunt hic, quomodo adventitiæ nimirum, ab externis objectis excitari queant quum enim res seu objecta extra mentem non habeant immediatam cum mente connexionem, nec emittant species seu simulachra rebus ipsis similia. Quæ quasi membranæ summo de cortice rerum, direptæ volitent ultro citroque per auras, non capiunt, inquam, quomodo objecta, sæpe plurima, motu confuso nilque de objectorum similitudine secum vehente, in commune sensorium irruentia, mentem ita excitare ac quasi movere queant, ut inter tantam idearum multitudinem statim promat sistatq; sibi ideam vel solis, vel lunæ, vel hominis vel equi vel aliarum rerum præsentium, & motu quodam confuso, nec distincta rerum simulachra exhibente, in sensus incurrentium. Prolixe quidem Cartesius probat in Dioptrices L. V. in fundo oculi certam quandam objectorum imaginem, artificiosissime jungi, quæ tamen, pro objectorum vario situ, multis imperfectionibus laboret, adeoque cap. VI. lubens fatetur istam imagunculam non esse in causa, qua mens ad hanc aut illam rei ideam in se evolvendam determinari queat, sed concedit, motu quodam, nil objectorum similitudinis referente, excitari, affici & ad cogi-

cogitandum de hac aut alia re determinari, adeo ut nullus hic demonstrationi apud illum τὸ διότι locus relinquatur, sed tota res ad arbitrium Dei referatur, instituentis, ut ad certos quosdam sensorio communi motus impressos, certæ quoque & determinatæ in mente cogitationes oriantur, idque communiter etiam cum Cartesio probant, exemplo à literis & vocibus desumto, quarum vocum figuræ, quando scribuntur, vel soni, quando pronunciantur, nil plane commune habent cum conceptu de re per litteras illas aut voces significata; sed nullus unquam cordatus philosophus, neque ipse Aristoteles, negavit, esse quandam generalem connexionem inter externos motus organorum corporis & internas perceptiones mentis, hujus enim, per ipsam experientiam & conscientiam singuli, ex miraculoso illo mentis cum corpore connubio, convincuntur. Sed hoc non æque captu perceptuque facile est, quomodo simul sæpe plurima, & toto cœlo diversa objecta, motu confuso & simultaneo, in sensus penetrantia, & mentem quasi, ut ita loquar, ferientia, clare & distincte repræsentari queant, ita ut mens ideas nullas misceat, prout mixto ex objectis afficitur motu, sed ideas apte distincteque seligat, ac cuivis objecto propriam suam imaginem quoque objiciat, hoc opus hic labor. Quod ad allatum exemplum, id rem exhaurire plane non vi-

detur, quandoquidem in omni lingua, vel docenda vel discenda, nullus nexus de novo instituitur inter externas aut figuras aut sonos externos, sed generalis ille supra dictus nexus præsupponitur, pro arbitrio hominũ saltem determinandus non vero de novo instituendus; Porro in omni lingua, vel docenda vel discenda, ideæ rerum, per voces significatarum, erutæ jam & evolutæ præsupponuntur; frustra enim verborum plaustra ad aures adve. herentur, nisi prius ideæ in mente non solum essent, sed etiam excitatæ essent, hinc infantes quando vel maxime articulate loquuntur, ante ideas erutas, quid loquantur, nesciunt, hinc certum omnem rationalis creaturæ linguam præsupponere in mente ideas jam erutas & menti repræsentatas, ita ut ideis illis verba & verbis ideas mens alligare queat; Ergo paucis demonstrari debuisset quomodo ideæ rerum in mente sint, &, quomodo, si ei insint, jam excitatæ fuerint, tum captu facillimum erit quomodo de novo excitari queant per sonos & figuras, mutuo hominum consensu & arbitrio introductas; Nemo enim, nisi vesanus, negat, mentem percipere objecta extra se, videre figuras, colores variasque auribus haurire modulationes, sed hæc erat quæstio, num id fiat per ideas menti insitas, numque hæ per motus sensibus impressos tam distincte excitari queant: id quidem probare conantur per experien-

tiam

tiam, docentem, ex certis vocum conſcriptarum figuris ac pronunciatarum ſonis, certas & determinatas in mente excitari cogitationes: Sed hoc ſane eſt idem probare per idem, nam qui quærit quomodo objecta, nil ſimilitudinis ſuæ ſenſibus inferentia percipi queant, ille ſimul quærere poteſt, quomodo litterarum & vocum vel figuræ vel ſoni percipiantur, qui æque nil ſimilitudinis rei, quam ex inſtituto ſignificant, ſenſibus inferunt; idque eſt, quod æque ac prius probandum erat; *nemo enim, ut dictum, negat,* mentem percipere & res, & voces, & ſonos ſed hoc mihi probandum videtur, num id fiat per ideas & innatas vel ad minimum menti ipſi inhærentes, ac per tales confuſas, mediantibus ſenſibus, excitationes. Quum vero forſan, quod hac vice nondum determino, alia magis ſimplex, magis clara & perſpicua magisque ad Dei infinitam hominumque finitam naturam accommodata, res cognoſcendi, via dari ac demonſtrari queat, jure meritoque à ſubacto quodam Carteſii ſatellite requirimus, ut idoneis, prægnantibus ac nervoſis argumentis nobis demonſtret, aliam, ac vulgo receptam, res & ſubſtantias earundemque modos & proprietates cognoſcendi viam dari, tradi ac inveniri non poſſe, id, ſi fuerit eo, quo decet, modo præſtitum, dubia noſtra æque habebunt finem, atque ulti-

mum hocce dubium erat, est & esto præsentis nostræ mediationis finis.

VIII.

# JOHANNIS D' OUTREINII,

## ad locum 1. Pet. II: 24. annotatio.

Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. Ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν.

DUo hic prædicat Apostolus I. Satisfactionem Domini nostri J. C. pro peccatis nostris *extra nos* in cruce peractam. II. Fructum & consequentiam mortis J. C. *in nobis*. Ad *primum* quod attinet, illud, pro quo satisfacere debuit & satisfecit J. C. Sunt PECCATA, eaque plurima & multivaria (quod latet in voce pluralis numeri) & quidem NOSTRA; nempe *electorum*. vs: 9. & juxta propositum Dei, *vocatorum*. vs: 21.

*Peccata* autem, propter *reatum* & *pœnam*, inde consequentem & consecuturam, tanquam

quam *onus* quoddam graviſſimum ſpectari debent, quo in æternum peccatores premerentur & cruciarentur Pſ. XXXVIII: 5. Verum in eo elucet Dei Patris & Chriſti φιλανθρωπία, quod ille Filio ſuo *impoſuerit*, & *Filius* in ſe *ſuſceperit*, reatum & pœnam vicariam peccatorum noſtrorum.

Huc reſpiciebat S. Jobus, quum egregiam hanc Confeſſionem ederet ; *peccavi ! quid operabor* Job. 7, 20. 21. (quid *faciam*) *Tibi*, *o cuſtos* (*ſive Obſervator*) *hominum* ? Id eſt, nihil plane a me præſtari poteſt, ad ſatisfaciendum juſtitiæ tuæ vindicativæ. *Cur poſuiſti me in occurſum tibi*, in quem impetum facias potentiſſima manu tua & armis vindicantibus ? adeo *ut mihi ipſi ſim ONERI* ? dum *pondere* peccatorum meorum premor, eique ſuſtinendo ſum impar ? *Cur non AUFERS A ME prævaricationem meam*, *& cur non TRANSFERS iniquitatem meam* (in Sponſorem ſcilicet æterni tui Teſtamenti ? ut ille ſuo tempore peccata mea *portet* & pro iis juſtitiæ tuæ *ſatisfaciat* ?)

Sine dubio autem alludit Apoſtolus noſter ad Jeſ. LIII, 4-- *Enimvero morbos noſtros ipſe* TULIT *& dolores noſtros bajulavit* : -- *ipſe cruciabatur propter defectiones noſtras*, *conterebatur ob pravitates noſtras*, *paradigma pacis noſtræ ſuper ipſo erat* -- *& Dominus fecit incurrere in ipſum pravitatem omnium noſtrum. Exigebatur & ipſe ſubmittebatur*, *& non aperiebat os ſuum*, *ut agnus*, *qui ad mactationem ducitur.* -- *ob defectionem populi mei plaga eſt ipſi.* -- & præſertim

vſ.

vſ. 11. *In cognitione ſui juſtificabit ſervus meus juſtus multos & pravitates eorum ipſe* BAJULABIT. Ubi LXX: καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνόισει. Et vſ. 12. *In mortem effudit animam ſuam & cum defectoribus numeratus eſt, cum ipſe peccata multorum* FERRET, *& pro defectoribus intercederet.* Ubi iterum LXX. Καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκε, καὶ διὰ τὰς ἀνομίας αὐτῶν παρεδόθη. Quos hic diſerte ſecutus eſt Petrus, quando dicit ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν. Atque ad eundem Jeſaiæ locum ſine dubio reſpexit Baptiſtes, quum digitum intendens in Servatorem, jam præſentem, inquiebat: ἰδὲ ὁ ἄμνος τῦ Θεῦ (nota quod Eſaias quoque, in hoc capite, ipſum AGNO comparaverat) ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμυ. *Ecce agnus Dei, qui* PORTAT *peccatum mundi!* Joh. 1, 29. quæ *portatio* peccatorum nihil aliud ſignificare poteſt, quam quod obnoxius fuerit reatui & perpeſſus fuerit pœnam delictorum noſtrorum. Sic enim phraſis illa *ferre peccatum* in S. S. ſumi ſolet.

Quum vero J. C. dicitur *portaſſe peccata*, & quidem *in corpore ſuo*; alluſio poteſt eſſe facta,

1. Ad *ſacerdotes* veteris T. quorum *antitypus* fuit J. C. qui *ſacerdos* ſimul & *victima*. Etenim de *Aarone* dicitur Exod. XXVIII: 38. *Cidaris erit ſupra frontem Aaron*, & PORTABIT *iniquitatem ſanctificationum, quas ſanctificabunt filii Iſrael, in omnibus donis ſanctificationum eorum,*

&

& *erit supra ejus frontem jugiter ad beneplacitum eis coram Domino.*

Quin & sacerdotes comedere debebant de victimis piacularibus Israëlitarum easque ita secum *unire*, & *incorporare* (ut sic loquar) ad FERENDUM PECCATA *populi.* Sic enim Moses ad filios Aharonis Eleasarem & Ithamarem : *Cur non comedistis sacrificium pro peccato in loco sancto, quia sanctitas sanctitatum illud est, & illud dedit vobis ad* PORTANDUM *iniquitatem cœtus, ad* EXPIANDUM *super vos.* Lev. X: 17.

II. Verum tamen præsertim hic alluditur ad *sacrificia* Veteris Testamenti, & quidem *expiatoria*, quæ *portare* dicebantur *peccata*, sive universi *populi*, sive privatorum *in* populo. Ubi notandum, quod summus sacerdos, in sacrificiis publicis & totius populi (quum integrum cætum repræsentaret) *manus* victimis piacularibus solebat *imponere*, cum confessione suorum & totius populi peccatorum, his verbis : „Obsecro, Domine, peccavi, deli„qui, rebellavi ; in conspectu tuo, ego, & „familia mea & filii Aharonis & populus san„ctus tuus. Obsecro, Domine, remitte „nunc peccata, delicta, & rebelliones, qui„bus peccavi, deliqui, rebellavi, in conspe„ctu tuo, ego & familia mea, & Filii Aaro„nis, & populus tuus sanctus, sicut scriptum „est in lege Mosis, servi tui, ubi dictum est, „*in hoc die expiatio erit vestri, atque mundatio*

„*ab*

„ *ab omnibus peccatis vestris.* COD. JOMA. Et *Maim*: In *jom haccippurim.* In victimis autem *privatis*, quæ pro *uno* peccatore immolabantur, tales etiam instituebantur peccatorum confessiones, & offerens *manus* inter cornua victimæ tenebatur *imponere*, quasi omnium peccatorum summam in victimam *devolveret*, eamque *pro se* & *loco sui*, *obnoxiam* redderet reatui & pœnis peccatorum, quæ jam *portare* censebatur victima illa.

*Impositio* autem illa peccatorum nostrorum in Jesum Christum, jam ab æterno facta fuit in Consilio pacis, per Deum Patrem; & ipse filius Dei ea ab æterno quoque in se suscepit. Verum, in tempore, & quando jam Sponsor in eo erat, ut pro peccatis *satisfaceret*, Deus in ipsum *incurrere fecit* omnes reatus nostros, & *ipsemet* peccatorum nostrorum pœnas *tulit*.

Verum præsertim *impositio* illa *manuum* quatenus fiebat ab *Offerentibus*, cum Confessione peccatorum suorum, egregie repræsentat *Confessionem* illam, quam edit peccator electus, postquam per spiritum regenerantem, de peccatis suis convictus, in Christo ut victima vicaria piaculari, suam quærit expiationem & reconciliationem cum Deo, per fidem ad illum *confugiens*, illique *innitens*, & se in ipsum quasi totum quantum devolvens & recumbens. Quod egregie per illud est præfiguratum, quod offerens, non tantum *unam*, sed *utramque manum* debebat *impone-*

*ponere.* Nec tantum *levi contactu* caput Victimæ *contingere* & *palpare*; ſed debebat cum *vi*, cum *niſu*, quaſi *violento* manu, quantum pote graviori, fieri iſta impoſitio manuum, ut ita non tantum *pondus* peccatorum melius repræſentaretur, & victimæ quaſi *preſſæ* caput inclinaretur & curvaretur; verum etiam iſtud repræſentat *vim* & *vigorem* illum *fidei* ſalvificæ, qua, cum *impetu* quodam violento, in illum *ruimus* & illi *innitimur* & peccata noſtra ipſi quaſi impingimus. Quorum numerus & peccatorum gravitas *Angelos* ipſos *contriviſſent*, & homines *obruiſſent*, ſub quibus tota natura *ſudaſſet* & annihilata fuiſſet, & quibus *ferendis* & *bajulandis* pares erant ſoli humeri, divinique lacerti Domini noſtri J. C. Quin & notandum probe eſt, quod quisque ſuas *proprias* manus debebat imponere, non vero *vicarias*; Sic *Aäron Ben Eljaim*: וסומך ידו לא יד עבדו ידו לא יד שלוחו ידו לא יד אשתו: id eſt. *Et imponens erit manum* SUAM, *non manum* SERVI *ſui*; *Manum* SUAM, *non manum* LEGATI *ſui*; *manum* SUAM, *non manum* UXORIS *ſuæ*. „ Ut ſignificaretur, rem agi offe„rentis, cujus peccata *ipſe* deberet ſupra ca„put victimæ *immediate* imponere, iſtoque „pondere ipſe levatus, immediate & volun„tarie, eodem pondere victimam onerare. Uti recte ſcribit Steph. Le Moyne *not: ad Polyc: Epiſt. p. 483.* Utique enim unus quisque *pro ſe ipſo* fide inniti debet Jeſu Chriſto, ut ſa-

sacrificio, portanti peccata nostra; neque fides *servi* salvare potest *Herum*, neque *Legati* principem, neque *uxoris* maritum uti nec *mariti* fides *uxorem*. Nam sua ipsius fide quisque vivet.

Idem Vir Cl: *Le Moyne* etiam existimat, Apostolum Petrum forsan hic alludere ad *hircum Emissarium*, qui, die expiationis, *onerabatur peccatis* totius populi, & qui in desertum, longe a conspectu Majestatis divinæ illa *transferre* videbatur. Lev. XVI: 21. 22. Verum quoniam nos Hircum illum ἀποπομπαῖον habemus pro Emblemate *populi Judaici* refractarii, a Deo in desertum gentium ablegandi, & sub reatu peccatorum suorum, Satanæ tradendi, non possumus illi adstipulari.

Notandum autem, Petrum non tantum dicere, quod Christus *tulerit*, *portaverit* vel *bajulaverit* peccata nostra, quod per verbum φέρειν aut βαςάζειν significasset, sed quod ea ἀνήνεγκεν, quod partim indigitat, ipsum peccata non tantum *tulisse*, sed & *abstulisse*; Verum etiam præpositio ἀνὰ hic denotat, Jesum Christum quasi SURSUM *tulisse peccata nostra*. Quæ vox ἀναφέρειν passim usurpatur de sacerdotibus, qui dicebantur offerre. Videsis Vitringa Obs. S. L. II. c. XIII. §. 9. 10. 11. & quidem *sursum ferre* sacrificia quatenus ea adducebant AD *altare*, deinde sursum ferebant IN *altare*, ac tandem ea igne incensa, *sursum ad-*

*scen-*

*scendere* faciebant. Quod passim exprimitur per vocem העלה, ἀναφέρειν.

Christus autem, ut sacerdos & Victima, *in corpore suo*, (oppositâ ad *corpora* mactatorum animalium) peccata nostra, quæ in ipsum, ut victimam piacularem, injecta erant, *sursum tulit* IN LIGNUM, nempe crucis. Quæ certo respectu (quatenus *victimam* corporis J. C. *tulit*) *altaris* vicem implevit. Vide Cl: Vitringa *Obss. S. L. II. c. XIII. §. 14. & Cap. XIV.*

„Et in eo mirus est Dominus noster Jesus „Christus, & ab Adamo admodum diversus, „qui *a ligno* peccatum *in se* derivavit; Sed „J. C. *a nobis* peccata *in se* derivavit, sed *a se* „postea *in lignum* transportavit, in æternum „deponenda, & *maledictione* in *ligno* delenda „& expianda. Ideo dicitur *maledictus pendens* „*a ligno*. Deut. XXI: 23. Verba sunt Cl: Le Moyne l. c. p. 485. De qua lege porro ibidem differit, ac tandem concludit: Sed „in ea suspensione etiam erat typicum & cere„moniale. Nam respiciebat *suspensionem Mes*„*siæ*, qui, non *mortuus*, sed *vivus* suspensus „fuit, & *pro peccatis* omnium generum atro„cissimis, mortem in cruce voluit oppetere. „Hinc ab Apostolo vocatur κατάρα, *Maledictio*. Gal. III: 13. Verum luculentiorem commentarium in hanc legem, *de Israelita suspenso maledicto*, exhibuit Cl: *Vitringa Obss. S. lib. II. cap. XII.*

Idem quoque Vir Doctiſſimus, *eodem libro cap. X:* ut *typum crucifixionis* J. C. allegavit *Iſaacum, ad aram oblatum.* Ubi notandum, Gen. XXII: 2. τῆς LXX. eandem vocem adhibere: ἀνήνεγκεν αὐτὸν ἐκεῖ εἰς ὁλοκάρπωσιν, *offert ipſum illic in holocauſtum.* Si vero mavis *arietem*, loco Iſaaci oblatum, ſpectare ut *typum* J. C., etiam vſ. 13. eadem vox legitur: καὶ ἀνήνεγκεν αὐτὸν εἰς ὁλοκάρπωμα ἀντὶ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Et obtulit ipſum in holocauſtum pro Iſaaco filio ſuo.*

Quid, ſi dicamus etiam, Petrum Apoſtolum forſan alludere poſſe ad *ſerpentem æneum*, qui itidem *Typus* fuit *exaltationis* J. C. *in crucem*; de quo iterum conſulendus Cl: *Vitringa.* Ibid. Cap. XI. Quin ipſe D. Noſter J. C. hoc myſterium nobis aperit Joh. III: 14. 15. *Prout Moſes exaltavit* (ὕψωσε, ἀνήνεγκε) *ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet Filium hominis*, (peccatis electorum onuſtum) *ut quisquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam aeternam.* Vide autem quæ exinde, ad illuſtrandum locum noſtrum Petrinum, commentatur Vir Cl: §. XXI. XVII.

Tandem etiam diligenter notandum eſt, Petrum non ſine emphaſi ſcripſiſſe, quod αὐτος, IPSE ἐν σώματι αὐτοῦ, *in corpore SUO, tulerit peccata noſtra.*

Quid ſi eo alludetur ad ipſum proteuangelium Gen. III: 15, ubi omnium primo Meſſias revelatus eſt, ut qui *corpus* adſumeret, id eſt

hu-

*humanam* naturam, adeoque *ſemen mulieris* eſſet. De illo autem dicit Oraculum הוא, αὐτὸς, ILLE, IPSE, *tibi conteret caput, tu vero illi conteres calcaneum.* Quod revera, ſub aliis verborum involucris, idem eſt atque illud, quod in loco hoc noſtro ſcribit Petrus, JEſum Chriſtum revera jam præſtitiſſe.

Saltem certiſſime digitum intendit Apoſtolus ad Jeſ. LIII: ubi plus ſemel cum emphaſi illud הוא, αὐτὸς, IPSE, de *Meſſia* dicitur. Ut vſ. 4. אכן חלינו הוא נשא *Vere languores noſtros* IPSE *tulit.* LXX. οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει. & vſ. 5. והוא מחולל *Et* IPSE *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* LXX. Αὐτὸς ἐτραυματίθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Nec non vſ. 7. & vſ. 12. והוא חטא רבים נשא *Et* IPSE *peccata multorum tulit.* LXX: καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκε. Quorum verſionem, uti paſſim ſolent ſcriptores novi Teſtamenti, verbotenus ſecutus eſt Petrus.

Quod autem IPSE *tuliſſe* & *ſuſtuliſſe* peccata dicitur J. C. deſignat.

1. Magnitudinem & Dignitatem Ejus, qui ipſe Deus & filius Dei ἐνσαρκωθεὶς. Judæi inter Nomina Dei, præeunte S. ſcriptura, etiam illud הוא, IPSE, recenſent. Pythagoræi illud ΑΥΤΟΣ ἔφα ingeminantes, ſummam *dignitatem* & *auctoritatem* Doctoris ſui indigitabant. Et notum eſt illud: -- *Digito monſtrari & dicier* HIC eſt!

2. Quod Chriſtus JEſus, in opere redem-

ptionis noſtræ nullos habuerit *ſocios* aut συνέργους. IPSE enim & quidem *ſolus*, tulit omnia peccata Electorum. Conf. Jeſ. 63: 2. & Jeſ. XLIII: 25. Ego *ego ſum*, *qui deleo tranſgreſſiones veſtras* PER MÉ IPSUM.

3. Quod Chriſtus JEſus opus illud præſtare non potuerit, per *vicarium*. Sacerdos ſummus V. T. ſuum habebat סגן, SAGAN, *Vicarium*, qui in die expiationis vices implebat pontificis, ſi quid humani ipſi acciderit, per morbum aut contaminationem aliquam improviſam. Verum *nullus* dari potuit in Cœlo aut in terra, inter Angelos aut homines, qui Chriſti vices ſupplere potuerit, in expiandis electorum peccatis. Confer Jer. XXX: 21. *Quis enim eſt* הוא זה, αὐτὸς, ILLE, IPSE *qui corde ſuo ſponſorem agat, ut ad me accedere auſit?* Et quæ ad locum illum notavi Bibl. hujus Cl. I. Faſc. I.

4. Quod J. C. ſimul *ſacerdos* eſt, & *victima* expiatoria. Etenim ſacerdotes V. T. dicebantur quidem *auferre peccata*, ſenſu typico, verum non *per ſemetipſos*, ſed per aliquid, a ſe diverſum, nempe per *victimas* mactatorum animalium quæ tamen peccata *auferre* revera non poterant. Heb. X: 4. Adeoque illorum *expiatio* non erat *vera* aut *plenaria*. Verum JEſus Chriſtus, ſacerdos noſter *ipſemet* Victima pro peccato factus eſt, adeoque veram & plenariam purificationem & expiationem

tionem peccatorum noſtrorum *per ſemet ipſum* præſtitit. Heb. I: 3. 2. Cor. V: 21.

Ad ſecundum vero hujus commatis membrum ἵνα τῇς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, hoc *nunc* tantum notari volo: Quod vulgatus, & *Beza* & plerique interpretes illud ἀπογενόμενοι transferant: *ut peccatis* MORTUI *ſimus*, neque hoc quidem male: præſertim, quia opponitur, *ut juſtitiæ* VIVEREMUS. Et ſic notat H. Stephanus, *in Adpend. Theſauri Gr. ling*: „Ἀπογενόμενοι, *Defun-*„*cti, qui deceſſerunt.* Οἱ ἀπελθόντες, ἀποβεβιω-„κότες, ſeu οἱ ἀποθάνοντες *Heſ. & Suid.* Verum addit: „*Alioqui ſonat etiam ii qui* ABFU-„ERUNT, ut ἀπογίνεσθαι eſt *decedere*, *abeſſe*. Et forſan potius hic adhiberetur vox aliqua Generalior, Belgice proprie ſonat: Op *dat wy der ſonden* AFWORDENDE, vel, *afgeworden ſynde* hoc, eſt, *op dat wy ontdaan ende bevrydt ſynde van de ſonden.* Quod referri poteſt, partim ad *reatum* peccatorum, a quo J. C. nos liberavit, partim ad *maculam*, a qua liberamur per gratiam regenerantem: Quæ macula peccati ſub variis appellationibus in §. ſcriptura occurrit, adeoque depoſitio maculæ peccati per varias etiam phraſes exprimitur. Quum enim *peccatum* conſideratur ut *macula & ſordes*, quæ homini *adhærent*, dicimur abeo *purgari* 1. Cor. VI: 11. Vel *nos ipſos purgare*. 2. Cor. VII: 1. Quando comparatur *veſti*, detritæ & contaminatæ, dicimur illud *exuere*,

*deponere.* Col. II, 11. Eph. IV, 22. Heb. XII, 1. 1. Pet. II: 1. *A nobis abjicere* Ezech. 18: 31. Quum peccatum comparatur *præputio*, dicimur ab eo *circumcidi.* Col. II: 11. Deut. X: 16. Quum vero consideratur ut *homo Vetus*, qui *vivit* in peccatoribus irregenitis, dicimur peccato *mori*, *crucifigi* Rom. VI: 2. 6. 8. 11. Vel peccata in nobis *mortificare* & *crucifigere.* Rom. VIII: 13. Col. III: 5. Atque ad omnia illa simul referri potest vox ἀπογενόμενοι. Hinc & Latinus interpres versionis Arabicæ hoc loco vertit: *Ut peccatis* AVULSI; & Æthiopicæ: *Ut RECEDERE nos faceret a peccatis nostris.*

Satisfactio autem Christi pro peccatis, in cruce peracta, liberationis nostræ a reatu non tantum, verum & a *macula* peccati, adeoque *Sanctificationis* nostræ est Causa. 1. *Meritoria*, quatenus promeritus est, ut per spiritum suum electos suos liberet a servitute peccati. Heb. IX: 14. 2. Causa *efficiens*, quatenus suo tempore singulis electis reapse largitur spiritum suum sanctificantem. Rom VIII, 2. 3. Causa *Exemplaris.* Quatenus in Christo habemus perfectissimum exemplum odii peccati, innocentiæ & obedientiæ. 4. Et causa *impulsiva.* Nulla enim fortiora argumenta dari possunt, quibus impellamur ad fugienda peccata & ad studium sanctitatis, quam meditatio mortis & passionum J. C. 2. Cor. V: 14. 15.

IX.

# IX.

# Librorum recens editorum ac breviter recensitorum TETPAC.

## A.

*De ondervverpen van den heiligen Doop nader bepaald &c.*

id est,

Subjecta sancti baptismi propius limitata: sive, Seria responsio ad gravem quæstionem: *an infantes omnes, qui in Ecclesia Reformata ad baptismum offeruntur, atque admittuntur jure baptismum recipiendi gaudeant?* Et, *an iidem a Pastoribus, salva conscientia, baptizari queant?* Authore *Gerhardo MEIERO* Pastore, dum viveret, Beertensi: Editore *Joh. Reinh. KELDERMAN*, Ecclesiaste Ultrajectino, qui etiam præfationem & notas addidit. Ultrajecti 1720. 8. Præfatio 14. philyras conficit: tractatus ipse 28.

EX præfatione Rev. Editoris prolixa & pia constat Authorem libri, quem indicamus, fuisse *Gerhardum MEIERUM, Hermanni MEYERI*, Pastoris in agro Groningano, Fratrem, & primo

mo pago *Termunten*, dein vero *Beertæ*, quæ utraque loca ejusdem agri Groningani pars sunt, munus ecclesiasticum gessisse usque ad 31. Martii anni 1718. quando ætatis anno LXIII. diem suum obiit. Nihil ab ejus manu habemus, præter scriptum Belgicum de educatione liberorum A. 1700. Groningæ publicatum, sub hoc titulo: *Portaal des Heeren, of een Verhandelinge van de pligten der Ouderen, waar te neemen in de opvœding van hunne Kinderen, om se daar door, onder Gods gœdheid, uit den staat der nature, tot den staat der waare genade overtebrengen.* Inter ἀνέκδοτα numerantur vernaculum *contra Frid. Leenhoff Hemel op Aerde* & Latina *exercitatio de sensu mystico Paradisi.* Præsentis libri fata fuere singularia, quæ Rev. Editor late exsequitur, qui ipse multas molestias devorandas habuit, antequam approbatione facultatis Theologicæ Ultrajectinæ munitum prelo dare potuerit. Has tamen omnes vicit, intercedente Authoris morte consilium ejus non parum promovente, quia quæstio in libro hoc tractata maximi ponderis esse, & quidem merito, Rev. Editori censetur. Cum vero ipsum non lateret, multum invidiæ & contradictionis se obstetricia sua opera contracturum, defensionem instituti sui amplissimam instituit. Exspectari etiam brevi tractatum ad idem argumentum spectantem jubet, quem Rev. *David* FRANTZIUS de *baptismo infantum Papalium in Ecclesiis Re-*

*Reformatis* publici juris faciet. Occasionem autem captans de corrupto Ecclesiæ nostra tempestate statu, præcipue quoad præconium verbi, methodum concionandi & informandi juventutem, nec non administrationem baptismi, libere & mascule vulnera ipsorum Ecclesiæ Rectorum detegit, factiones, quæ ipsos in Belgio Fœderato eheu! dilacerant, dolet, quibusque mediis sanationem sperandam esse existumet, explicat. Nos multa heic occurrere, quæ non tantum intrepidum Viri fervorem ostendunt, sed etiam pudorem incutiunt, lubentes agnoscimus.

Sed ad ipsum Beati MEIERI tractatum, KELDERMANNI hinc inde notis illustratum, properamus. Post præfationem in dictum 1. Cor. XI. 27-29. quod quamvis abusum sacræ synaxeos proxime spectet, ad baptismi etiam administrationem transferri debet, totum opus in tres partes dispescitur. Primo, quænam sint subjecta recipiendo baptismo idonea, dispicitur. Dein, an, quicunque sacro fonte in Ecclesia Reformata tinguntur, inter hæc subjecta numerari queant, inquiritur. Denique veræ causæ abusus circa hoc gratiæ sigillum deteguntur.

Prima pars incipit per demonstrationem, quod jus recipiendi baptismi non nisi veræ religionis & fidei confessoribus competat. Ea fini perpetuus in baptismo tum proselytorum, tum Johannis Baptistæ, tum Ecclesiæ

Christianæ, tum veteris, quam recentioris, usus pag. 12. sqq. percensetur. Dein rationes diversæ adduntur, quales sunt, p. 40. sq. baptismum esse signum & sigillum gratiæ, quorum prius scientiam, posterius adsensum supponit: p. 48. sq. speciatim communionem cum Christo, regenerationem & sanctificationem per baptismum obsignari, adeoque in personis recipientibus supponi. Porro hypothesis hæc ad ipsum infantum baptismum transfertur, quos ab hoc lavacro non arcendos esse contra Mennonitas p. 56. sq. adsertur, ita tamen ut parentes liberorum loco adsensum fidei confiteantur. Inde deducitur legitima subjecta baptismi esse liberos fidelium & sanctorum. Eam in rem locus 1. Cor. VII. 14. p. 93. sq. elucidatur, atque in eo non sanctitatem inhæsivam & internam sed relativam & externam intelligendam esse docetur. Originem vero hujus sanctitatis non esse meram confessionem oris a parentibus editam, sed actualem fœderis divini adstipulationem p. 100. sq. statuitur. Atque inde porro jus liberos ad baptismum offerendi nemini competere nisi parentibus fidelibus aut qui eorum loco sunt, colligitur. Qua occasione p. 132. sq. tractatur quæstio, *Annon infans Judæi, Turcæ aut Pagani certis interdum conditionibus queat baptizari?* quod affirmatur & defenditur, tum ex testimoniis Theologorum, tum ex mandato Dei Gen. XVII. 12, 13. circumcisionem

etiam

etiam ſervi peregrini præcipientis. His explanatis objectiones eorum, qui ſubjecta baptiſmi latius extendunt, ſolvuntur. Ad primam, quod hypotheſis Authoris praxi eccleſiæ ſit contraria, regeritur, p. 147. ſq. praxin Eccleſiæ Reformatæ theoriæ ejusdem inſigniter adverſari. Altera p. 152. a paroemia illa communi eſt petita: *Favores eſſe extendendos, ſed odia coarctanda.* Sed regeritur, peſſime ſententiam hanc ad cauſſam præſentem allegari, quia qui favores gratiæ divinæ extendere, & odia juſtitiæ ejus coarctare quærit, in jus ſummum Dei involat. Porro provocatur ad circumciſionem p. 155. ſq. quæ nemini ex ſemine Abrahami, impio licet & prophano, denegata eſſe putatur. Verum Author, præterquam, quod diverſam haut paullo eſſe circumciſionis & baptiſmi rationem exiſtimet, circumciſionem omnibus Iſraelitarum, etiam impiorum, liberis ordinatam eſſe negat. Præceptum enim Gen. XVII. 12. 14. per præcedentem vſ. 1. ſtipulationem reſtringi: eodemque modo Dominum in ſacra ſynaxi *bibere omnes* juſſiſſe, quo tamen mandato indignorum excluſio non tollitur: praxin autem contrariam apud Judæos nihil probare, ſed potius pervicaciæ eorum teſtimonium exhibere. Regeri etiam poſſe, quod circumciſio certam quandam ad hæreditatem Canaanis in V. T. rationem habuerit, cujus poſſeſſione, niſi circumciſus, nemo gaudere poterat. Accedit

cedit disciplinam Ecclesiæ V. T. ita rigidam ac Ecclesiæ N. T. non fuisse: & in multis conniventia singulari Deum sub Oeconomia illa fuisse usum, quæ nunc amplius locum non habet. Quarta objectio formatur ex Exod. XX. 6. ubi *misericordia Dei in millesimam progeniem amantium eum extenditur.* Sed ostenditur, p. 213. sq. ex ea nihil ad jus baptismi, Pseudo-Christianorum liberis competens, concludi posse, cum promissio illa comminationi contra liberos osorum Dei opposita sit, & series tot generationum sœpissime per parentes infideles interrumpi queat, quorum liberis nullum in baptismum jus ab ipsis antagonistis conceditur. Denique obtenditur, quod secundum oraculum divinum Ez. XVIII. 20. *Filius non debeat ferre iniquitatem Patris* p. 220. Sed inter alia regeritur, quod liberi impiorum a baptismo arceantur, pro pœna liberorum habendum non esse. Non enim punitur, cui bonum aliquod negatur, ad quod jure nullo gaudet. Neque ullo malo infantes hi ex negatione baptismi afficiuntur. Colophonis loco p. 240. sq. quæstio tractatur, an spurii infantes etiam sint baptizandi. Sententia Authoris eo redit: fieri id posse, si parentes resipiscentiæ dent indicia, aut si cœtus integer vel saltem pius quidam infantis curam in se suscipiat; ubi vero utrumque deficit ibi melius ei videtur, si baptismus spurii ad ætatem ejus adultam differatur.

Ex

Ex dictis in parte secunda quatuor genera parentum recensentur, quorum liberis jus baptismi abjudicatur. I. qui ipsi neque baptizati sunt, neque cognitionem veritatis habent, quo & Mennonitæ referuntur. p. 259. sq. II. qui licet sint baptizati, prima tamen Evangelii rudimenta ignorant. pag. 266. sq. III. Qui licet aliquam veritatis cognitionem habeant, profana tamen vita eam abnegant p 285. sq. IV. Pontificii, non tamen omnes, sed crassiores, qui anathematibus Concilii Tridentini adhærent p. 307. sq. Rationes, cur postrema classis a baptismi communione excludatur, sunt, quia ex clarissima Christi & Anti-Christi oppositione sequitur, neminem utriusque simul subditum esse posse: quia Ecclesia Romana apud ipsos Reformatos apostasiæ & hæreseos rea est: quia Pontificius conditiones baptismi præstare nequit, cum doctrinam fidei ignoret & oppugnet: quia hæc Calvini Wendelini, Altingii & Ecclesiæ Reformatæ in Gallia sententia fuit, cujus decretum A. 1550. in Synodo Pictaviensi ita sonat: *Papistarum infantes etiam oblatos a Reformatis susceptoribus non esse baptizandos, nisi Pater, aut illo defuncto Mater potestati suæ renunciet, eamque in susceptorem transferat, promittens, se toleraturum aut toleraturam, ut infans in religione Reformata instituatur.* Accedit Pontificios baptismum a Reformatis nunquam petere, nisi aut Magi-

stra-

ſtratuum edictis coactos, aut ſuperſtitioſa de neceſſitate baptiſmi opinione inductos.

Ultima pars breviter πρῶτα ψεύδη ſeu fontes errorum circa doctrinam baptiſmatum p. 347. ſq. aperit, quos tres eſſe ſtatuitur, ſuperſtitionem p. 348. ſq. errorem circa inſtitutionem baptiſmi ejusque verum ſcopum p. 354. ſq. ignorantiam antiquitatis eccleſiaſticæ p. 370. ſq. ex qua conſtat priſcam eccleſiam nec univerſim, nec tam feſtinanter, ut nunc fit, infantes ad lavacrum hoc admiſiſſe. Tandem p. 385. ſq. concluditur egregiis verbis ex libello ſupplici Presbyterianorum Caroli II. tempore exhibito excerptis, quæ eandem iis cum Authore noſtro ſediſſe ſententiam declarant.

Quod jam inſertas Rev. Keldermanni notas attinet, iis, ubi opus videbatur textui Meieri lux affunditur. Translucet in illis non tantum ſingularis pro ædificatione Eccleſiæ zelus, ſed etiam elegans eruditio, ex cujus penu, quæ Meierus ſtatuerat, novis ſubinde probatorum authorum teſtimoniis roborantur, variaque, quæ ille attigerat, latius examinantur. Sic exempli cauſſa p. 62. ſq. quæſtio, an baptiſmus Chriſti ex baptiſmo proſelytorum prognatus ſit, ventilatur & negantium partes defenduntur. p. 183. ſq. difficultates quædam contra eos afferuntur, qui Judam Iſchariotem ſacra ſynaxi uſum eſſe perſuaſi ſunt. p. 251. ſq. baptiſmum infantum in Eccleſia primi-

mitiva generalem non fuisse exemplis evidentissimis evincitur. Nos totam caussam, attentione Theologorum nostra tempestate dignissimam, cum Venerando Editore judicio Ecclesiæ permittimus. F. A. L.

## B.

BERNHARDI SEBASTIANI CREMER, SS. Th. D. & in Academia Harderovic. Prof. PRODROMUS TYPICUS continens Exercitationes Philologico-Theologicas in V. & N. T. loca Amst. 1720. 4. 30. philyræ.

Studii typici deliciis captus Clarissimus Autor specimina quædam id illustrantia sub Prodromi nomine vulgare constituit, cujus pars prima heic exhibetur, secunda vero & tertia promittuntur.

Præmittitur dissertatio *de typorum usu & abusu:* in qua post generalem studii typici commendationem §. 1-5. varii Interpretum in eo errores §. 6. 7. notantur: quales sunt §. 8. quod subjectum typi non eadem accuratione ac subjectum prophetiæ determinetur: §. 9. quod in typis Historicis ab una historia in aliam saltus fiant: §. 10. quod inter materiam & formam typorum distinguitur: §. 11. quod typi picturarum instar concipiantur, ubi quædam dantur περίεργα, & limbus ornatus gratia additus: §. 12. 13. quod multa vel ex collatione

tione Scripturæ, vel ex ratione, vel ex Judæorum traditionibus materiæ typicæ addantur. Hinc §. 14. vera typorum explicandorum methodus illa esse perhibetur, quæ ad prophetiam verbalem rite explicandam requiritur, scilicet, ut investigetur subjectum, idque non ex his illis prædicatis sed ex omnibus in sua connexione & debita forma consideratis, & prædicata pro subjecti natura explicentur. Trifariam autem §. 15-17. dividuntur typi, in *legales*, *historicos*, & *propheticos*, ad quam postremam classem actiones symbolicæ & visiones emblematicæ Prophetarum referuntur. Quid autem inter hæc obtineat discriminis §. 18. sq. docetur.

Sequuntur duo specimina typica, quæ ita tractantur, ut primo literalis detur materiæ typicæ commentarius satis amplus, dein mysticus subjungatur; & quidem eo ordine, ut præmittatur demonstratio subjecti typici, postquam prædicata collata cum prophetiis explicantur, denique singulorum implementum indicatur.

Specimen primum est legale *de qualitatibus Sacerdotum & Pontificis.* Exhibetur hic continuus totius capitis Levit. XXI. commentarius. Specimen secundum est historicum *de serpente æneo* ex Num. XXI. 4-9. Subjungitur coiophonis loco Dissertatio exegetica ad 1. Cor. I. 23. 24. *de prædicatione Christi crucifixi*, eo consilio, ut præjudicio quorundam occurratur, qui

qui Authorem forte aliud nihil agere somniarent, quam Typos V. T. illustrare. In secunda parte Prodromi edenda promittitur tractatio de die Expiationis Lev. XVI. de servis eorumque statu vario Exod. XXI. de ossium aridorum vivificatione Ezech. XXXVII. Tertia pars aget de Naziræis ex Num. VI. & de Simsone ex Jud XIII-XVI.

In prima hac, quam beneficio Cl. scriptoris obtinuimus, parte, diversis Codicis Sacri locis amœna lux affunditur, & sæpiuscule modeste ab Interpretum grege receditur. Paucis quibusdam exemplis id docere adlubescit. Ratio præcepti, de calvitie capiti suo non inducenda, nec extremitate barbæ suæ abradenda p. 26. sq. examinatis Spenceri, Clerici, Vitringæ sententiis, varia esse putatur, quæ conjungi possit; nempe tum quia abrasio capitis & barbæ significat spoliationem libertatis & interitum Principum populi tum quia calvities erat signum contumeliæ, præcipue, quando dimidia barba aut cæsaries abradebatur: tum quia gentiles decalvando caput & barbam in luctu diffidentiam de providentia divina, mentemque spe omni destitutam declarabant, tum quia superstitionis & idololatriæ caussa gentiles hunc morem adsciverant, quæ singula illustrantur. In explicatione vocis חרום p. 49. sq. sententia Fulleri & aliorum refellitur, & vocem hanc commode amputationem membrorum notare indicatur, quæ

ex certa ſententia fit, condemnante ad malum iſtum reum, quia חרם notat id, quod devotum, aut anathemate percuſſum eſt. Sed inde facile transfertur ad denotandum quemcunque membrorum defectum; ſicut verbum שרוע, quod heic opponitur, quemcunque exceſſum ſignificat. Paullo poſt p. 51. quoad vocem דק ſententia Junii, qui *gracilis* reddit, contra Lud. de Dieu defenditur, macilentiamque & tabem deformem intelligi docetur p. 81. ſq. Braunius refutatur, quod pileum ſignum ſervitutis & ſubmiſſi eſſe venditaverit, cum ſemper libertatis habuerit ſignificatum. Originem vero erroris inde eſſe, quod Braunius non diſtinxerit inter pileum ſeu tiaram & quodcunque aliud velamentum. Magnum etiam diſcrimen eſſe, facies an caput tegatur. Quando Moſes, Elias, Seraphim faciem tegunt, longe aliter ſe habere, ac quando Pontifex tiara ornatur. Quoad ſerpentem a Moſe juſſu Domini in deſerto erectum peculiarem Cl. Author adſcivit hypotheſin. Cum enim Interpretes omnes ſtatuunt, ſerpentem, quem Moſes ſuſtulit in perticam, ex ære fuiſſe conflatum, noſter conjicit, preſterem verum, ſeu quemcunque obvium, ſeu quendam inſignem a Moſe debuiſſe arripi, vi ſua orbari, & ut tropæum perticæ imponi: Moſen vero arripiendo Preſterem mutaſſe eum in Serpentem æneum, & impoſuiſſe eum perticæ. Hæc opinio p. 121. firma-

firmatur. Unde facile divinare licet, Cl. Authorem eorum etiam accedere sententiæ, qui Serpentem illum æneum non pro emblemate Christi, sed Diaboli habent. Sonticas tamen nobis adhuc hærere causſas, cur in hanc mentem pedibus ire nequeamus, alio loco amplius edisſerendi forte subnascetur occasio. Quæ pag. 173. sq. de mysterio supplicii crucis Servatori nostro inflicti afferuntur pia & jucunda sunt. F. A. L.

## C.

SALOM. VAN TIL S. S. D. & P. in Academia Lugduno Batava OPUS ANALYTICUM, comprehendens Introductionem in sacram Scripturam, ad Joh. Henr. Heideggeri Enchiridion Biblicum ἱερομνημονικον concinnatum. Ultrajecti. 1720. 4. Tomi duo. Prior habet præter præfatiunculum pagg. 881. Posterior pagg. 763.

Ea est libri hujus, cujus editionem nuper annuntiavimus, ad Sacras literas recte perscrutandas, intelligendas, aliisque explicandas utilitas, ut aliquanto pressius, ejus accuratam lectionem omnibus, qui proficiendi in Scripturis desiderio tanguntur, commendandi officium haut difficulter susceperimus. Curam illius edendi habuit DANIEL BEDBER, qui Authore, dum supereſſet, familiariter

stantiis verum Spiritus sancti scopum eruat, eoque rite fixo ex accurata eorum analysi, quomodo ad illum scopum omnia collineent, evidentissime demonstret. Ansam ei dedit *Enchiridion Biblicum Cel. Heideggeri*, quod tamen pressius secundo quam primo Volumine sequitur. Excerpendi hoc opus labore eo lubentius supersedemus, tum quia concisum dictionis genus hanc curam respuere videtur, tum quia liber ipse omnibus Scripturæ sacræ studiosis ita necessarius est, ut rebus suis pessime consulerent, nisi jugi lectione & meditatione eum in succum & sanguinem quasi converterent. Diffiteri tamen nolumus varia hinc inde occurrere, quæ ultimam ipsius Authoris manum huic operi defuisse, satis ostendunt. F. A. L.

D.

Jacobi ELSNERI OBSERVATIONES *Sacræ in Novi Fœderis Libros, quibus plura illorum Librorum loca ex Auctoribus potissimum Græcis & Antiquitate exponuntur & illustrantur.* Tomus I. Libros Historicos complexus; Trajecti ad Rhenum apud Jacobum van Poolsum MDCCXX, 8. Moles est paginarum 506. præter Indices (quorum alter est locorum expositorum, alter Vocum Phrasiumve) & Præfationem.

EA est pulcerrimi hujus fœtus elegantia, tantaque ubivis se prodit literarum, Græ-

riter usus est, & de argumento ejus cum illo sæpe sermones miscuit.

Opus ipsum comprehendit omnes libros V. & N. T. exceptis illis, quos Clarissimus Author posterioribus curis emendavit, limavit, & commentariis illustratos Belgico idiomate, seu Latino sermone, cum erudito orbe communicavit. Frustra ergo in his voluminibus quæreres *Mosis Canticum*, *Psalmorum libros*, *Habakuki & Malachiæ Vaticinia*, quæ aliquot ante annos, curante ipso Authore, edita sunt, & omnibus innotuere. Desideratur & *Analysis ad caput XXXI. secundi libri Mosis*, quod Author de industria transilivit, ne ipso nolente alii prælo committerent, quæ ad privatos usus tradita erant. Neque tamen prætermissa sunt dicta ta Cel. TILLII in *Octo priora capita Geneseos* & *Matthæi Evangelium*, licet eorum quoque commentarium prolixiorem ipse Belgico idiomate ediderit, cum meditationes suas in hanc Scripturæ sacræ partem posterioribus curis limare & partem hujus operis Analytici Noster facere voluerit. Ad *Apocalypsin* vero *Johannis* nihil occurrit nisi *dissertatio de sensu septem epistolarum Apocalypticarum mystico an literali*, quam excipit altera *de septem periodis N. T. in collatione ad septem periodos V. T. compendiose collatis*.

Præcipuum Authoris harum commentationum in eo versatur studium, ut ponderatis bene singulorum librorum sacrorum circumstan-

carum præsertim, peritia, eaque ingenii elucetubertas, ut de illius Parente, qui nunc in viridi ætatis flore positus est, non nisi præclara omnia, in posterum rei literariæ publicæ ominari possimus. Ut ex ἴων ὀνυχων agnoscamus ἴον λεοντα, speciminis loco, nonnulla ex eo adducemus. Ex Auctoribus potissimum Græcis Libris Sacris affunditur lux, v. gr. Matth. IV, 5. παραλαμβάνει αὐτὸν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν exponitur : *comitem eum assumtum duxit in sacram urbem*, non vero *transtulit* aut *sublimem rapuit*, ut vulgo solent, quæ illius phraseos significatio ex Luciano, Heliodoro, Juliano & τοῖς LXX. ad Num. XXIII, 14. illustratur. Pariter ἐπιθυμεῖν Matth. V, 28. de turpis amoris desiderio frequenter Auctores usurpare, docetur ex Artemidoro, Aristophane &c. Ibid. c. XVI, 19. phraseos δεῖν καὶ λύειν ex Josepho, Plutarcho, Diodoro Siculo & Aristide exempla adferuntur, quibus vel *pœnas infligere & malo liberare*, vel *obligare ad legis obsequium & liberum pronunciare ab eodem* significat. Sic Marc. I, 19. καταρτίζειν τὰ δίκτυα vertitur *præparare retia*, ut in mare mittantur. Lucæ vero II, 19. συμβάλλεσθαι sc. τὰ ῥήματα ταῦτα vertitur : *mentem horum verborum assecuta*, quomodo Auctores frequenter illos qui mentem Oraculi vel sibi antea vel aliis etiamnum obscuram assequuntur, συμβάλλειν dicunt. Ex Antiquitate sæpissime quoque loca exponuntur, Matth. VIII, 8. verba Centuri-

turionis hominis pagani ex ea Profanorum. consuetudine exponuntur, qua cum improbis & de gravioribus sceleribus suspectis versari suo eodem tecto recusabant. Sic quoque Matth. XXI, 15. ratio, quare illam puerorum acclamationem tam indigne tulerit Clerus Hierosolymitanus, præter alias adfertur ex antiqua Paganorum & Judæorum opinione, qui puerorum voces in templo editas pro certissimis ominibus habebant, quod de Ægyptiis probatur ex Plutarcho & Æliani Hist. Animal. de Judæis vero ex Maimonide in Addendis p. 498. *Similiter* Joh. XIII, 10. explicatur ex antiquo convivandi more, quo loti in balneo convivæ veniebant, adeoque in ædibus convivatoris nihil opus habebant, quam pedes, quibus à lotione in via sordes adhæserant, lavisse. Sic Act. XXVIII, 6. ideo Deum esse Paulũ suspicatos Melitenses fuisse docetur, quod viperam hærere ei viderent, ut enim serpentes pro Diis habebant Profani, sic & frequenter apud Deos conspici solere, noverant. Ibid. c. VII, 60. verba μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην vertuntur cum Grotio & Heinsio : *ne ponderes illis hoc peccatum*, & exponuntur ex Judæorum opinione statuentium : Deum ingenti libra omnium peccata ponderaturum postremo die. Illustrantur itidem sæpissime ex Antiquitate profana Libri Sacri. Matth. XXVII, 25. adfertur similis execrandi formula in foro Athenienſi usitata, ut

is, qui alium mortis reum agebat, se ac liberos suos diris devoveret, si falso accusasset, quo hoc pacto judices immunes ab omni piaculo constituerentur, si accusatoris testimonio credentes insontem forte condemnassent. Ita quoque dicta Sacra similibus Profanorum sententiis sæpe illustrantur, ut Luc. XX, 36. Ἰσαγγέλους fore pios, etiam Hieroclem & Jamblichum docuisse ostenditur &c.

Quamvis autem ex Auctoribus & Antiquitate potissimum exponantur Libri Sacri, tamen etiam satis frequenter idem præstatur Versionis τῶν LXX. ope. Ita Matth. VI, 30. per χόρτον τῦ ἀγρῦ *stipulæ* & *frutices* intelliguntur, quo sensu ea voce utuntur οἱ ὁ, præsertim cum non liqueat, cuinam usui in clibanum conjiceretur fœnum. Ib. c. XVI, 18. per πύλας ᾅδυ *gravissimum & vitæ etiam discrimen* intelligitur auctoritate τῶν LXX. ut quoque Act XIII, 17. ὕψωσε exponitur : *eripuit, vindicavit.* Etiam ex Hebraismo loca nonnulla explicantur, ut Matth. XXIII, 23. Βαρύτερα τῦ νόμυ *præstantiora legis & majoris momenti* ex Hebr. כבד, quamquam & Polybius & Herodianus eodem fere sensu vocem βαρὺς adhibuerint. Ratio autem desertæ expositionis vulgatæ adfertur, quod Pharisæi non neglexisse onera legis, sed imposuisse potius dicantur. Pariter Joh. XXI, 25. ex Amosi VII, 10. exponitur : *mundum non admissurum libros* aut ad fidem illorum testimonio permotum iri, quo

sen

sensu etiam χωρεῖν dixerit Dionysius Halicarnasseus. Aliquoties etiam institutа locorum sacrorum comparatione alia expositio adfertur. Sic τόπος ἴδιος Act. I, 25. eundem esse, qui *Akeldama* docetur ex collatione commatis 18. Interdum mutata distinctione medicina fit loco vexato. Sic Luc I, 64. punctum post verba καὶ ἡ γλῶσσα αὐτῦ tollitur, & vertitur, *& lingua ejus quoque loquebatur* &c. Καὶ enim proxime præcedente alio καὶ *etiam itidem* significat, quod ex locis subjectis apparet.

Quin & Accentu mutato Luc. XVIII, 7. pro μακροθυμῶν legitur μακροθύμων Genitivo plurali & cum præcedente βοώντων conjunctum vertitur: *Deus vero non vindicabit electos suos, die noctеque clamantes ad ipsum & propterea patienter (omnia) ferentes?* ubi simul docetur ἐπ' αὐτοῖς notare *propterea ideo.*

Sæpius præterea Phrases Græcis vindicantur, quas Hebraismo adscripserant alii. v. c. τηρεῖν νόμον Matth. XIX, 17. & φυλάττειν ib. vs. 20. contra Gatakerum. Ἀλαλάζειν in luctu Marc. V, 38. ἐκνεύειν Joh. V, 13. ποιεῖν χρόνον *commorari* Act. XV, 33. Haud raro quoque Auctores ab emendatione Doctorum Virorum vindicantur, quibus interdum tamen ubi corruptio manifesta, medicina adfertur. Atque hæc quidem talia sunt, ut erudito lectori facile desiderium excitare possint, alteram quoque harum Observationum partem, qua re-

reliqui Novi fœderis libri eadem methodo illuſtrabuntur, quantocyus conſpiciendi. T. d. H.

X.

# JACOBI ELSNERI,

## Obſervatio in Matth. III, 9.

Καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς. Πατέρα ἔχομεν τὸν Αβραάμ. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Αβραάμ.

§. I.

ERuditiſſimus Thomas Gatakerus *Adverſar. Miſcell. Lib. I. cap. 3. p. 191.* vacare τὸ δόξητε h. l. exiſtimat, dictumque μὴ δόξητε λέγειν pro μὴ λέγητε *ne dicatis.* Cui ſententiæ favere quidem videtur, quod præter loca à Gatakero citata, ita fere dixerit Euripides *Heraclid.* vſ. 865.

Τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλᾶν, πρὶν ἄν
Θανόνθ' ἴδῃ τις, ὡς ἐφήμεροι τύχαι.

*Ne ducant beatum eum, qui videtur fortunatus, priusquam viderit eum aliquis mortuum: quia fortuna*

*tuna quotidie mutatur*, hic enim εὐτυχεῖν δοκοῦντα positum videtur pro εὐτυχοῦντα *qui fortunatus est.* Et Xenophon *Cyropæd. Lib. 4. p. 92.* χάριν εἰδένα, ὅτι μέγαν αὐτοῖς φόβον ἀπεληλακέναι ἐδόκει, *gratiam (ei) habere, qui metum ingentem depulisse videretur.* Vide & *Hist. Græc. Lib. 2. p. 465.* D. Isocratem *Panathen p.* 564. & alibi satis frequenter. Quomodo etiam Latinis τὸ *videri* de rebus quæ revera sunt, usurpatur: Phædrus *Lib. 3. Fab. 7. vs. 18.* ubi canis ad lupum: *Quia VIDEOR acer, adligant me interdiu.* Et Capitolinus *Maximinis cap. 6. Erat præterea magnitudine tanta* (Maximinus) *ut octo pedes digito VIDERETUR egressus*, pro *egrederetur*, ad quem locum plura ejus loquutionis exempla dabit Casaubonus.

§. 2. Nihilominus tamen suetam verbo δοκεῖν significationem servare hoc loco malim, non minus atque Luc. VIII. 18. etsi Interpretes aliter fere sentiant, verba enim ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ recte vertuntur: *quod sibi videtur habere, auferetur ab eo*, quomodo eadem phrasi usus est venustissimus Anacreon *Ode 26. p. 80.* edit. Barnesii

Ὅτ' εἴς με Βάκχος ἔλθῃ
Εὐδουσιν αἱ μέριμναι,
Δοκῶν δ' ἔχειν τὰ Κροίσου,
Θέλω καλῶς ἀείδειν.

*Quando in me Bacchus penetravit. Dormiunt curæ,*

*re, Visusque mihi habere Crœsi opes. Volo suaviter cantillare.*

§. 3. Præsertim cum λέγειν ἐν ἑαυτοῖς non sit *dicere*, sed *cogitare*, ex frequenti Linguæ Hebrææ idiotismo. Sic Matth. IX. 21. ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ *cogitabat enim secum*, ibid. commate 3. τινὲς τῶν γραμματέων εἶπον ἐν ἑαυτοῖς *quidam Scribarum cogitabant secum*, quod sequenti commate per ἐνθυμεῖσθαι explicatur, alias dicitur λέγειν ἐν ταῖς καρδίαις, ut apud τὸν ὁ Psalm IV. 4. Igitur verba μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς verto: *ne videamini cogitare*, h. e. ne ita vos gerite, ut mihi aliisque suspicionem moveatis, ideo vos omnem emendationis vitæ curam abjicere, nec ulla mali secuturi denunciatione terreri, quod cogitetis Abrahami vos posteros esse, eoque nomine satis fore Deo gratos ac munitos adversus mala improbis denunciata.

§. 4. Ut enim Patrum pietate multum se gratia valere apud Deum credebant Judæi, quam rem nuperrime exposuit Cel. Vitringa in *Commentario ad Jes. LXIII. 16.* vide tamen etiam Raymundi Pug. Fidei Part. 3. Cap. 22. p. 951. & 952. Sic Abrahami meritis præcipue plurimum fidebant, vide Raymundum l. c. p. 865. n. 36. & Lightfooti Horas Talmudicas ad Joh. III. 3. & VIII. 33. cujus posteritati cum perpetuus Dei favor & summa quævis promissa essent, inde satis se sanctos & beatos fore sibi persuadebant stulti homines, qui ad Abrahamum generis sui originem referrent;

ferrent; quare in ore omnium versabatur dictum istud: σπέρμα Αβραάμ ἐσμεν Joh. VIII. 33.

§. 5. Verum funditus stultam illam opinionem evertit & profligavit h. l. Joannes graviter & emphatice docens: nihil improbis liberis profuturum optimi Parentis genus & virtutem; neque vero propterea fore, ut minus promissis suis Abrahamo factis satisfaciat Deus: eam enim esse Divini Numinis potentiam ac vim, qua, si Israëlitarum multitudo immo & totum hominum genus meritis suppliciis periisset, vel *ex istis* (quos ibi forte jacentes digito monstrabat) *lapidibus* digna Patris soboles bonorumque promissorum ex asse hæres esset exsurectura ὅτι δύναται, verba ejus sunt, ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Αβραάμ.

§. 6. Similis fere loquutio est, ut jam monuit Grotius, Luc. XIX. 40. ubi Christus λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν οὗτοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκράξονται. Quod tamen (ut hoc hic addam) impuro nebuloni Mohammed ita applicuerunt impudentissimi mendaciorum artifices, ut testarentur, *aliquando in ejus gratiam lapides fuisse loquutos*: Sic enim Aly apud Marraccium *Prodromo 2. ad Refut. Alcorani* p. 34. *Fui cum Mahumeto in Mecca: cumque egressi ea fuissemus, NULLUM HABUIT OBVIUM LAPIDEM vel montem, QUI NON DICERET EI: SALVE PROPHETA DEI.* Id enim manifesto perinde fictum

ctum est, atque quod de Pythagora narrarunt ejus discipuli, *evenisse aliquando, ut a Nesso flumine alta voce compellaretur his verbis:* χαῖρε πυθαγόρη *Salve Pythagora*, adi Jamblichum *Vita Pythag. cap. 28. p. 113.* aliosque. Similem autem phrasin adhibuit quoque Apollonius Tyanensis apud Philostratum *Lib. 6. cap. 9. p. 285.* ubi ad Domitiani successorem tollere gestientis statuam conversus tantam, inquit, esse fatorum vim & certitudinem, *ut cui post Domitianum regnare fato datum esset, etiamsi interficeretur, esset in vitam rediturus:* ᾧ μετά σε τυραννεῦσαι πέπρωται, τοῦτον κἂν ἀποκλείνῃς, ἀναβιώσεται; quam cum Joannæa jam comparavit ad Philostratum l. c. Doctissimus Olearius. Eadem loquendi ratio recurrit *Lib. 9. cap. 7. pag. 351. & 352.*

§. 7. Neque tamen ob nullam rationem *ex lapidibus* potissimum liberos Abrahamo orituros prædicit Joannes, sed respexisse videtur ad Jes. LI. 1. 2. ubi Deus Ecclesiæ orbitatem & solitudinem suam lugenti in memoriam revocat Abrahamum, ex quo uno & senectute quidem confecto tanquam *ex sterili petra* Isaacus & numerosissimi posteri geniti, immo divinæ potentiæ jussu *excisi* essent: הביטו אל-צור חצבתם ואל-מקבת בור נקרתם: הביטו אל אברהם אביכם ואל-שרה תחוללכם כי אחד קראתיו וארכהו וארבהו: *Intuemini rupem ex qua excisi estis & cavum cisternæ ex quo effossi estis. Intuemini Abrahamum patrem vestrum & Saram, quæ*

*quæ vos enixa est nam unus erat cum eum vocarem, & benedixi ei, & multiplicavi eum.*. Itaque pari modo in sterili & effœta Veteris Ecclesiæ, ætate ( Jes. XLIX. 20. 21. &c. ) atque ex iis quos minime parere liberos ( 1. Cor. IV. 15. ) posse crederent Judæi, numerosissimam prolem orituram, quæ tanquam γνήσιον τέκνον Abrahami Patris *vestigia legeret* Rom. IV. 12.

§. 8. Inde vero manare potuit fabula Deucalionis & Pyrrhæ, qui jactis post terga lapidibus reparasse humanum genus dicuntur Profanis, vide præter alios Ovidium *Lib.* 1. *Metamorph.* vs. 383. unde homines λάοι *populi* vocati essent ἀπὸ τᾶ λᾶας *lapis*, auctore Pindaro *Olymp.* θ vs. 71. ubi consule Scholia. Maxime vero ubi meminerimus, lapides istos Deucalionis ex ingente quadam petra excisos esse, quod *ex reconditis Antiquitatum libris & ex intimis mysteriis* refert Timotheus Theologus apud Arnobium *Lib.* 5. *adv. Gentes p.* 158. *In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vastitatis petra est quædam, cui nomen est Agdus, regionis ejus ab indigenis sic vocata: ex ea lapides sumtos, sicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit & Pyrrha.* Quin & ideo petræ Agdus seu Achdus hic mentionem fieri haud absurde suspicari liceret, quod de petra ex qua Israelitas excisos esse dicit Jesaias i. e. de Abrahamo h. l. dicatur כי־אחד קראתיו *Achad eum vocavi.* Deucalionem autem imitati sunt Arabes apud Meccam, qui

certo

certo tempore *in honorem Veneris lapillos retro projiciebant*, auctore Vincentio Bellovacensi *in Speculo Historiali* apud Barthium *Adversar. Lib. 9. cap. 5.* prolis, ut videtur, consequendæ gratia.

§. 9. Eodem referri origo posset fabulæ Rabbinorum de אבן שתיה *lapide fundationis*, ex quo totum mundum creatum esse dictitant, (vide peculiarem de hoc Lapide Dissertationem Viri Cl. Theodori HASAEI;) nisi quis potius à petra illa Agdo, ex qua non homines modo, verum etiam Matrem Deum prodiisse narrat Timotheus apud Arnobium l. c. derivare eam malit. ut quoque ad Deucalionis lapides istum Rabbinorum lapidem jam retulerat Eruditissimus Sheringharmius *ad Joma c. 5. §. 2.* Quod Rabbini autem celebrem illum Messiæ Adversarium ארמילוס dictum *fœtum fere* fingunt *lapidis marmorei puellæ formosissimæ speciem referentis Belialis semine gravidati*, de quo consule Stephan. le Moyne *Var. Sacr. p.* 570-572. Et laudatam Hasæi de *Lapide fundamenti* differt. L. III. §. 26. 27. id ego non tam ex Erichthonii fabula profluxisse existimaverim cum Cel. Vitringa *Comment. in Jes. XI 4.* p. 323. quam illi Profanorum commento originem suam debere, quo *Jovem* dicunt *cum incestis matrem cupiditatibus appeteret, sed obluctatus diu id, quod sibi promiserat, obtinere nequiret, voluptatem in lapidem fudisse unde petra conceperit & Acdestim* (ferocem hominem, qui

qui non Deos curaſſet non homines ) *ediderit*, verba fere ſunt Arnobii ex myſtica Profanorum Theologia l. c. p. 158. vide & pag. 162. nam lapidea illa ſtatua à Rabbinis apud Moyne vocatur *uxor Belialis*, & Deum Mater, ut ex petrâ originem ducebat, ſic & in ſimulacro lapidis Peſſinunte advecti Romæ colebatur; denique ingenium Acdeſtis parum diſcrepat ab Armilli Rabbinici moribus.

De Βαιτύλοις *lapidibus vivis*, qualis etiam ille lapis fuit, quem pro Iove infante Saturnus devoraſſe dicitur, non hic dicendi locus eſt. *Eſſe* autem *aliquos lapides, qui pariant*, credunt Theophraſtus & Mutianus apud Plinium *Nat. Hiſt. L.* 36. *c.* 18. qui & ἐγκυμονίδες quod *prægnantes fiant* vocantur, vide Salmaſium *in Solinum* pag. 111.

## XI.

# Continuatio Catalogi librorum in cœtu Reformatorum vel recens editorum vel recuſorum ad Theologiam ſpectantium.

### *ANGLICE.*

SErmons & Diſcourſes on ſeveral Subjects & occaſions. By Robert SOUTH, D. D.

late Præbendary of Weſtminſter &c. Vol. V. & VI. printed from his original Manuſcripts, prepared for the Preſs by himſelf &c. Lond. 1717. 8. Volumen quintum habet paginas 564. ſextum 511. Adi Biblioth. Angl. Tomum V. part. 1. p. 23. ſq.

The Common Rights of Subjects defended: and the Nature of the ſacramental Teſt conſidered. In anſwer to the Dean of Chicheſter's Vindication of the Corporation & Teſts Arts. By BENJAMIN, Lord Bishop of BANGOR. London. 1719. 8. pagg. 316. Tractatus hic eſt Politico-Theologicus tolerantiam Chriſtianam erga *Non-Conformiſtas*, quos dicunt, in Britannia exercendam defendens. Vide Bibl. Angl. Tom. V. part. p. 32. ſq.

*The Life and acts of the Arch-Bishop Whitgift, by Johan* STRYPE. Lond. 1720. vide Act. Er. Lipſ. M. Apr. Auctor libri, cui quoque hiſtoriam vitæ Archiepiſcoporum Cantuarienſium Thomæ Cranmeri, Matthiæ Packeri, Edmundi Grindalii, debemus, hoc anno e vivis exceſſit.

A diſcourſe of the ſeveral Dignities, and Corruptions of Man's Nature, ſince the Fall. Written by the ever memorable *John* HALES of Eton. Now firſt published from his Original Manuſcript. London 1720.

A Collection of Tracts concerning Predeſtination and Providence, and the other Points depending on then. I. An Appeal to the Goſpel

Goſpel for the true Doctrine of Divine Predeſtination &c. by *John* PLAYFERE D. D. II. A Letter of the learned Ch. POTTER D.D. vindicating his ſentiments in the ſe Controverſies. III. The Examination of *Tilenus* before the Triers in Utopia. IV. A Diſputation concerning the neceſſity and contingency of Events in reſpect of God's eternal Decrees, By Th. GOAD D. D. London 1719. 8. Cum diſputationes de gratia in Anglia novas ſubinde vires acquirant, Anonymus quidam diverſos hos contra particularis gratiæ adſertores tractatus uno volumine recudi curavit.

*Church Autority vindicated*, in a ſermon preached at Putney, May 5. 1719. at a viſitation of the peculiars of the moſt reverend the Lord Archbishop of Canterbury, before the richt worshipful Dr. Bettesworth, Dean of the Arches & Commiſſary of thoſe peculiars. By Fr. HARE, D. D. Rector of Barnes & Chapplain in Ordinary to his Majeſty. London. 1719. 8. pag. 47. Vide de la Roche Mem. literaires de la Grande Bret. T. I. art. 1.

A collection of the Principal Liturgies of St. Clemens, St. James &c. By Th. BRETT L. L. D. London. 1719.

An help for the more caſy underſtanding of the Goſpel of St. John, by Mr. *Edouard* WELLS London. 1720. Eodem authore

brevi ante Commentarius in Lucam & Acta Apoſtolorum Anglice prodiit.

*A Vindication of Chriſt's Divinity*. Being a Defenſe of ſome Queries relating to Dr. Clarke's Scheme of the H. Trinity. In Answer to a Clergyman in the Country. By *Daniel* WATERLAND, Dr. in Divinity, Maſter of Magdalen-College, in Cambridge, and Chaplain in ordinary tho His Majeſty. Cambridge. 1719. 8. pagg. 494. præter præfationem. Adi Biblioth. Angl. Tom. VI. part. 1. p. 53. ſqq. Liber hic jam tertium recuſus eſt, & oppoſitus eſt presbytero eccleſiæ Anglicanæ *Jakſono* qui a partibus eſt Epiſcopi Bangorienſis. Contra eum autem ſcriptus eſt. *A modeſt Plea for the baptiſmal & Scripture-Notion of the Trinity*, 319. pagg. in 8. & deinceps. *The modeſt Plea continued, or a brief & diſtinct Anſwer to Dr. Waterland's queſtions, relating to the doctrine of the Trinity*. London, 1720. pagg. 68. 8.

A Vindication of the diſſenters; in Answer to Dr. William NICHOLS defence of the Doctrine and Diſcipline of the Church of England, in three parts. Written firſt in Latin and now translated into English with large additions. By *James* PIERCE. The ſecond Edition, corrected. London. 1718. 575. pagg. præter præfationem. Cum ſcriptum hoc ederet *Piercius*, Arianiſmi ſuſpicione nondum gravatus erat. Multa in eo occurrunt ſingularia, hiſtoriam & ſtatum Presbyterianorum

norum, quos dicunt, in Britannia illuſtrantia.

A Commentary on the three Catholick Epiſtles of St. *John*; in agrement with the ancienteſt Records of Chriſtianity now extant. By William WHISTHON, A.M. ſometime Profeſſor of the Mathematicks in the Univerſity of Cambridge London. 1719. 8. pagg. 125. Vid. de la Roche. Mem. litt. T. 1. art. 6.

*Remarks on ſome paſſages of Scripture* i. Obſervationes Criticæ in quædam Scripturæ loca, diſſertatione epiſtolica cum Petro *King*, ſupremo curiæ civilis Judice, communicatæ a *Richardo* KIDDER, Theol. D. Epiſcopo Bathonienſi & Wellenſi, Londini 1719. 8. plag. 7½. Conſule Acta Erud. ſupplem. Tom. VII. Sect. VI. p. 275. ſq.

The natural Obligations to believe the principles of religion and divine revelation in XVI. ſermons, preached in the Church of St. Mary le Brouw, London, in the Years 1717. and 1718. at the Lecture founded by the honourable Robert *Boyle*, Eſquire. By *John Leng*, D. D. Rector of Bedington, and Chaplain in Ordinary to his Majeſty. London. 1719. Alph. I. pl. 10. Confer nova litteraria Lipſ. Kal. Apr. p. 47.

Prodiit quoque Londini, *Anglicè* Th. *Burneti Theoriæ telluris* quarta editio, duobus Voluminibus in 8. cum triplici mantiſſa Auctoris.

Germanice.

*Der wahre und rechtschaffene Christ* betrachtet 1) in seinem Ursprung oder allererſten Zug zu Christo 2) in seiner Seelenangst 3) in seinem wahren Glauben 4) in seiner geistlichen Beschaffenheit nach diesem Glauben 5) in seinen besonderen Pflichten und Verrichtungen 6) in seiner Ehre und Glückseligkeit im Leben, im Sterben, und in der Ewigkeit, vorgestellet in verschiedenen Predigten von J. H. SCHMUCKER, ersten Prediger der teutschen Reform. Gemeine in Zelle, Frf. und Leipz. 1720. 5. Alph 8 Bogen.

*Christliche Buss- Glaub- und Danck-Predigten*, gehalten in der St. Peters Kirche in Basel, und auff Begehren in Druck gegeben von Jac. Christoff ISELIIN. Basel 1719. 8. 25. Bogen.

Herrn *Georg* WEBBENS, Englischen Theologi Praxis Tranquillitatis, das ist Ruhe- und Friedens-Ubung, darinnen ein Christgläubiger Mensch herrliche Anleitungen findet, wie er mitten in mancherley Unruhen und Trübsalen dieser Welt ein stilles, friedsames und ruhiges Leben finden möge, aus den Englischen übersetzt. Basel 1720. 12. 15. B.

Das Evangelium beschrieben von JOHANNE, erkläret aus Mose und den Propheten zum Dienst des alten und neuen Israels, durch Hero SIBERSMA, Prediger zu Amsterdam aus dem niederteutschen in das hochteutsche übersetzt, durch Emanuel *Meyer* P. W. Basel 1718. 4. 3. Alph. 7. Bogen.

*Eigent.*

*Eigentliche Abbildung eines wahren Christen*, samt dem Mittel, wie man ein solcher werden könne, durch Hero SIBERSMA, nun ins hochteutsche übersetzet. Basel 1719. 4. 37. B.

*Salems Wächterstimme*, oder schrifftmäßige Erklärung und Zueigenung über die Sonn- und Festtäglichen Evangelien; Zum Unterricht der Lehre der Wahrheit die nach der Gottseeligkeit ist, zur Warnung der Sünder und zur Auffmunterung und Trost der Gläubigen vorgetragen durch Conrad. MEL, der Heil. Schrifft D. und Inspector der Kirchen des Fürstenthums Hersfeld; Cassel 1720. 4. 6½. Alph. Continet hic liber paralipomena concionum in pericopas, quas vocant, Evangelicas, quæ ante sexennium sub titulo; *Sionis doctrina & miracula*, prodiere, Auctoris maxime venerandi, cujus indefessum est promovendæ pietatis scriptis vernaculis studium.

Heilige Sieges-Kräntze und Triumph-Säulen der Kirchen, Knechte und Kinder Gottes; in einigen hieroglyphischen oder Sinnenbildischen Predigten, bey sonderbahren Begebenheiten zur Auffmunterung im Glaubens-Kampff gezeigt durch Johan Herman OVINIUS, Lehrern des H. Evang. zu Elberfeld. 1718. 8. 1. Alph. 11. B. Continet hic liber conciones in Apoc. III. 12. 1. Petr. V: 3. 4. Es. XXXV: 10. XXXIII: 20. Cant. III: 7. 8. Ps. CXIX: 109. haud vulgari curâ elaboratas.

*Die Berg-Predigt des HErren* aus Matth. V. VI. VII. Capp. nach dem Sinn des Geistes unter-

su-

ſuchet, und an die Gewiſſen angeprieſen; ſamt einer Einleitung zu deren nöthiger Beobachtung aus 1. Joh. II:4. dabey ſind beygefü- 8. Catechiſmus-Predigten 3. Feſt-Predigten, 3. Predigten über auserleſene Texte, von der Glückſeligkeit des Volcks GOttes, von der Einfalt in Chriſto, und von der Gedult Gottes zu unſerer Seeligkeit von Herman Reinhold PAULI, Dienern am Evangelio bey der Reformirten teutſchen Gemeine zu Braunſchweig, Franckfurt. 1720. 4. 3. Alp. 13. B.

Der heilige Brautſchmuck der Hochzeit-Gäſte des Lams an ſeiner Bundes-tafel in einer Verhandelung von dem rechten Gebrauch des heiligen Abendmahls ſamt einigen hiehin gehörigen auserleſenen Predigten (in Cant. III: 9. 10. Pſ. XXVII: 8. 9. Pſal. CXLV: 15. 16. Col. II:6. 7.) Zur gemeinen Auferbauung auffgeſetzt von Fr. Adolff LAMPE, Diener des Worts bey der Gemeine zu St. Stephan in Bremen. Brem. 1720. 1. Alphab. 9. Bogen.

HEILIGE BIBEL-UßUNG, oder deutliche uñ gründliche in Frag und Antvvorten abgefaſſete Erklärung und Zueignung des Evangeliums MATTHAEI; in vvelcher die gantze Wunder-Hiſtorie des Leidens und Sterbens, Aufferſtehung und Himmelfarth JEſu Chriſti jene zvvar aus der harmoniſchen Beſchreibung aller 4. Evangeliſten zuſammen, dieſe aber aus Matthaei allein ſchrifftmäſsig verhandelt, aus der Antiquitaet und Philologie erläutert und zur Gottſeligkeit zu Nutz gemachet vvird, zum Lob des gecreutzigten JEſu, und zur Beforderung des Wachsthumbs in ſeiner Gnad und Liebe in Druck überlaſſen von Johan Jacob ULRICH; (a) Zürich 1718. und 1719. dritter Theil 2. B. 6. Alph. 18. B.

(a) Vide Cl. II. faſc. II. p. 301.

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartae*

FASCICULUS SECUNDUS.



*BREMÆ,*

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXX.

VIRO

*Eruditissimo, celeberrimoque*

# JOHANNI MASSONI,

*A. M. &*

ecclesiae Anglicanae presbytero,

Ingenii, judicii, doctrinaeque laude fulgentissimo,

SCRIPTISQUE AETATEM LAturis de re literaria

valde merito,

Vir

*Vicesimum* hunc

# BIBLIOTHECAE

HUJUS

# FASCICULUM

D. D. D. Q.

& ut quidquid ad hoc institutum amplificandum, tuendumque conferre potest, potest autem plurimum, promte, neque parca manu conferat,

publico nomine etiam atque etiam petunt

EDITORES.

Inser-

Inſerta ſunt huic faſciculo.

I. Bernardi de MONTFAUCON Epiſtola
1. De Baptizatis pueris ab *Athanaſio puero.* pag. 221.
2. De tempore mortis *Alexandri*, Epiſcopi Alexandrini. pag. 235.
3. De anno obitus S. *Athanaſii.* pag. 248.
II. ULRICAE ELEONORAE, Reginae ad Helvetios Epiſtola. p. 273.
III. TIGURINORUM ad Baſileenſes Ep. qua comitantur literas Archiepiſc. Cantuarienſis. pag. 275.
IV. C. A. HEUMANNI explicatio ſeptem locorum ex Epiſt. ad Romanos cum triplici mantiſſa. pag. 281.
V. Academiae GENEVENSIS hodierna facies. pag. 299.
VI. Joh. Chriſt. ISELII, de vita ac morte L. BERI relatio. pag. 312.
VII. Jac. HASAEI vindiciarum Vulgati interpretis ſpecimen. pag. 328.
VIII. Joh. D'OUTREINII de *indutione* Chriſti ad Rom. XIII: 14. & Gal. III: 27. diatr. pag. 360.
IX. Joh. GAGNIER CAROLINA; ſ. ecloga in laudem Sereniſſimae Walliae principis. pag. 377.
X. Nova hiſtorico - Theologico - literaria. pag. 397.
XI. Helvetiorum ad CAROLUM I. magnae Britanniae regem epiſtola. pag. 412.

I. Ber-

I.

# *BERNARDI DE MONTE-FALCONIS,*

## Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri EPISTOLA (*a*) ad Amicum.

*An vera narratio Rufini, de baptizatis pueris ab Athanasio puero. Item de tempore mortis Alexandri, Episcopi Alexandrini, ac de anno obitûs Athanasii Magni.*

(*a*) Tam eximia Bernh. Montfauconii in rem literariam exstant merita, tamque insigniter illa augentur quotidie, ut nemo ejus ignorare nomen possit, qui non ignorat literas. Hoc opusculum mole exiguum, non pondere, Lutetiæ Parisiorum ante hoc decennium in forma, quam vocant, octava editum in his regionibus conspicitur rarissime. Cum nuper in publica auctione occurreret, non nisi immani soluto pretio ejus potui fieri compos. Quamobrem me

A.

# De Athanasio baptizato.

MONES frequenter ut jamdiu exagitatas quæstiones de baptizatis pueris ab Athanasio puero, de die obitûs Alexandri Alexandrini Antistitis, de anno mortis Athanasii Magni, diligenter expendam : ægre te ferre dicis assertam his de rebus opinionem tritis atq; infirmis argumentis denuo impeti, notas certas incertis oppugnari. Mihi autem initio reluctanti, monitis tandem, Vir amicissime, tuis obtemperare visum est. Quod sane non præstitissem, nisi nova subsidia nostræ firmandæ sententiæ opportuna suppeterent, quæ rebus in controversiam adductis lucem adferre possint.

Rem autem ita temperandam putavi, ut nullum adversæ sententiæ vindicem, si quidem in vivis adhuc & superstes sit, nominatim adoriar; eo nempe consilio, ne Epistola isthæc in lites & jurgia deflectat. Missis igitur aliis, quæ ad rem non pertinent, cujusque

facile a te, B.L. impetraturum veniam confido, quod te nunc illo impertiam; Ceterum, de *Athanasii baptismo*, J.G. *Marggrafii*, quem nunc Gottenburgi in Suecia sacerdotis fungi munere accepimus, erudita dissertatio conferri meretur, quam ille primo hujus saeculi anno sub præsidio celeberrimi J. A. Schmidii, publice in Academia Julia defendit. T. d. H.

que opinionis argumenta proferam, nihil eorum diſſimulaturus, quæ ad utramvis tuendam ſententiam aliquid momenti conferre poſſunt. Cui vero ſit maxime hærendum, eruditorum & ſagacium, tuique ſimilium judicio permittam. Ac ut temporis ordine procedamus, ab hiſtoria Athanaſii pueri, pueros, teſte Rufino, baptizantis exordium ducemus.

Rufinus itaque lib. I. cap. 14. baptiſmum illum ludicrum enarrat: cujus verba referre non pigebit; nam vel ipſa narrationis ſeries neſcio quam confictæ rei ſpeciem præfert.

Tempore quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander Epiſcopus agebat, cum poſt expleta ſolemnia conventuros ad convivium ſuum Clericos exſpectaret in loco mari vicino; videt eminus puerorum ſuper oram maris ludum, imitantium (ut fieri ſolet) Epiſcopum, atque ea quæ in Eccleſiis geri mos eſt. Sed cum intentius diutine pueros inſpectaret, videt ab iis geri quædam etiam ſecretiora & myſtica. Perturbatus illico vocari ad ſe clericos jubet, atque eis quid eminus ipſe videret oſtendit. Tum abire eos, & comprehenſos ad ſe perducere omnes pueros imperat. Cumque adeſſent, quis eis ludus, & quid egiſſent, vel quomodo, percontatur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primo: deinde rem geſtam per ordinem pandunt, & baptizatos a ſe eſſe quos-

dam Catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur: quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat; ubi videt secundum Religionis nostræ ritum cuncta constare, colloquutus cum concilio Clericorum, statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ à Sacerdotibus mos est. Athanasium vero atque eos quos ludus ille vel Presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit Ecclesiæ suæ nutriendos. Parvo autem tempore, cum a Notario integre & a Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tanquam fidelem Domini commendatum, a parentibus restituitur Sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini nutritur, & ab eo pergente ad patres in senectute bona, ad portandum post se Ephod sacerdotale deligitur.

Hæc Rufinus auctor. Ex Rufino Socrates, L. I. cap. 15. qui frigide adjicit Rufini narrationem non videri incredibilem. Sozomenus L. II. c. 17. item ex Rufino, ut liquet, mutuatur. Hanc narrationem multi & quidem eruditione conspicui homines vel primo adspectu jure suspectam habuêre. Ejus tamen verita-

ritatem propugnant nuperi quidam Scriptores. Defendit item Cl. V. Antonius Pagius: Cujus etiamsi nos auctoritatem magni faciamus, non possumus tamen ei hac in re adstipulari. Nam præterquam quod ipsa per sese historia non ita probabilis videtur, neutiquam potest ad Athanasii ætatem quadrare. Quod quidem ex ipsis Athanasii verbis aperte, ni fallor, demonstrabitur.

Ut autem qua ratione, quave de causa, narrationis hujusmodi veritatem tueantur Adversarii clarius intelligatur, hæc primum observanda sunt; nempe Athanasium in Episcopum Alexandrinum cooptatum fuisse anno 326. & quidem, ut opinantur illi, ineunte, sive mense Januario. Ludus autem ille puerilis, contigisse non potuit ante annum 313. vigesima sexta Novembris, qua celebrabatur anniversarium Petri Martyris; tunc enim primum Alexander post Novembrem anni 312. in Episcopum electus, Petri Natale recolere potuit; qua de re nulla oritur controversia. Ea posita temporis ratione adversus historiæ Rufini narrationem insurgunt eruditi complures; ac ducto calculo contendunt non potuisse eum qui ineunte anno 326. ad præcipuam Orientis Sedem promotus fuerit, vertente anno 313. puerum inter pueros ludere, ne primis quidem litterarum elementis imbutum: quandoquidem sc. anno 326.

(*b*) 30. annorum fuerit, quæ saltem ætas ad tantum munus suscipiendum postulabatur, anno 313. vertente 18. circiter annorum erat: cui ætati convenire omnino non possunt ea quæ in hist. Rufini narrantur.

Alii contra, sed jam numero pauciores, ut historiam illam Rufini propugnent, Athanasium viginti quinque dumtaxat annos emensum in Alexandrinam Sedem evectum statuunt.

Quid enim repugnat; ajunt, virum id ætatis electum fuisse, quandoquidem Remigius annorum 22. in Episcopum Remensem cooptatus est? Et sane juniorem fuisse Athanasium, cum promoveretur, conquesti sunt quidam ejus adversarii, teste Ammonio Episcopo in Epistola sua. Qua posita supputatione, contendunt Athanasium anno 313. tredecim annorum puerum cum pueris ludere potuisse. Verum in promtu est, ni fallor, hanc opinionem perspicuis Athanasii testimoniis confutare.

Libro enim de Incarnatione qui librum contra Gentes excipit, ac eodem tempore eademque de causa scriptus est, ait Athanasius pag. 9. se ea quæ in duobus contra Gentes & de Incarnatione libris conscripsit à Magistris suis, qui Martyres Christi fuerant, accepisse. Illæ enim, inquit, (Scripturæ) Theo-

(*b*) Can. XI. Neocæs. Πρεσβύτερον πρὸ τῶν λ' ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω κἂν πάνυ ᾖ ἄνθρωπος ἄξιος.

Theologorum hominum ministerio à Deo prolatæ & scriptæ sunt: quarum sententiam cum a Magistris, divino Spiritu afflatis, qui ipsas legerant, quique Deitatis Christi Martyres effecti sunt, didicerimus, eandem tuæ sedulitati tradimus. A Martyribus igitur institutus fuerat Athanasius, οἱ καὶ μάρτυρες τῆς θεότητος χριστοῦ γεγόνασι: ab iisque scripturarum mentem & sublimiora Christianæ Religionis mysteria didicerat: adeoque firmiter tenebat, ut cum eorundem Magistrorum scripta non adessent, ex iis quæ tunc memoria suppeditabat, Libros hosce duos eximios conscripserit, ut ipse testificatur initio libri contra Gentes, his verbis: p. 1. Exstant quoque plurimi ea de re à beatis Magistris nostris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodammodo intelliget, & eam quam expetit cognitionem consequi poterit. Verum tamen cum Magistrorum libros in manibus nunc non habeamus; necesse est ea, quæ ab illis didicimus, tibi patefacere & scribere.

Magistri vero, quorum operâ Athanasius arcana quæque Christianæ Religionis mysteria tam accurate edidicerat, ii haud dubie erant qui Maximino imperante martyrio perfuncti sunt. Quæ Maximini carnificina anno vertente 311. prorsus desiit. Quo anno illi qui Athanasium res Theologicas docuerant, martyrio coronati sunt.

Hinc porro liquidum est, Rufini historiam

non posse cum vera temporis ratione consistere: errareque eos, qui ut Rufino patrocinentur, Athanasium tredecim annorum adolescentem cum pueris anno 313. lusisse volunt, siquidem eum biennio antea jam adolescentiam ingressum fuisse oportet, qui anno cum tardissime 311. sublimiori, ut vidimus, Theologiæ sub Martyrum disciplina operam dederat. Unde coguntur qui eum anno 313. tredecim annorum adolescentem faciunt, ipsum anno 311. undecim annorum puerum facere. In tam tenera autem ætate, tantâ rerum Theologicarum peritiâ fuisse, quantam exhibent duo libri contra Gentes, Judæos & Hæreticos, nemo sane credat, si modo præjudicatam ponat opinionem. Nam ut ad eum doctrinæ gradum pervenerit Athanasius, multis ante annis disciplinis traditus fuerit oportet: quod in undecim annorum puerum quomodo quadrare valeat? Nec dici potest hic Martyres dici eos, qui pro Christo passi, Martyrio tamen consummati non fuerant: Etenim Athanasius semper Martyrum nomine intelligit eos, qui pro Christo mortem subierant: eos autem qui non ad necem usque cruciati fuerant, etiamsi membris mutilati essent, ὁμολογήτας vocat, sive Confessores: quales erant, verbi gratia Paphnutius & Potammon Episcopi, qui pro Christo oculum perdiderant, & altero poplite mul-

mulctati fuerant, quosque nunquam Martyres, sed Confessores appellat Athanasius.

Multo magis cum Athanasii testimonio pugnat quod adjicit Rufinus; nempe post hujusmodi ludum Athanasium traditum fuisse Notario; id est Pædagogo, qui prima literarum elementa doceret, atque ad legendum & scribendum institueret: ac postea Grammatico, ut nempe humaniores literas ediscceret. Ubi notes, cum hujusmodi puerilis ludus, secundum adversariorum sententiam anno vertente 313. nimirum die Natali Petri Martyris 26. Novembris acciderit; hinc consequi prima Athanasii tyrocinia in annum 314. ineuntem circiter, conferenda esse. Sic qui anno 311. omnibus humanis divinisque disciplinis probe instructus erat, ut ex ipsis Athanasii verbis commonstratur; anno 314. prorsus διαλφάβητῳ, Pædagogo traditur primis literarum elementis erudiendus. Quis non videat hîc nugari Rufinum, anilemque fabulam texere?

Quis vero credat Athanasium honeste natum, & in urbe omnium disciplinarum Magistra educatum, ad quartum & decimum ætatis annum perveniisse, antequam Notario traditus Libros legeret, qui tamen ut omnibus aliis peritior, in Episcopum à pueris adlegitur, Episcopalium rituum, teste Rufino, ita gnarus, ut nihil eorum prætermiserit. Mirum sane in eo puerorum cœtu, eum qui cæ-

teris doctior habebatur, ne legendi quidem peritum fuisse, & in nobilissima Orientis Academia pueros adolescentiæ jam proximos tam illiteratos deprehendi. Sane si vel tantillum Rufini mens attendatur, facile patebit hic de parvulis agi, quales sunt qui antequam Pædagogo tradantur, puerilibus ludis vacant. Sed adversæ partis vindices tredecim annorum fuisse comminiscuntur, ut labantem per se historiam defendere valeant, quod tamen, ut puto, non assequentur.

Si enim subsequentia Athanasii gesta considéremus, illa Rufini narratio, etiamsi apertis Athanasii testimoniis non everteretur, improbabilis tamen aliunde videatur. Nam anno 320. Athanasius (c) Diaconus penes Alexandrum Episcopum, ipsique à consiliis erat, ita ut ejus suasu S. Antistes Arium & assecias exagitaret ac demum coacta Synodo damnaret & ab Ecclesia pelleret: quod cum Athanasio auctore factum putaretur, ideo Ariani Athanasio semper infensi fuêre. Tunc autem ille secundum Adversariorum calculum, viginti duntaxat annorum erat: ideoque immaturior omnino, quam ut rebus tantis gerendis par esse potuerit: cum maxime jam ante hoc tempus nimirum, ut alibi (d) probavimus, ante Arianismi exortum, qui anno cum tardissime 319. contigisse creditur,

Li-

(c) Athan. Apol. pag. 128.
(d) Animadv. in vitam & scripta Athanasii.

Libros contra Gentes & de Incarnatione ediderit, quibus nihil elegantius antea in Ecclesia conscriptum fuerat. Quod autem Athanasius anno 320. Alexandri Diaconus fuerit, aperte probatur ex (e) subscriptionibus Epistolæ Synodalis Alexandri, quas ex antiquissimo Codice Regio longe auctiores & sinceriores edidimus, quam apud Gelasium habentur. Ibi enim inter Diaconos Alexandrinos qui Arii damnationi subscribunt, duo Athanasii comparent, quorum alteruter is de quo agimus est: & sane duos penes Alexandrum Athanasios fuisse narrat apud Sozomenum Apollinarius Syrus Athanasio æqualis. In Epistola idem Episcoporum Ægyptiorum pag. 128. legitur Arrianos in Athanasium exarsisse, quia compererant Alexandrum, à quo nuper damnati fuerant, Athanasium tunc Diaconum sibi familiarem summo in pretio habuisse.

Arianorum vero damnatio ab Alexandro in Synodo facta in annum cadit 320. quod non conjectura statuimus, sed ex ipsius Athanasii verbis in Epistola ad Episcopos Ægypti & Libyæ, quæ certissime anno 356. mense circiter Martio data est; post irruptionem videlicet Syriani Ducis, mense Februario ejusdem anni factam, & ante intrusionem Georgii, quæ extremâ Quadragesimâ ejusdem anni contigit. Ibi namque dicitur ante an-

(e) Edit. Athanas. p. 401.

annos 36. Arium & asseclas dominatos fuisse. Quæ nota indicat annum 320. unde arguas nuperum Scriptorem, qui nescio quo supputandi modo usus Alexandrinam illam Synodum, in qua haud dubie Arius damnatus est, ad annum 315. retrahit, suo seipsum gladio jugulare; sequeretur enim ex ipsius calculo Athanasium annorum tunc non amplius quindecim, Diaconum Synodo subscripsisse, qui tamen anno 314. prorsus illiteratus Notario traditus fuerat instituendus & postea Grammatico, ut humaniores literas ediscceret: quibus sane ludimagistris nondum plenam operam dedisse poterat anno 315. Neque prætermittendum est Athanasium nostrum, cum Arius in Synodo damnatus est, non videri in Diaconorum numerum recens admissum fuisse, tum quia aliquid temporis intercessisse videtur, ut ad tantam Alexandri Episcopi familiaritatem devenire posset; tum quia inter Diaconos, qui numero 24. Arii damnationi subscribant, ex duobus Athanasiis Diaconis, quorum alteruter est is de quo agitur; alias quartum, nonum alias locum in subscriptionibus occupat. At eo ordine subscribere putantur, quo ad Diaconatum admissi sunt: nec credibile videtur eum primis numerari eos, qui postremi admissi fuissent.

Verum, inquiunt, S. Doctoris inimici (f) querebantur Athanasium juniorem quam par erat

(f) Epist. Ammonii, in Actis S.S. ad 14. Maii.

erat in Episcopum Alexandrinum adlectum fuisse. Causa vero conquerendi probabilis erat, si cum in Episcopum cooptatus est, anno videlicet ineunte 326. (nam sic illi calculum ponunt) viginti quinque aut 26. annorum tantum fuerit, secus autem si triginta aut plures annos habuerit : nam sic, re secundum Canones gesta, nullus calumniæ locus superfuisset. At novum plane videatur, in Arianorum calumniis tantam probabilitatem ab adversariis nostris quæri : certe Arianorum mores & impudentiam vel non norint, vel se non nosse simulent oportet, qui hujusmodi argumentum (g) proferunt. An probabilitatem quærebant Ariani, cum dicerent, Athanasium clam paucisque annuentibus in Episcopum adlectum fuisse, cum tamen constaret omnium Ægyptiorum Episcoporum calculo, acclamante & Athanasium postulante universo populo, fuisse promotum. Sane alias omnes Athanasio ab Arianis oblatas calumnias si quis diligenter examinet nullam minus improbabilem reperiret, quam quod triginta duntaxat annos natus in Episcopū Alexandriæ, quæ pro nobilissima Orientalium habebatur sede, ordinatus fuerit. Ad hæc autem, hujusmodi quærimonia statim & ab initio obsoleverit necesse est: nam inter criminationes Arianorum, quas plerumque recenset Athanasius, quas enumerant item Syno-

(g) Athan. p. 128. 129.

nodus AlexandrinaRomana ſub Julio & Sardicenſis, hæc nusquam comparet. Quare infirmo prorſus argumento ulterius confutando ſuperſedemus.

Quod ajunt autem de Remigio, qui anno ætatis 22. in Epiſcopum ordinatus eſt, ita inauditum alias, ita inſolitum eſt, ut non debeat in exemplum vocari. Quid autem valet exemplum unicum, quale per ea tempora prorſus nullum reperias? Si quis dixiſſet Athanaſium viginti quinque annorum Epiſcopum electum fuiſſe; tum ſane exemplum Remigii in memoriam revocari poſſet; Sed nemo unquam id de Athanaſio dixit. At, inquiunt, non poteſt ſtare Rufini hiſtoria, ſi plus ætatis Athanaſio tribuatur. Non ſtet igitur, cum maxime hic Auctor ſæpiſſime fabellas hiſtoriæ ſuæ admiſcere deprehendatur. Sane ita ſolitum eſt nugari Rufinum, ut inſolitum erat illo ævo juvenes viginti quinque annorum ad præcipuas Orbis ſedes provehi.

Hæc de Rufini hiſtoria, quam jamdiu Viri docti ſuſpectam habuêre: non modo quia ad Athanaſii ætatem quadrare non poſſe putabant; ſed etiam quia fingentis magis artificium quam rem vere geſtam olet. Nam certe convivium illud Alexandri ad oram maris in Natali S. Petri Martyris, vixdum elapſo perſequutionis tempore; perturbatio Epiſcopi pueros procul ludentes inſpectantis; jocularis

laris baptiſmus, qui ratus & firmus declaratur, cæteraque hujusmodi ad mythologos ableganda videntur, quemadmodum & alia multa, quæ Rufinus, dubiæ fidei auctor, hiſtoriæ ſuæ admiſcere ſolet.

## B.

## De die obitûs Alexandri Epiſcopi Alexandrini.

Dixi in vita Athanaſii p. 12. ex quorundam opinione Alexandrum Alexandrinum Antiſtitem, vigeſimâ quintâ Februarii anni 326. è vivis exceſſiſſe. Cum autem aliud ſentirem, nec vellem vitæ S. Athanaſii curſum prolixiori diſputatione intercipere, ad prævium Monitum remiſi, ubi rem quam accuratiſſime potui expendi. Hic nova, nec hactenus, ni fallor, obſervata adjiciam, ut probem, Alexandri obitum ab Ægyptiis, Habeſſinis, Arabibus, aliisque Orientalibus, conferri in diem Aprilis XVII. quantumvis reclament adverſarii, atque huic temporis notæ ſtandum eſſe, cũ alia, quæ in Martyrologio Romano habetur, fatentibus illis ipſis adverſariis vitiata ſit. Noſtramque ſententiam ab Athanaſii ea de re verbis non diſcrepare contendimus.

Hanc porro notam Chronologicam debemus primùm Auctori Chronici Orientalis ab Abrahamo Echellenſi editi anno 1651. unde cœpit hæc opinio, ut tute probe noſti, ad doctos

ctos emanare. Notatur ibi dies XXII. menſis Barmudæ, ſeu Pharmuthi, quæ incidit in decimam ſeptimam menſis Aprilis. Huic accinit Chronicon Alexandrinum, quod quidem ante Chronicon Orientale publicatum eſt, ſed cujus de Alexandri obitu verba tardius obſervata fuêre. Ibi ſic legitur Edit. Cangii pag. 284. Alexander a. d. XIV. Kalendas Majas, Pharmuthi XXII. deceſſit, illiusque loco conſecratus eſt Athanaſius ille magnus Pater. Id ipſum habet Abulbaracatus a Michaële Wanslebio Gallico idiomate editus, in hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ p. 309. Eam ipſam notam præferunt, teſte Eruditiſſ. & Linguarum Orientalium peritiſſimo Abbate Euſebio Renaudotio, Elmacinus (*b*) mſ. qui Alexandrum obiiſſe dicit die XXII. Barmudæ, ſive Pharmuthi: Itemque Malcrizi Muhammedanus ſcriptor, in hiſtoria Ægypti mſſ. Addit idem D. Renaudotius, in alio quodam manuſcripto legi XXIII. Barmudæ pro XXII. ſed, hoc tantum excepto, omnes conſtanter habent XXII. Barmudæ. Sic etiam legitur in Kalendariis Coptitarum; & in Kalendario Habeſſinorum, qui ex Coptico Catalogo exſcriptus olim fuit, ad vigeſimam ſecundam menſis Barmudæ hæc leguntur: Aleskandros likæ papas; id eſt, Alexander Presbyterorum Patriarcha, referente Jo-

(*b*) Elmacinus prima parte operis ſui, quæ edita non eſt.

Jobo Ludolpho, qui hanc notam adjicit: Decimus nonus Patriarcha Iikæ Mahæbær, Præſes Concilii Nicæni Oecumenici ab Encomiaſte vocatur, cui adſtipulantur Hiſtorici Orientales, obiit hoc ipſo die. Id optime annotat Ludolphus; quod ex Orientalium teſtimoniis ſupra poſitis ita liquidum eſt, ut jam nemo negaturus ſit, niſi velit in aperta luce ſponte cæcutire, Ægyptios & Habeſſinos ad XVII. Aprilis, quæ eſt XXII. Barmudæ, diem obitus Alexandri conſignare.

Hinc ſane liquet nos jure dixiſſe, Chronicon illud Orientale non contemnendum eſſe, quod tu, Vir Doctiſſime, approbaſti. Nam licet ibi multæ paſſim fabellæ, annorumque calculi frequenter ſecus quam oportebat poſiti exhibeantur; tuo ſane meoque judicio perinde peccarent qui totum opus ut omnino ſpernendum rejicerent; atque ii qui nullo id examine, nulla rerum & temporum diſquiſitione adhibita, quaſi theſauſaurum pretioſum adoptarent. Idemque de aliis omnibus Orientalium Chronicis & Hiſtoriis eſto Judicium.

Cum itaque certum & exploratum ſit Ægyptios & Habeſſinos die decima-ſeptima Aprilis, quæ eſt XXII. Barmudæ Alexandri obitum celebrare; ſupereſt ut occurramus argumento adverſariorum, quod ſic ſe habet: Chronicon Orientale dicit, obiiſſe Alexandrum vigeſimâ ſecundâ Barmudæ die Lunæ:

at anno 326. quo obiit Alexander dies XXII. Barmudæ non concurrebat cum die Lunæ, sed cum Dominica; non potest igitur stare calculus Chronographi Orientalis, qui ut diem apprime notavit, ita feriam aliam pro alia substituit. Id vero quomodo factum sit probabilissimâ conjecturâ indicavimus in eodem Monito. Nimirum ex antiquo Orientalis Ecclesiæ usu, quod nemo negaverit, dies à vespera ad vesperam sequentem computabantur. Præter hunc computandi morem, alii populares omnibus quibusvis religionis hominibus usu veniebant. Romanus autem mos dies computandi ubique, maxime autem in Ægypto, vigebat, ut exploratum vel inde est, quod qui mensem Ægyptium referebant, sæpissime etiam Romanum mensem, atque diem Ægyptio respondentem adjicerent, ita ut aliquando a Romano, interdum ab Ægyptio inchoarent. Sic populus Alexandrinus (*a*) in Contestatione, qua violentam Syriani Ducis irruptionem describit, uti illucescente namque quinto idus Februarii die, id est, decimo quarto mensis Mechir: & in fine ejusdem Contestationis: Mechir 17. quæ est pridie idus Februarii. Possem innumera hujusmodi exempla proferre, sed rem non puto in dubium vocandam. Romani vero diem a media nocte ad mediam noctem sequentem computabant

(*a*) Athan. p. 394. 395.

bant, ut obſervant plerique veteres, & noviſſime Mullerus in Tabulis Friſicis p. 79. Romani, inquit, a media nocte præcedenti diem auſpicantur. Ægyptii autem, ut notat ibidem Mullerus, a meridie ad meridiem ſequentem dies numerabant. Ex qua numerandi varietate ſæpe accidit, ut dies ille Romanus cum Ægyptio vel cum Eccleſiaſtico confunderetur, quod hic contigiſſe putamus, ac nobiſcum exiſtimant viri eruditione graves. Itaque anno 326. cum eſſet litera Dominicalis B. obierit Alexander die Dominica poſt veſperam & ante mediam noctem; ita ut Romano more mors ejus incidat in XXII. menſis Barmudæ, ſive XVII. Aprilis, more autem Eccleſiaſtico in XXIII. Barmudæ eam retulerit. Cæteroquin mos invaluit, ut XXII. Barmudæ dies obitus S. Alexandri apud Ægyptios & Habeſſinos celebretur. Illa vero diei in alteram ſequentem commutatio non infrequens eſt apud Ægyptiacarum rerum Scriptores; ita ut ubi unius tantum diei diſcrimen deprehenditur, id nihil negotii faceſſat. Sic idem Chronicon Orientale mortem Petri Martyris conjicit in 25. Novembris quæ accidit 26. ejusdem menſis, ubi recte notat Tillemontius, id varietatis loco non eſſe habendum. Eadem diei in præcedentem aut in ſequentem commutatio perſæpe occurrit apud Elmacinum: Quod periti rerum non pro diſcrimine habent, certi id ex vario dierum numerandi more profectum eſſe.

Idem porro Chronicon Orientale annum obitus Alexandri notat exactum 318. currentem vero 319. æræ Christianæ Alexandrinæ, qui postremus concurrrit cum anno 326. æræ nostræ sive Dionysianæ. Æram vero Christianam Alexandrinam eam dicimus, quam V. Cl. Antonius Pagius vocat æram Incarnationis Alexandrinam, quæ septem minus annos habet quam Dionysiana. Ea vero de re vide laudatum Pagium in Dissertatione de Periodo Græco-Romana pag. XVIII. & seqq. Annum igitur obitus ut & Diem optime annotavit Auctor Chronici. Nec minus accurate annos Athanasii Episcopatûs numeravit, nempe quadraginta sex plenos & secundum veram supputationem anno 373. mortuum Athanasium indicat cum ait: Obiit S. Patriarcha septima Beseinas die Jovis. Secunda quippe Maji in diem Jovis cadebat anno 373. verum hac de re postea.

Jam neminem puto negaturum esse, ex Ægyptiorum & Habessinorum calculo Alexandrum obiisse die XVII. Aprilis anni haud dubie 326. Cum autem hic dies obitûs jam a multis sæculis pro certo habeatur, non est quod alium quæramus: quandoquidem compertum est illum alium, qui in Martyrologio Romano habetur, recens inductum fuisse, nec in vetustioribus Martyrologiis reperiri. Cur, inquam, fidem non habeamus Ægyptiis diem mortis Alexandri notantibus, quando

do iisdem Petri Martyris & Athanasii diem obitus indicantibus fidem habemus? Nam certum est ab Ægyptiis primum emanasse dies obitus eorum; tam scilicet Athanasii & Petri, quam Alexandri. Sane probandi non sunt ii, qui hac vetustissima rejecta nota, aliam sibi confingunt, nullis testatam auctoribus; atque nulla prorsus auctoritate in Decembrem anni 325. aut in Januarium anni 326. mortem Alexandri conferunt. Quæ opinio sane inaudita hactenus, neque cum vera historiæ serie, neque cum annis Episcopatus Athanasii convenire potest, si vere ille anno 373. obierit, quod nos infra demonstraturos speramus.

Supereſt ut reſpondeamus argumento, quod ex Athanaſii verbis erui pugnant. En verba Athanaſii p. 177. ex Apologia contra Arrianos. Ταῦτα δὲ πράττοντος τοῦ Μελιτίου, γέγονε καὶ ἡ Ἀρειανὴ αἵρεσις. Ἀλλ' ἐν τῇ συνόδῳ τῇ κατὰ Νίκαιαν ἡ μὲν αἵρεσις ἀνεθεματίσθη, καὶ οἱ Ἀρειανοὶ ἐξεβλήθησαν. οἱ δὲ Μελιτιανοὶ ὁπωσδήποτε ἐδέχθησαν, ὃ γὰρ ἀναγκαῖον νῦν τὴν αἰτίαν ὀνομάζειν; ὅπω γὰρ πέντε μῆνες παρῆλθον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν. οἱ δὲ Μελιτιανοὶ δέον ἠρεμεῖν, καὶ χάριν ἔχειν ὅτι κἂν ὅλως ἐδέχθησαν, οἱ δὲ κατὰ τὰς κώμας, ὃν ἐπιλαθόμενοι ὧν ἐξήγασαν πάλιν τὰς ἐκκλησίας ἐτάραττον. i. Meletio hæc agente Arriana exorta est hæresis: Sed in Nicæna Synodo ipsa quidem hæresis anathemate dammata est, Arianique rejecti; Meletiani

vero aliquo saltem modo recepti sunt: neque enim jam necesse est ejus rei proferre causam. Mensibus enim quinque nondum exactis, obiit beatæ memoriæ Alexander: Meletiani vero, quos quiescere par erat, & gratiæ loco habere, quod aliquo saltem modo in Ecclesiam essent admissi, more canum, non obliti vomitum suum, iterum perturbabant Ecclesias. Hinc concludunt illi ante quintum à soluta Nicæna Synodo mensem, quæ Synodus mensis Augusti XXV. desiit, mortuum esse Alexandrum. Nam, ajunt, id diserte narrat Athanasius: id confirmat item Theodoretus, L. I. c. 26. qui ait, quinque post Nicænam Synodum mensibus obiisse Alexandrum. His testimoniis sententiam suam clare confirmari censent, ac consequenter, defunctum dicunt Alexandrum, vel initio anni 326. mense Januario, vel sub finem anni 325. quam postremam notam quadrare putant cum Epiphanii loco, hær. p. 68. ubi ait eodem anno mortuum esse Alexandrum, quo Nicæna Synodus celebrata est.

Verum hæc, quæ tam explorata existimant, si accuratius expendantur, nulla videbuntur, neque eruditos, ut quidem arbitror à notis diei obitus Alexandri, quas supra statuimus, vel tantillum dimovebunt. Non semel enim accidit, ut cum Athanasius importuna brevitate res obiter tangit, viros etiam doctos in errorem deducat, quod exemplis confir-

ſirmare in promptu eſſet. Quamobrem cum res ita perfunctorie tractat, caute legendus, ejusque ſcopus attente conſiderandus eſt. Itaque cum ait : Sed in Nicæna Synodo ipſa quidem hæreſis anathemate damnata eſt, Arianique rejecti; Meletiani vero aliquo ſaltem modo recepti ſunt : neque jam neceſſe eſt ejus rei proferre cauſam. Menſibus enim quinque nondum exactis obiit Alexander. Meletiani vero, quos quieſcere par erat, & gratiæ loco habere quod aliquo ſaltem modo eſſent admiſſi, more canum, non obliti vomitum ſuum, iterum perturbabant Eccleſias; ibi notat Meletianorum perfidiam & levitatem, qui poſt datam fidem & poſt receptionem ſuam, vix quinque menſibus quieverint. Hanc eſſe Athanaſii mentem fatentur etiam adverſarii. At illa receptio, non in Nicæna Synodo peracta eſt, ut contendunt illi : ſed ibi ſolum conſtituta ſunt ea, quæ ad Meletianum Schiſma componendum idonea erant, certis conditionibus; quibus admiſſis, Meletiani ab Alexandro recipiendi erant. Nam cum Meletiani Nicænæ Synodo non adeſſent, (de Meletio quippe tantum an adfuerit dubitatur,) non poterant illi conditiones a Synodo conſtitutas admittere, ut reciperentur. Sed demum Alexandriæ, poſitis conditionibus, ab Alexandro reduce recepti ſunt. Ut vero ob levitatem, aut perfidiam Meletianos opportune argueret Athana-

sius, à data fide & receptione eorum initium computandi haud dubie duxerit.

Quod autem illa Meletianorum receptio Alexandriæ post Alexandri reditum facta fuerit, ex ipsis Athanasii verbis liquido comprobatur. Ait enim in eadem Apologia contra Arianos p. 187. Quando Meletius receptus est, (quod utinam nunquam factum fuisset,) beatæ Vir memoriæ Alexander ejus exploratam habens calliditatem, Breviarium seu Catalogum ab eo postulavit Episcoporum, quos se ajebat in Ægypto habere : nec non Presbyterorum & Diaconorum ; atque eorum, si quos haberet, qui in agro Alexandrino : quod eo egit consilio Alexander Papa, ut nec Meletius, Ecclesiæ potestate confidenter assumta, multas venderet ordinationes, neu quotidie mentiendo quos vellet subjiceret. Eorum igitur qui in Ægypto erant hoc breviarium edidit. Postea sequitur Breviarium illud, ubi Meletius viginti novem Episcoporum ex variis Ægypti urbibus, paucorumque Presbyterorum & Diaconorum nomina describit. Statim vero subjicit Athanasius : Hos Meletius coram adductos, sive præsentes, Alexandro tradidit Episcopo. En tibi secundum Athanasium Meletianorum receptionem Alexandriæ factam; tunc videlicet, cum Meletius Meletianos omnes, quos ordinaverat præsentes Alexandro tradidit, Alexander vero recepit. Τούτους Μελίτιος καὶ παρόντας παρέδωκεν Ἀλεξάνδρῳ τῷ ἐπισκόπῳ. Ab hac vero recepti-

ceptione Athanasius computandi exordium ducit cum ait : Mensibus enim quinque nondum exactis, obiit Alexander. Meletiani vero quos quiescere par erat, & gratiæ loco habere quod aliquo saltem modo essent admissi, &c. Admissi videlicet ab Alexandro reduce, non autem in Nicæna Synodo, ubi non aderant : ex supradictis enim jam nemo negaverit Meletianorum admissionem Alexandriæ peractam fuisse, ὅτε ὁ Μελίτιος ὑπεδέχθη, quando Meletius receptus est. Theodoretus autem, qui ait Alexandrum elapsis quinque a Nicæna Synodo mensibus obiisse, id ex Athanasio accepit, ac vel est ex Athanasio explicandus, vel male Athanasii mentem expressit, quod libentius crederem. Magis ad veritatem accedit Auctor libelli Synodici in Synodo Cæsariensi dum ait : Alexandro Papa Alexandriæ, quinto post mense, quam Nicæa domum reversus esset, ad Dominum digresso, Athanasius præsulatum merito accepit.

Par errandi causa fuit Baronio, cum nimia Athanasii brevitate deceptus, graviter lapsus est. Nimirum hæc Athanasii verba in Epistola ad Episcopos Ægypti & Lybiæ : Meletiani ante quinque & quinquaginta annos Schismatici facti sunt; Ariani vero ante sex & triginta annos Hæretici sunt declarati, & ab Ecclesia, totius generalis Synodi judicio, rejecti sunt. Hæc inquam verba sic accepit, ut annos illos triginta sex à Nicæna Synodo computaret, &

sane prima fronte sic intelligenda videntur. Non advertens igitur Athanasium aliud cogitantem, & hæc in transcursu narrantem, non curasse tempora distinguere, in duos impegit scopulos; videlicet Epistolam illam scriptam ait anno 361. cum tamen ipso teste Athanasio scripta fuerit anno 356. mense Februario vel Martio. Meletianorumque Schisma ortum fuisse statuit anno 306. quod tamen anno 300. vel 301. exortum est. Hos autem scopulos vitasset, si sic Athanasii verba distinxisset: Ariani ante sex & triginta annos Hæretici declarati sunt, nimirum in Synodo Alexandrina, quæ anno 320. celebrata est; & ab Ecclesia totius Generalis Synodi judicio rejecti sunt; nempe in Synodo Nicæna, quæ an. 325. coacta fuit. Similis distinctio loco de quo nunc agitur applicanda est; ita ut Meletianorum receptio non ipsa Synodo peracta fuisse intelligatur; sed Alexandriæ, ut postea Athanasius clare indicat.

Non plus subsidii referent ex Epiphanio, qui ait eodem ipso anno, quo Nicæna Synodus celebrata & Arius damnatus est, obiisse Alexandrum. Nam si hic probe intelligatur Epiphanius, nihil dicit non veritati consonum, nec sententiæ nostræ adversatur. Sensus enim est, unius anni spatio Nicænam Synodum celebratam esse & Alexandrum obiisse: annum computando non ab incunte

Ja-

Januario, ſed ab ipſa Nicæna Synodo, ut conſuetudo eſt ſcriptorum iſtius ævi, qui cum eodem anno rem aliquam peractam fuiſſe narrant, non annum a Januario ineuntem pro more hodierno computant; ſed a rebus ipſis geſtis anni ſpatium circumſcribunt: ita ut duo geſta eodem ut anno contigiſſe dicant, cum ab uno ad alterum ſupputatio ultra annum non procedit; qua de re convenire inter doctos, tu, ſi quis alius, Vir Eruditiſſime, probe noſti, ut mirum ſit Criticos tam imbelli telo contra nos voluiſſe uti.

Alexander igitur ex Orientalium conſenſu, non repugnante, imo potius confirmante Athanaſio, favente item Autore Libelli Synodici in Synodo Cæſarienſi, obiit anno 326. XVII. Aprilis, non autem menſe Decembri anni 325. aut Januario anni 326. ut ipſi arbitratu ſuo nulloque autore comminiſcuntur. Athanaſium vero, qui ab ipſo adlectus in ſucceſſorem, tanti oneris declinandi cauſa ſeſe occultavit, teſte Apollinario Syro ejus æquali, aliquot menſes antequam ordinaretur in latebris egiſſe oportuit, nihilque ex Epiſtola Epiſcoporum Ægypti (a) poteſt adferri, quod huic ſententiæ adverſetur, etſi reclament adverſarii, ac pro more ſuo res confertim recenſitas, velint, ac ſi temporibus diſtinctae ſuis eſſent accipi. Qui tamen, ut ſperamus, finem re-

(a) Athanaſ. p. 128.

repugnandi facient, si probaverimus Athanasium anno 373. è vivis excessisse, postquam quadraginta sex annis & aliquot mensibus in Episcopatu consedisset. Nam qui adversam sequuntur opinionem, ideo mortem Alexandri & ordinationem Athanasii, quam brevissimo post Nicænam Synodum tempore contigisse pugnant, ut illa ratione possint a mense Januario anni 326. quo ordinatum dicunt Athanasium, ad mensem Majum anni 371. quo mortuum contendunt, annos Episcopatus ejus quadraginta sex computare, quod tamen minime assequuntur, ut jam jam demonstraturi sumus.

## C.

## De anno obitus *Athanasii* Magni.

De anno mortis Athanasii, duæ præsertim proponuntur sententiæ; quarum altera anno 371. obiisse statuit; altera in annum 373. ejus mortem differt. Prior nititur testimonio Socratis, L. IV. c. 20. qui diserte ait, Gratiano & Probo Consulibus, cum quadraginta sex annos in Episcopatu compleviſſet, defunctum esse Athanasium. Quæ Consulatus nota sine dubio cadit in annum Christi 371. Contendunt autem Adversarii Petavio auctore, Consulares Socratis notas accuratas esse: nec parum

rum confirmari putant opinionem ſuam teſtimonio Rufini L. II. c. 3. narrantis Athanaſium quadrageſimo ſexto Epiſcopatus ſui mortem obiiſſe. Si autem, inquiunt, quadrageſimo ſexto non elapſo obierit, non poteſt obitus ejus cadere in annum 373. His argumentis utuntur, qui adverſam tuentur opinionem.

Has vero notas prorſus infirmas eſſe cenſent longe plures eruditi viri, putantque eas certioribus notis confutari, & meo quidem judicio optime. Nam Socratis teſtimonium non tanti ponderis eſt, utpote qui omnia miſceat & confundat, temporum rationem nullam habeat, res omnino diſparatas conjungat. Qua de re pluribus actum eſt in Editione Athanaſiana p. 122. Quod autem ait Petavius Socratem in notis Conſulum accuratum eſſe, id non ſine cautione & exceptione accipiendum eſſe, nemo negaverit; ubi nempe Socrates acta quædam publica cum notis conſularibus adjunctis, vel ad verbum refert, vel alio modo exprimit, tunc ei fides non deneganda; cum autem ex proprio ſibi calculo cum notis Conſularibus geſtum aliquod enarrat; tunc ſane non majorem fidem meretur, quam ſi aliam quamlibet temporis notam apponeret: nam ut liquet, utrovis modo æque errori obnoxius eſt. Sic eadem fides habenda Socrati, cum ait Athanaſium Gratiano iterum & Probo Conſulibus exſtinctum eſſe, ac cum dicit Tyriam Pſeudo-Syno-

nodum anno Constantini trigesimo celebratam esse, Gregorium Syriano duce Episcopum Alexandrinum ab Arianis constitutum fuisse, Sardicensem Synodum post intrusionem Georgii cœpisse, & innumera alia, quæ ipse præpostere omnino recenset. Frustra igitur notas Consulares obtendunt, cum manifestum sit perinde falli posse Socratem in notis Consularibus, atque in aliis quibuslibet. Ad hæc vero Socrates eodem loco sibi ipsi aperte repugnare deprehenditur, nam ait ibidem Athanasium obiisse, postquam multis periculis perfunctus, quadraginta sex annos in Episcopatu compleviſſet. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτη σὺν πολλοῖς τοῖς κινδύνοις τὴν ἐπισκοπὴν διανύσας. Jam enumerent annos etiam à mense Januario anni 326. quo contra Veterem fidem ordinatum volunt Athanasium, ad secundam Maji anni 371. etiam rebus ad libitum suum constitutis, annos solum 45. & tres quatuorve menses reperient. Quamobrem negare non possunt hic sibi manifeste contradicere Socratem. Ludere porro videntur cum ad Socratis notas confirmandas, auctoritatem Rufini adhibent, qui ait obiisse Athanasium anno Episcopatus quadragesimo sexto, scilicet ut illi interpretantur, nondum elapso: qua data interpretatione cum Socrate pugnabit Rufinus; quandoquidem alius elapso, alius nondum elapso dicit. Quantæ porro auctoritatis maxime in temporum recensione sit Ru-

Rufinus, vel ipſe Socrates animadvertit initio Libri II. ubi ait : Rufinus qui Eccleſiaſticam ſcripſit Hiſtoriam, in temporibus aberravit. Magnam profecto in temporibus perturbationem adtulerit oportet, quam Socrates, infidus & ipſe temporum indagator, animadvertere potuerit. Ne multa, Rufini teſtimonium maxime in temporum calculo parvi admodum momenti eſt, nugax enim apud omnes habetur : ac præterea usque adeo indiligens eſt, ut cum ait anno 46. Epiſcopatus obiiſſe Athanaſium, an plenos, an non plenos annos intelligat, aſſequi nullo modo poſſit.

Altera quam nos cum plurimis doctis viris tuemur ſententia, ea eſt, qua anno 373. obiiſſe Athanaſium ſtatuitur. Ea vero nititur primum Cyrilli Alaxandrini (*a*) teſtimonio, qui cum annis circiter quadraginta poſt Athanaſii mortem Alexandrinam ſedem acceperit, longe cæteris eſt ante ponendus, utpote qui deceſſoris ſui annos Epiſcopatus ignorare non potuerit. Is ait Athanaſium Eccleſiæ Alexandrinæ præfuiſſe annis integris 46. ἐφ' ὅλοις ἔτεσιν, quod ſane de annis tantum elapſis dici poteſt, quantumcunque ſeſe torqueant adverſarii, qui hæc de annis non elapſis intelligenda contendunt. Licet autem illi nulla prorſus auctoritate initium Epiſcopatus Athanaſii conferant in menſem Januarium anni 326.

(*a*) Epiſt. ad Solitarios.

326. mortem vero illius in ſecundam Maji anni 371. non plus quam quadraginta quinque annos & tres quatuorve menſes Epiſcopatus Athanaſio concedunt. At dicant, quæſo, num credi poſſit Cyrillum, cujus auctoritas cæteris omnibus anteferenda eſt, dixiſſe Athanaſium quadraginta ſex annis plenis & integris Epiſcopatum tenuiſſe, ſi annis tantum quadraginta quinque & tribus quatuorve menſibus Eccleſiam rexiſſet Alexandrinam? Cur adjeciſſet ὅλοις integris, ſi anni illi non pleni & abſoluti erant, & ſi quadrageſimus ſextus pene totus deficiebat? Certe ita planum eſt, ὅλοις ἔτεσι apud Cyrillum ſignificare annis integris, ut exploratum eſt illud Baſilii Epiſt. 72. ταῦτα δὲ ἐγένοντο πρὸ δέκα καὶ ἑπτὰ οὐχ ὅλων ἐτῶν, ſic intelligenda eſſe : Hæc vero facta ſunt ante ſeptendecim non integros annos. Ex Cyrilli itaque loco aperte commonſtratur Athanaſii obitum ultra annum 371. differri oportere.

En alterum Alexandrinum Patriarcham Proterium Martyrem, qui annis circiter octoginta poſt Athanaſii obitum Alexandrinam Sedem obtinuit. Is Athanaſium anno 373. è vives exceſſiſſe teſtificatur in Epiſtola ad S. Leonem Papam, ubi ſic legitur apud Bucherium : In octogeſimo nono anno ab Imperio Diocletiani, ſuperſtite beatæ memoriæ Patre noſtro & Epiſcopo Anaſtaſio, (lege Athanaſio) cum XIV. lunæ Paſchalis, XXVIII. die

die menſis Phaminoth, hoc eſt nono Kalendarum Aprilium die, proveniſſet die Dominico, in ſubſequentem translata eſt Dominicam; ita ut quinta die menſis Pharmothi, hoc eſt, pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Paſcha Dominicum. Hæc nemine repugnante quadrant in annum 373. Hîc obſerves velim Proterium, cum ait Athanaſium ſuperſtitem fuiſſe eo anno, quo Paſcha in ſequentem Dominicam translatum eſt, ideo illud annotare, quia tantillo poſt tempore, ſive elapſo Menſe, 2. Maji ſequentis defunctus eſt. Nihil autem moror nuperi Scriptoris conjecturam, qui ſuſpicatur in allato Proterii loco, pro ſuperſtite, legendum eſſe, defuncto. Nam ſi liceret veterum Scriptorum voces pro libito in alias commutare, quidvis hac ratione affirmari, omnia inverti poſſent. Deinde cur potius dixiſſet, defuncto Athanaſio, ſi jam ille duobus ante annis, è vivis exceſſerat, quàm ſedente Petro, Athanaſii videlicet ſucceſſore? Athanaſium certe nominavit, quia quo Epiſcopo ſedente res memoratu digna acciderit, dictum oportuit: Superſtitem fuiſſe addidit, quia paulo poſt, uno ſcilicet poſt menſe, Sanctus Antiſtes obiit.

Hæc Cyrilli & Proterii loca meo quidem judicio rem conficiunt, & Socratis teſtimonium prorſus enervant. His adjice Hieronymum in Chronico, ubi in annum pariter 373. Athanaſii obitum conjicit. Ille vero utpote

Athanasio æqualis & oculatus, ut ita dicam, testis, licet non accuratas semper temporum notas dederit, hac in re fide dignus est; tum quia tanti Antistitis, qui illo ævo pro Ecclesiæ lumine passim habebatur, annum obitus non videtur ignorare potuisse, tum quia fide dignioribus, nempe ipsis Athanasii successoribus accinit. Addit etiam Pagius Theophanis canonem, qui eundem notat annum. Nam etsi Theophanes parum fidus Chronographus habeatur, non spernendus tamen est, quando cum tot aliis in temporum calculo consentit.

Aliud item argumentum eruitur ex Chronico Patriarcharum Alexandrinorum, evulgato per Abrahamum Ecchellensem, ubi dicitur obiisse S. Patriarcham septimo Beseinas, seu παχων die Jovis. Cujus mensis dies septimus cum die secundo Maji concurrit. Quare cum anno 373. dies secunda Maji in diem Jovis, sive in feriam quintam inciderit, in eundem annum optime confertur obitus Athanasii. Jam vidimus hunc Chronologum dies obitus Petri & Alexandri Antistitum Alexandrinorum accurate notasse. Diem vero mortis Athanasii eadem accuratione statuisse ex iis quæ supra diximus conspicuum est.

Aliud adfert eruditissimus Pagius ex Socrate, L. 4. c. 21. qui ait statim post mortem Athanasii Arianos Antiochiam ad Imperatorem Va-

Valentem profectos esse, ut ejus ope Arianum Episcopum constituerent. Valens autem, ut probat idem Pagius, anno tantum 372. Antiochiam venit. Unde conficitur Athanasium post annum 371. obiisse. Verum præterquam quod Socratis testimonium non tanti facimus, ut cum solus profertur statim ei acquiescamus; hoc certe loco probaretur Athanasium mortuum esse 372. anno, quod etsi Baronius crediderit, jam nullus existimat. Quapropter donec exploratius quidpiam ea de re adferatur, hujusmodi argumentum non adoptandum putamus: quo unice probatur Socratem ut alibi frequenter, ita hic sibimet ipsi adversari. Quænam porro fides habenda Scriptori, qui quam posuerat notam Chronologicam, eodem ipso loco bis evertit? Jam quippe vidimus pugnantia narrare Socratem, cum ait Gratiano iterum & Probo Consulibus Athanasium obiisse, cum quadraginta sex annos in Episcopatu compleviſſet, quæ sunt ἀσύφατα, ut supra comprobatum est. Mox autem & consequenter adjicit, statim nulla interposita mora post decessum Athanasii Arianos Antiochiam ad Valentem Imperatorem Arianum adiisse, ut Episcopum suæ sectæ constituerent. Valens autem anno 372. non vero 371. venit Antiochiam, ibique per aliquod tempus consedit. Εὐθὺς ἦν ἀνεθάρρουν οἱ ἀρειανίζοντες, τῇ τε βασιλέως ἀυχοῦντες θρησκείᾳ. καὶ μηδὲν μελήσαντες,

γνωρίζεσι βασιλεῖ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν τὸν διάγοντα. En tibi notam Consularem, qua Socrates in annum 371. mortem Athanasii confert, ab ipso Socrate bis pessumdatum.

Aliam profero Chronologiam notam, hactenus, ni fallor, inobservatam. Epistolas Athanasii Festales, seu Paschales, quadraginta septem exstare memorat Auctor vitæ S. Athanasii, quam ex Arabico versam à v. Cl. Renaudotio, in Praleiminaribus ad opera Athanasii edidimus p. CLIX. Epistolas vero Athanasii festales recenset Hieronymus inter opera ejusdem. Ex Epistolis item Festalibus fragmenta multa attulit Cosmas Ægyptius, a nobis non ita pridem editus, (a) nimirum ex secunda, ex quinta, 6. 22. 24. 28. 29. 40. 42. 43. & quadragesima quinta: Jam diu etiam inter opera Athanasii habetur fragmentum ex trigesima nona. Ita ut vera jam narrare deprehendatur Scriptor ille Arabicus, nempe Severus Episcopus Archmoninæ. Certe memini me a te ipso, Vir Doctissime, audivisse, etiamnum exstare Arabice Epistolas illas Festales Athanasii, ut fide dignorum hominum testimonio acceperas. Epistolæ autem Festales erant, quibus Episcopi Alexandrini, habito primum ad populum Sermone, quo tempore Pascha celebrandum esset quotannis annuntiabant. Ita ut hinc consequatur

(a) In Nova Crllectione PP. T. 2. p. 216.

tur quadraginta ſeptem ſolemnitates Paſchales ab Athanaſio prænuntiatas fuiſſe, totidem ſc. quot enumerantur ab anno 327. quo ſecundum noſtram aliorumq; ferme omnium recentiorũ opinionem primum Paſcha Athanaſius Epiſcopus celebravit; ad menſem Majum anni 373. quo defunctum contendimus. Si autem anno 371. obierit, ut volunt adverſarii, etiamſi in Januarium anni 326. ejus ordinatio referatur, nonniſi quadraginta ſex Paſchata tranſegiſſe potuit. Suſpicor autem ex illo 47. Epiſtolarum Paſchalium numero factum eſſe, ut Abulbaracatus annos 47. Epiſcopatus Athanaſio tribuerit, videlicet non elapſos, ſed inchoatos tantum.

Eundem porro Epiſtolarum Feſtalium ritum obſervarunt Athanaſii ſucceſſores; ſed earum pleræque temporum injuria interciderunt. Pauca ſuperſunt ex Epiſtolis Feſtalibus Theophili. Cyrilli vero ejus ſucceſſoris triginta Feſtales Epiſtolæ (ſeu potius 29. nam una deficit) ad nos usque devenerunt; reliquæ excidiſſe videntur. Quæ ſuperſunt autem ſingulæ ſingulis annis publicatæ dicuntur in fine. Si illas unquam quadraginta ſeptem Epiſtolas Athanaſii Paſchales, imo ſi poſtremam tantum in lucem proferri contigerit, tota de anno obitus Athanaſii diſceptatio tolletur. Tametſi jam ſolutam arbitror: nam tot Chronologicæ notæ, illæque perſpicuæ, quot ſupra adtuli, infirmum Socratis teſtimonium penitus obruere videntur. Jam

Jam reſtat, ut argumentum non meo ſolum, ſed aliorum doctorum hominum judicio validiſſimum in medium adferam. Petitur autem ex Athanaſii cum Baſilio jam Epiſcopo ſat diuturna familiaritate, ex Epiſtolis ultro citroque miſſis, ex negotiis Eccleſiaſticis, quæ mutua utriusque opera geſta ſunt. Quia vero ex tempore ordinationis S. Baſilii in Epiſcopum Cæſarienſem, notæ eruuntur, ad annum obitus Athanaſii ſtatuendum, hic ea de re quædam prælibanda eſſe viſum eſt. Carptim diximus ſub finem vitæ Athanaſii, Baſilium ordinatum fuiſſe anno 370. 14. Junii, ut firmior fert ſententia. Firmiorem vero ſententiam non alia de cauſa diximus, quam quia in Martyrologio Romano, hæc dies ordinationi Baſilii aſſignatur; unde Baronius, aliique poſt eum in eamdem diem ordinationem ejus contulêre, quia nimirum nulla alia dies usquam proponebatur. Re tamen ſubinde retractata, perpenſisque accuratius iis, quæ in utramque partem proferuntur, Baſilii ordinationem tardius factam comperimus, & eisdem, quibus Tillemontius, rationibus permoti, in menſem circiter Septembrem ejusdem anni protrahimus.

Gregorius Nazianzenus, Theologi Pater, in Epiſtola, quæ inter Baſilianas quarta numeratur, quamque Baſilio ante male adſcriptam, Gregorio Patri jam docti omnes attribuunt, de morte Euſebii Cæſareæ in Cappa-

do-

docia Episcopi, Basilii decessoris, agens, eligendum ei successorem dicit, urgetque ut ante hyemem proximam alter ejus loco subrogetur. Ἀλλὰ παρακαλῶ καὶ πάλιν καὶ πολλάκις, πάντα ὄκνον ὑπερθεμένους, ἀπαντῆσαι καὶ προλαβεῖν τὰ ἐκ τῆς χειμῶνος δυσχερῆ, quæ perperam a Jacobo Mycræo interprete versa, ut monent Combefisius & Tillemontius, ita nos reddimus: Sed etiam atque etiam sæpiusque rogo, ut omni deposita segnitie, hyemis difficultates antevertamus. Hæc sane verba clare indicant hanc Epistolam post medium anni 370. scriptam fuisse, & ordinationem Basilii, quæ post illam datam Epistolam haud dubie facta est, in mensem circiter Septembrem ejusdem anni opportunius conjiciendam esse. Qua posita temporis nota, ex gestis Athanasii cum Basilio jam Episcopo mox adferendis, nemo non videat jam labantem adversariorum opinionem, qui volunt Athanasium 2. Maji anni 371. obiisse, his postremis difficultatibus funditus everti. Nam a Septembri anno 370. quo ordinatus est Basilius, ad secundam Maji anni 371. qua mortuus est Athanasius vix septem Menses intercurrunt: quo tam angusto spatio an possint ea, quæ mox memoranda sunt, includi, judicet eruditus Lector.

Primo autem Epistolas Basilii Episcopi ad Athanasium & Athanasii ad Basilium Episcopum enumerabimus, nec Basilianas solum

quæ hactenus ſuperſunt, (nam Athanaſii ne una quidem ſupereſt) ſed etiam eas quæ vel memorantur, vel ſcriptas fuiſſe exploratum videtur.

1. Prima quæ memoratur Epiſtola eſt Athanaſii ad Baſilium, Ep. 47. de Libyæ Duce, quem Athanaſius ob perpetrata facinora ab Eccleſiæ communione rejecit. Illa vero à Baſilio indicatur his verbis: Legi literas Sanctitatis tuæ. Quæ Athanaſii Epiſtola periit, ſola Baſilii ſupereſt, qua dicit ſe Epiſtolam Athanaſii Eccleſiæ ſuæ oſtendiſſe.

2. Epiſtola eſt Baſilii 48. ad Athanaſium; qua de turbulento rerum ſtatu dolet, rogatque Athanaſium, in Occidentem mittat aliquos Viros, ut ejus monitis obtemperantes Occidentales, medicam manum Orientalibus rebus admoveant. Agit præterea de diſſidio Antiochenam Eccleſiam lacerante.

3. In tertia Epiſtola 49. quæ eſt Baſilii ad Athanaſium, tam breviter de calamitatibus ſuis loquitur Baſilius, ut alias ejusdem argumenti, vel prius, vel poſtea ſcripſiſſe omnino videatur. Quas autem ea de re mutuas ambo ſcripſerunt, prorſus omnes amiſimus.

4. Quartam Baſilius 50. ad Athanaſium de rebus Antiochenis Epiſt. per Dorotheum Diaconum miſit eodem, ut videtur, tempore, quo ſuperiorem.

7. In quinta 51. rogat Baſilius mitti ſibi Epiſtolas

ſtolas ad varios Epiſcopos per Dorotheum Diaconum ad ſe redeuntem.

6. In ſexta 52. dicit Petrum ab Athanaſio miſſum adveniſſe cum Dorotheo, quem ſe ad Athanaſium remiſſurum ſignificat. Ibidem agit de Marcello damnando.

7. Septimam 61. haud dubie ad Athanaſium miſit, poſtquam Satino Diacono deferente Occidentalium literas ab illo accepiſſet.

8. Octavam 75. item Athanaſio miſit Epiſtolam, qua rogabat eum, qua forma Ariani reſipiſcentes recipiendi eſſent. Etenim teſtificatur ſe ea de re literas ab Athanaſio accepiſſe.

Epiſtolæ Athanaſii ad Baſilium omnes perierunt, ut & aliæ fere omnes Athanaſii ad familiares. Ex Epiſtolis vero Baſilii ad Athanaſium ſex tantum ſuperſunt. Duas alias deperditas, quæ ſine dubio ſcriptæ fuerunt, ſupra memoravimus; ſed præter illas, alias item ſcripſiſſe certiſſime videtur, quarum memoria interiit. Improbabile namque putatur, nullam ultro citroque ſcriptam fuiſſe toto tempore Legationis Dorothei, qui Romam literis Baſilii, Meletii, & Athanaſii profectus, redux poſtea Athanaſium in vivis reperit. Vix credatur item nullam miſſam fuiſſe de graviſſimo, quod cum Monachis habuit, negotio circa Spiritum Sanctum. Verum ne illæ quidem quas miſiſſe Baſilium Epiſcopum exploratum eſt, tam brevi, ſeptem

scilicet mensium spatio potuisse dari videantur. Quandoquidem constat, non per veredarios, missas fuisse; sed vel per Legatos Diaconos ve ut supra videre est, vel exspectata mittendi occasione, ut diserte ait Basilius Epist. 49. Alexandriâ vero Cæsaream in Cappadocia quinquaginta circiter mansiones erant, quæ totidem dierum itinere absolvebantur. Jam quis non videat septem mensium spatium non satis esse ad itus & reditus, ut tot Epistolæ utro citroque mitterentur: etiamsi supponatur occasiones semper ex voto oblatas fuisse, ac Legatos nusquam consedisse, nec intermisisse viam, quod tamen aperte falsum est. Ut autem id clarius evadat, e re fuerit, de negotiis quæ mutua utriusque Athanasii scilicet & Basilii Episcopi operâ gesta sunt, quædam narrare, quo pateat, ne anni quidem spatium ad ea omnia peragenda sufficturum fuisse.

Primum negotium fuit de rebus Orientalium Ecclesiarum (a) ac præsertim Antiochenæ. Qua de causa Dorotheus Diaconus Antiochia Cæsaream a Meletio ad Basilium Episcopum mittitur. Is ipse Dorotheus posteà a Basilio Alexandriam, ubi aliquamdiu detinetur. Athanasius postea Dorotheum cum Petro quodam ad Basilium remittit. Basilius postquam Dorotheum diutius detinuerat; ut sub finem negotiorum dimissus, res singulas gestas

(a) In Epp. Basilii ad Athanasium.

ſtas Meletio ſignificaret, & poſtquam diem ex die exſpectando in longum tempus εἰς πολὺ τῶ χρόνω, Dorothei profectio dilata fuerat, ipſum primo miſit Antiochiam ad Meletium, ut ejus Epiſtolas ad Occidentales, & monita pro rebus gerendis acciperet: ac deinde ad Athanaſium pergeret Alexandriam, ut ejusdem pariter Epiſtolis & monitis inſtructus, inde Romam ſe conferret, res Orientalium cum Damaſo & Italiæ Epiſcopis acturus. Dorotheus igitur juſſa exequutus, primo Antiochiam, deinde Alexandriam iterum venit: nam bis miſſum a Baſilio Alexandriam, clare dicit ipſe Baſilius in Epiſt. 52. Monet autem Athanaſium Baſilius, ut Dorotheum prima navigandi occaſione mittat in Italiam, ut ſequenti anno ea quæ in optatis erant perfici poſſent. In Italiam itaque proficiſcitur Dorotheus, & Romam pervenit. Poſtquam ea quæ in mandatis erant compleviſſet, cum Sabino Occidentalium Legato, qui primum Illyricum petiit, ut Illyricorum mandata literasque acciperet, Alexandriam reverſus eſt. Simul veniſſe Sabinum & Dorotheum certum videtur; ut ut vero ſit, certum eſt, Sabinum & Dorotheum ab Athanaſio exceptos, poſtea cum literis Occidentalium miſſos fuiſſe ad Baſilium Cæſaream. Baſilius vero poſtea Dorotheum remittens ad Meletium, Athanaſium ut ſuperſtitem commemorat. Jam quis hæc omnia Dorothei itinera, diuturnas moras, geſta,

sta negotia credat, ne dicam septem mensium, unius etiam anni spatio perfici potuisse ? ponendo quoque, quod non sine controversia quisquam concedat, Meletium statim atq; Basilius in Episcopum Cæsariensem coptatus est, antequam ea quæ de ordinatione ejus oborta sunt dissidia componerentur, de motibus Orientalium Ecclesiarum sedandis cum eo per Legatum egisse ; ponendo etiam Athanasium, statim ut eam Basilius, quam postremam memoravimus Epistolam Meletio misit, e vivis excessisse. Omnibus, inquam, in gratiá adversæ sententiæ compositis, non possunt Dorothei itinera, gesta, moræ tam brevi spatio includi. Certe Tillemontius moras Dorothei Romanas & Occidentales in totam hyemem anni 372. producit ; & meo quidem judicio optime: nam cur tot itineribus, tot gestis negotiis tam angusti limites præscribantur, ut Socratis calculum, tot gravioribus aliunde testimoniis jam obrutum, vindicemus? Vulgo creditur (a) Sabinum & Dorotheum Acta Synodi Romanæ, in qua Auxentius damnatus fuit, Alexandriam attulisse : quæ Synodus circa finem anni 371. celebrata fuisse putatur. Ejus autem Synodi & damnationis Auxentii meminit Athanasius in Epistola ad Epictetum : certumque omnino videtur, Athanasium post illam datam Epistolam, duos etiam contra Apollinarium Libros edidisse, ut

(a) V. Till. Notes sur S. Damase.

ut diximus in Monitis ad eosdem libros : quæ nova accedit confutatio eorum, qui Athanasium ante medium anni 371. defunctum esse pugnant.

Alterum negotium quod Athanasium inter & Basilium jam Episcopum gestum est, memoratur in postrema quæ supereſt Basilii ad Athanasium Epistola, quam supra diximus per Dorotheum Diaconum diu jam peregrinatum, & longo tempore Cæsareæ, ut rerum exitus videret, versatum, allatam fuisse ; in ea, inquam Epistola, quam putamus in annum 371. nec quidem ineuntem, conjiciendam esse, ait Athanasio Basilius, bene multos Episcopos existimare, Marcellum Ancyranum, memoratis ibidem de causis ab Ecclesia ejici oportere. Quo comperto Marcellus primum à Græciæ & Macedoniæ Episcopis literas commendatitias, & mutuæ communionis testimonia, per Legatos haud dubie postulavit impetravitque. Deinde Legatos misit Eugenium aliosque, (a) qui apud Athanasium id agerent, ut Marcellus & Marcelliani in sancti Antistitis communione manerent : nam a communione Athanasii nunquam semotum fuisse Marcellum, alibi à nobis probatum est. Athanasius vero coacta Synodo Episcoporum, quorum nomina partim excidêre, partim supersunt, Marcellianos, postquam sanam & orthodoxam fidei confessionem, quam nos primum

(a) In Collect. Nova Tom. 2. p. 1.

mum edidimus, emisissent, ad communionē rece. pit. Porro si itinera & moras illas Dorothei, quæ haud dubie ad annum 371. nec ineuntem ex. tractæ sunt, conjungas tam cum Legatione Marcelli ad Episcopos Achaïæ & Macedoniæ, ut literas commendatitias impetraret, quam deinde cum itinere Eugenii Alexandriam; hisque si adjicias convocatum ibidem Syno. dum, ac receptos Marcellianos, statim de. prehendes quantum à vero aberrent ii, qui vo. lunt Athanasium secundâ Maji anni 371. obi. isse. *Post illam autem Marcellianorum re.* ceptionem, statim obiisse putandus est Atha. nasius, nihil enim hac de re cum Athanasio egit Basilius; sed cum Petro ejus successore, cui rescribens, ægre demum ad recipiendos Marcellianos animum appulit, qua de re vi. de quæ diximus in Diatriba (*a*) de Marcello Ancyrano.

Tertium suppeditat argumentum Basilii cir. ca Spiritum Sanctum cum Monachis habita disceptatio. Cum enim non pauci, iique pii homines etsi sanam de spiritu sancto doctri. nam tenerent, nollent tamen Spiritum San. ctum aperte Deum vocare, quia non ita appella. batur in Synodico: iis sese attemperans Basilius, ne cuipiam offensioni esset, ab hujusmodi voce Deus, de spiritu sancto loquens, abstinebat in concionibus. Hinc arrepta occasione Mo. nachi quidam Basilium ob dissimulatam ve. ram

(*a*) Collect. Nova Initio.

ram doctrinam criminabantur. Id porro accidit vertente anno 371. ut ex Epist. 33. Basilii clare comprobatur : nam id tunc agi indicat, cum jam immineret tempus quo vel sedibus ex Ecclesia pellendus, vel gravius quidpiam passurus erat ; id est, Valente jam iter agente Cæsaream, ut mox dicemus. Rem edidicit Athanasius, (*b*) primo per Johannis & Antiochi Presbyterorum Epistolam, quibus respondet ille, audaciam Monachorum graviter arguens ; postea narratu cujusdam Dianii, qui an Athanasium adierit, an ei tantum literis rem indicarit, non potest ex Athanasii verbis ita clare percipi. Tertio ex Epistola Palladii, cui pluribus respondet Athanasius, carpitque Monachos illos Cæsarienses, quibus ea de re se jam rescripsisse testificatur. Non decere, ait, tantum virum a suis temere impeti, cum maxime ille jam pro veritate in agone sit constitutus, ἀγωνιζόμενον μᾶλλον ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, quibus verbis clare indicat, Basilium cum Valente Imperatore in eum jam congressum venisse, quem se pertimescere Basilius supra significabat. Unde sequitur prædictam Athanasii Epistolam, vel in fine anni 371. vel ut probabilius videtur, in initio sequentis scriptam fuisse. Valentem enim vertente anno 371. Cæsaream venisse, & hyemis partem eodem loco peregisse certum est. Cum autem tunc superstitem fuisse Athanasium

(*b*) Athan. Ep. ad Palladium & ad Johan. & Antiochum.

sium ex supradictis liqueat, hinc sane evertitur opinio eorum, qui cum Socrate putant Athanasium anno 371. die secunda Maji defunctum esse.

Cum hæc jam sat explorata sint, ac quæ de anno obitûs Athanasii supra adtulimus vix, ac ne vix quidem possint in controversiam vocari, quod in vita Athanasii de Melania Romana carptim diximus, posset fortasse silentio prætermitti. Sed quia Palladii locum, ut subodoratus est V. Cl. Pagius corruptum, nos restituere posse putamus, hac de re pauca nobis tractanda sunt. Auctore Palladio diximus Melaniam ovina pelle donatam fuisse ab Athanasio; idque contigisse anno 372. atque adeo non stare posse calculum eorum, qui ante medium anni 371. Athanasium defunctum esse pugnant. Palladius enim in Historia Lausiaca cap. 20. narrat hyænam, in mercedem restituti catulo suo oculorum usûs, ovinam pellem Marco Abbati obtulisse; Marcum postea pellem Athanasio, Athanasium Melaniæ dedisse. Palladii verba Græca vitiata sunt in Editis sicque habent: Καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ κώδιον προβάτου μεγάλου ἤνεγκεν τῷ ἁγίῳ καὶ μακαρίῳ Μάρκῳ. ὅπερ κώδιον οὗτος ὁ τῆς χοιρῆς δῆλος καταλέλοιπεν τῷ ἁγίῳ καὶ Μακαρίῳ Ἀθανασίῳ τῷ μεγάλῳ. ὡς δὲ καὶ ἡ μακαρία τῆς χοιρῆς δήλη Μελάνη μοι εἶπεν, ὅτι παρὰ τοῦ ἁγίου καὶ θαυμασίου ἀνδρὸς Μακαρίου ἐγὼ ἔλαβον τὸ κώδιον ἐκεῖνο. Ibi vero textum corruptum esse jure arbitra-

tur

tur laudatus vir Pagius. Verum in hoc labitur, quod Marcarium pro Marco ſubſtituat: nam hic de Marco non de Marcario agitur. Auguratur itaque poſtrema verba ſic legenda eſſe, ὅτι παρὰ τοῦ ἁγίου καὶ θαυμασίου ἀνδρὸς Ἀθανασίου ἐγὼ ἔλαβον τὸ κώδιον ἐκεῖνο. Probatam vero mihi reſtitutionem ut auctoritate Manuſcriptorum munirem, Bibliothecas Regiam & Colbertinam adii, atque in Regio Codice num. 1978. optimæ notæ 700. circiter annorum, lectionem reperi qualem ferme Pagius propoſuerat, quæ ſic habet: Καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ κώδιον προβάτου μεγάλου ἤνεγκεν τῷ ἁγίῳ καὶ μακαρίῳ Μάρκῳ ὅπερ κώδιον ἄτος ὁ τοῦ Χριστοῦ δοῦλος καταλέλοιπεν τῷ ἁγίῳ καὶ μακαρίῳ Ἀθανασίῳ τῷ ἐπισκόπῳ. ὡς δὲ καὶ ἡ μακαρία δούλη τοῦ Χριστοῦ Μέλανίον (ſic) μοι εἶπεν, ὅτι παρὰ τοῦ ἁγίου καὶ θαυμασίου ἀνδρὸς Ἀθανασίου ἐγὼ ἔλαβον τὸ κώδιον ἐκεῖνο. In Codice autem Colbertino num. 4474. annorum circiter 606. eadem prorſus lectio habetur, hoc uno excepto, quod Μελάνη ſcribatur pro Μελανίον. Senſus eſt. Ac ſequenti die Sancto beatoque Marco (hyæna) ovis magnæ pellem attulit: quam pellem idem Chriſti ſervus ſancto beatoque magno reliquit. Beata vero Chriſti famula Melania dixit mihi: Eam pellem ego a ſancto & admirando viro Athanaſio accepi. En tibi totum Palladii locum ſartum & tectum. Eam autem veram eſſe lectionem confirmatur ex vetuſtiſſimo Codice Latino Bibliothecæ Colbertinæ, IX.

Sæculi, ubi Hiſtoriæ Palladii Lauſiacæ antiqua verſio habetur ibi vero ſic legitur: Sequenti autem die eadem beſtia ſancto ac beatiſſimo Marco pellem ovis exhibuit: quam memoratus ſervus Chriſti Sancto Athanaſio dereliquit, quam ſancta Melania poſtea a beatiſſimo viro Athanaſio accepiſſe ſe dixit. Huic ſtandum lectioni neminem inficias iturum eſſe puto. Nam alia quæ fertur in editis & in aliquot. MSS. repugnare prorſus videtur. Et ſic vero ab initio lectum eſſe probat vetuſtiſſima illa verſio Latina. Ex aliis autem Manuſcriptis, unus Regius, quo videtur uſus Jo. Meurſius qui primus Lauſiaca græcè publicavit, eamdem quam editi habet lectionem. Eſt vero Codex recens, a tempore Franciſci primi deſcriptus numero 2282. Alius Codex Colb. pro Ἀθανασίῳ habet Μακαρίῳ, & infra pro Ἀθανασίου Μακαρίου. deceptus videlicet fuit Librarius voce Μακαρίῳ quod eſt epitheton Athanaſii, quam ipſe pro nomine proprio habuit. Alius item Cod. Colb. pervetuſtus primum habet Ἀθανασίῳ, deinde vero pro Ἀθανασίου, ibi legitur Μάρκου, quæ ſunt ἀσύστατα, nam hinc ſequeretur Marcum eamdem pellem, quam Athanaſio reliquerat, ſcilicet cum è vivis exceſſit, poſtea Melaniæ dediſſe. Hi certe poſtremi MSS. inter ſe non conſentiunt, & vitium aperte præferunt. Itaque lectionem, quam eruditus Pagius, perſpectâ prioris νοθείᾳ, ſubſtituendum putabat, hic ex opti-

optimis MSS. reſtituimus. Conſtat igitur Melaniam, ipſa Melania narrante, pellem accepiſſe ab Athanaſio: ut ut tandem ſit de hyænæ hiſtoria, quam plerique viri docti vocant in dubium, certum eſt, Melaniam hoc munere ab Athanaſio donatam eſſe.

Hoc vero donum ab Athanaſio accepiſſe Melaniam anno 372. probatur ex Hieronymi & Paulini teſtimoniis; prior enim ait in Epiſtola XXV. ad Paulam; ingruente jam hyeme, Melaniam navigaſſe Hieroſolymam. Paulinus vero in Epiſtola XXIX. ad Severũ ait, eam poſt quinq; luſtra, & quidem pene exacta hyeme, in Occidentem remeaſſe, ac viginti dierum ſpatio Romam appuliſſe. Remigravit autem anno 397. ut probat Pagius ad hunc annum. Si autem quinque luſtra ſive viginti quinque annos ab anno 397. retro ſupputaveris, in annum incides 372. ac dicas neceſſe eſt non potuiſſe Melaniam ab Athanaſio pellem accepiſſe ante annum 372. atque adeo non obiiſſe Athanaſium ſecunda Maji anni 371. Hanc vero poſtremam Chronologicam notam fuſius proſequitur laudatus Pagius ad annũ Chriſti 397. ubi vide ſis. Nam ea de re pluribus agere non libet, cum aliunde ſententia noſtra de anno obitus Athanaſii tam multis, tam perſpicuis notis aſſerta fuerit, ut ſpes ſit adverſam opinionem, ſenſim deſertum, ac prorſus demum ablegatum iri.

His plura addi poterant, nec desunt alia argumenta, quibus in promptu esset ea, quæ supra dicta sunt affirmare. Verum hæc satis sunto: nostræ quippe sententiæ, ut audio acquiescunt omnes pene Historiæ Ecclesiasticæ studiosi. A notis item nostris Chronologicis non recedit, ut spero, Vir Cl. Renaudotius, qui integram a S. Marco usque ad Sæculi XIII. initia Patriarcharum Alexandrinorum successionem concinnavit, tum ex Severi Episcopi Aschmoninensis, Michaëlis Episcopi Taneos, Mauhoubi filii Mansur historiis; tum ex aliis Christianorum Cophtitarum monumentis: adjuncta ubi necesse fuit luce ex Muhhammedanis. Quod opus pro ea qua laudatus Vir pollet eruditione & Linguarum Orientalium peritia, omnibus numeris absolutum & jam ad editionem paratum est. Tu vero, Vir Doctissime & amicissime, Vale, & quid de observationibus nostris existimes indicare ne graveris.

II.

# *ULRICAE ELEONORAE,*

## Auguſtiſſimæ Suecorum Reginae ad Cantones Evangelicos Helveticos EPISTOLA.

ULRICA ELEONORA Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina &c. &c.

*Nobilibus, Spectabilibus & Ampliſſimis Amicis noſtris ſincere dilectis, Evangelicarum Helvetiæ Fœderatarum Civitatum, Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Scaffauſii, Abbatis cellæ, Sancti Galli, Malhauſii & Bielæ Conſulibus, Scultetis & Senatui ſalutem & Benevolentiam noſtram Regiam ſingularem.*

BInas veſtras litteras accepimus, quarum alteris de edicto, contra Catechiſmum Eccleſiæ Palatinæ promulgato, alteris etiam de dimidio ad Spiritum Sanctum Heidelbergæ templo ablato, utrisque autem de attentata Religionis libertate, adeoque miſeræ Palatinæ Eccleſiæ ſorte conquerimini, atque pro ſacro,

quo eidem conjuncti estis vinculo, avitam gloriam, opem & auctoritatem nostram in adserenda Religionis libertate imploratis. Certe hæc talia non sine tenero quodam doloris sensu percepimus, afflictamque Ecclesiæ vicem admodum miseramur. Hunc tamen affectum nostrum magnopere levat, cum pius ac constans ille ardor, quem pro Religione ejusque Consortibus declaratis, tum etiam ea, quam in Nobis vos repositam habere fiduciam significatis. Nos quemadmodum causam Ecclesiæ Evangelicæ pro Dei & Nobis vobiscum communi causa habemus, ita per divinam gratiam gnaviter & constanter eam ut par est agere & propugnare nunquam intermittemus, quare per nostros in Germania Ministros, quibus de hoc negotio mandata dedimus, omnem operam auctoritatem & studia nostra eo collocare & intendere non cessabimus, quo memoratæ Ecclesiæ Palatinæ sua libertas quantocius restitui & integra semper relinqui possit.

Ceterum DEUM Ecclesiæ Statorem & Protectorem vobiscum ardenter imploramus, ut eandem clementer tueri & conservare ejusq; afflicta & oppressa membra ubiq; fovere sustentare & erigere velit, cujus potenti gratiæ & tutelæ vos omnes ex animo commendamus. Dabantur Holmiæ d. 26. Januarii CIↃ IↃCCXX.

*Vestra bona amica*
*ULRICA ELEONORA.*
Von Höpken.

III.

# *TIGURINORUM* ad *BASILEENSES* Epiſtola, qua literas illuſtriſſimi *Archiepiſcopi Cantuarienſis* ad ſe miſſas comitantur.

*Viri plurimum Reverendi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, Celeberrimi, Antiſtes, Paſtores, Profeſſores ſolertiſſimi, Meritiſſimi, Fratres in Chriſto obſervandi.*

COgnoſcite ſic, Viri Maxumi, quantopere ad ſyſtaticas veſtras mitiſſimum Primatis Angliæ pectus adverſis Palatinæ Eccleſiæ indoluerit, quam fortiter ac feliciter Patrocinium preſſorum Fratrum coram Auguſtiſſimo Anglici Parlamenti Senatu geſſerit, quantum immo & Sereniſſimus Rex & Senatores Principes omnes afficiantur malis, quibus Chriſti grex velut ſpinis, implicatus, jugiter excruciatur. Intulerunt Principes in Eccleſiam gloriam ſuam & divitias, & ejus in bonum omnem ſuam & Auctoritatem, & potentiam & prudentiam impendent, utinam deſiderato cum ſucceſſu, utinam ad concuſſionem throni injuſtitiæ, quo cum Deus noſter non conciliabitur unquam, quia improbitatis ſceptrum membrorum Chriſti terga

velut fuste fatigare, & virgis variare non cessat. O DEUS confringe brachium impii & impiorum suorum assectarum, ne *audeat* deinceps terribilis esse, homo miser ex terra. Responsoriæ autem Primatis de verbo ad verbum hæ sunt.

*Amplissimo Viro*
Fratri in Christo Colendissimo
D. D. Johanni Ludovico
*Neuschelero,*
Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti dignissimo
GUILIELMUS providentia divina
Archi-Episcopus Cantuariensis
S. P. D.

QUod iteratis literis vestris non tu solum, Præstantissime Domine, sed & Ecclesiarum Reformatarum Helveticarum Pastores atque Professores, me porro amplificare dignemini, gratias quas possum maximas & tibi & illis referre festino: Vobisque omnibus persuasissimum esse cupio, neminem amicitiam vestram aut pluris facere, aut debito amoris affectu retribuere totis viribus magis enisurum.

Quantum mihi cordi sint, quod imprimis mihi commendatis, Fratrum nostrorum, religionis causa persecutionem patientium, Jura at-

atque libertates & ſæpe antea privatim & nuper publice teſtatus ſum : Cum reverſo in Angliam Rege noſtro Sereniſſimo , Epiſcopisque ad reditum ipſi gratulandum ; ſimul convenientibus omnium eorum nomine Regiæ Majeſtati gratias retuli ob ſuſceptum illorum Patrocinium ; Et ut eos , eorumque cauſam , gratioſe tueri pergeret , obnixe oravi. Annuit votis noſtris religioſiſſimus Princeps ; Et ut eo firmius ſeſe aſtringeret ad hoc tam pium opus peragendum , interceſſionem noſtram in publicum emitti voluit , ut ſcirent omnes , quo animi affectu nos illius auxilium , ad fratres noſtros tuendos , exoraverimus ; quâ dignâ Rege Chriſtiano promptitudine ille eorum protectionem atque patrocinium in ſe ſuſceperit.

Neque hic ſubſtitit cura noſtra, ſed cum in publicis Regni comitiis gratiæ pro more Celſitudini Regiæ dicendæ eſſent ; in conventu Procerum adeo vel fortiter vel feliciter eorum cauſam egi , ut omnes una Principes , nobilesque regni cenſerent , Regiæ Majeſtati gratias ſpeciatim adjiciendas , quod hoſce Chriſti ſervos contra perſecutorum ſuorum injurias defendendos ſuſceperat ; utque illos porro protegere dignetur , eandem regiam Majeſtatem humiliter ſupplicarunt.

Quod ad unionem Proteſtantium ſpectat, in qua altera pars litterarum veſtrarum verſatur, nec in illa opem operamve noſtram

desiderari passus sum. Quo in statu hæc tam utilis seu potius necessaria inter eos pax sit, vobis satis perspectum esse credo.

Plures utrinque Viri prudentissimi hanc tam sacram concordiam absque mora conciliandam putant. Ceteri, nisi vana spe lactamur, in eandem sententiam brevi conspirabunt. Ego, si quid in hac re efficere valeam, non deero officio meo, neque patiar, ut in hac tam pia causa quisquam me vel negligentiæ vel tepiditatis insimulet.

Gaudeo interim controversiam de Formula consensus apud Bernenses agitatam, neque huic tam proficuo incepto obicem posituram, neque Ecclesiis vestris intempestivam animorum discordiam illaturam. Formula docendorum, si quidem cum prudentia atque ἐπιεικείᾳ debita concipiatur; res certe est & in se utilis, & ad sanam doctrinam conservandam pene necessaria: Contra hujusmodi normam aliquid publice docere nemo pacis amator attentabit. Si quis turbulenti ingenii homo aliquid ejusmodi auderet, merito ego talem coercendum censerem. Sed alia longe res est, quod sic publica auctoritate statutum fuerit docere, alia, non docere contrarium. Ad hoc, pacis atque concordiæ causâ, Vir bonus facile sese adstringi patietur: Cum è contra neminem esse credo adeo perfrictæ frontis, ut licere sibi putet ea aliis tanquam

vera

vera proponere, quæ ipſe eſſe falſa aut certo cognoſceret aut firmiter crederet. Adeo mihi idem eſſe videtur, conſcientiis hominum tales articulos credendos imponere atque docendos ſtatuere.

Sed de his ſatis: Deus pacis ac Veritatis ita vos ſancto ſuo Spiritu ducat atque illuminet; ut & quæ vera ſint, retineatis; & quæ ad pacem veſtram atque concordiam faciant, ſemper ſequamini; nec hæreſibus infecti, neque ſchiſmatibus diſtracti! Hoc in voto deſino, meque profiteor

Ampliſſime Domine

*Ex Ædibus noſtris Lambetanis*
*XII. Kal. Januar.*
*MDCCXX.*

Tuus in Chriſto conſervus
Dilectiſſimus

W Cant.

Valete, Viri æſtumatiſſimi, ſalvete cum Fratribus, conſtantius nos amate, & pro Liberatione Sionis calentes fundite preces jugiter

ter. Deus remunerator erit, cujus gratiæ & ſpiritui Vos commendamus omnes.

Rev. Rev. Nominum VV.
indefeſſi cultores

*Tig. ad. 8. Febr.*
1720.

Eccleſiæ ſcholæque Tigurinæ
Proceres, Profeſſores, Paſtores eorumque nomine

Joh. Ludovicus Neuſchelerus
Eccleſ. Tig. Antiſtes.

IV.

# C. A. HEUMANNI,

## HEBDOMAS PAULINA,

*Hoc est,*

EXPLICATIO

# SEPTEM LOCORUM EPISTOLAE PAULI AD CHRISTIANOS ROMAM MISSAE.

## I.

## Rom. I. 4.

τὸ ὁρισθέντος υἱὸ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν κ. τ. λ.

CUm hæc verba non minus valeant ad confirmandam Christi Deitatem, quam ea, quæ inferius Cap. IX. v. 5. leguntur, Sociniani (*a*) nervos intendunt omnes ad vim eorum infringendam. Vid. *Jo. Crellius* & *Schlichtingius* in

(*a*) His hoc quidem loco supetias fert *Jo. Clericus*, qui tamen in epistola tertia sub *Liberii a S. Amore*, nomine

in ſuis ad Rom. I. v. 4. Commentariis. Maxime illi contenderunt, τὸ ὁρίζειν nusquam occurrere ſenſu *declarandi manifeſtandique*, ſed ſemper ſignificare *conſtitutionem*, adeoque a Paulo indicari, *Chriſtum per reſurrectionem conſtitutum eſſe Filium Dei, hoc eſt, Regem ac Dominum ſummumque ſacerdotem.* Verum, ut taceam, vetuſtiſſimos Græcos (*b*) interpretes vocem ὁρισθέντος expoſuiſſe per ἀποδειχθέντος & ἀποφανισθέντος, ex ipſa indole vocis ὅρος id comprobat Eraſmus. Græcosque pariter ſcriptores τοὺς ἔξω hac notione vocabulum ὁρίζειν uſurpaſſe, *Feſſelius* (*c*) docet atque *Alexander* (*d*) *Morus.* Idem *Feſſelius* cætera quoque noſtri commatis verba ſuſcepit explananda: qua in re etſi nihil veritati divinæ repugnans attulit, a vera tamen Apoſtoli ſententia aberraſſe mihi videtur. Primo enim τὸ ἐν δυνάμει non aliud ſignificat, quam *potenter*, per Hebraismum quendam, Apoſtolo ſui ipſius interprete *Coloſſ I, 29.* ubi teſtatur, *Deum in ſe operari* ἐν δυνάμει *valide ac potenter*, kräfftiglich / ut recte *Lutherus* reddidit. Deinde τὸ κατὰ πνεῦμα op-

ne edita p. 75. ſcripſerat, τὸ ὁρίζειν *ſignificare demonſtrare, ita clare definire, ut nulla eſſe poſſit ambiguitas, ita clare oſtendere, ut id in dubium revocari non poſſit.*

(*b*) Vid. *Eraſmus* ad h. l. & *Feſſelius* **Adv. S.** lib. I. cap. 4. pag. 38.

(*c*) loc. cit.

(*d*) Not. ad h. l. p. 103. ſq.

opponitur τῶ κατὰ σάρκα, v. 3. Cum igitur hoc significet *secundum humanam naturam*, sequitur, ut illud sit *secundum divinam* (e) *naturam*, quæ verissime vocatur *Spiritus sanctitatis*, in humana natura per arctissimam ac personalem unionem inhabitans. Dicit autem Apostolus πνεῦμα ἁγιωσύνης, non ἅγιον, partim ad indicandam hujus hominis θεανθρώπε præ cæteris φιλανθρώποις ὑπεροχὴν, partim ad innuendum hujus πνεύματος discrimen a *Spiritu sancto*, tertia Trinitatis persona. Denique quod additur ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, causam ostendit & fundamentum, ex quo pateat, Jesum esse Filium Dei verumque Messiam: adeoque hæc verba connecti oportet cum voce ὁρισθέντος. Sentit enim Apostolus, ex eo, quod Christus, uti prædixerat, in vitam redierit, luce meridiana clarius esse, eum haud mentitum esse personam Messiæ, sed omnino esse, ut Petri (f) verbis utamur, τὸν χριστὸν, τὸν υἱὸν τῦ Θεῦ τῦ ζῶντος. Verba itaque Pauli hunc in modum reddi debent: *Jesus Christus secundum humanam naturam descendit a Davide, at per resurrectionem suam a mortuis potenter* (quæ enim major potentia, quam vel resuscitare mortuos, vel mortuum resurgere?) *manifestum fecit, se secundum Spiritum in ipso* (mediante unione personali) *habitantem esse filium Dei*, ejus-

(e) Hæc interpretatio etiam in mentem venit & placuit *Roëllio* Comment. in Epist. ad Ephes. p. 482.
(f) Matth. XVI. 16.

ejusdem cum Patre essentiae majestatisque.

## II.

## Rom. I. 17.

Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν.

*Justitiam Dei* hoc loco esse *justitiam, quæ Deum hominibus reconciliat*, (die vor GOTT gilt/ uti vertit *Lutherus*,) dubitationem nullam habet. *Illa* igitur, inquit hoc loco Paulus, *revelatur in Evangelio:* quod scil. sit justitia non ἐξ ἔργων, (Rom. III. 20.) sed ἐκ πίστεως, quod alibi (Rom. III. 22.) vocatur διὰ πίστεως. Revelatur autem hæc vera coram DEO justitia εἰς πίστιν, hoc est, eo fine, ut abjecta meritorum nostrorum fiduciâ per solam fidem redeamus cum Deo in gratiam. Τὸ εἰς eodem sensu recurrit infra Cap. XII, 2. & XV, 4. ac pluribus locis, quæ observavit *Nortonus Knatchbullus* & *Hammondus*, quos video mihi plane suffragari in explicandis istis verbis: ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Hæc enim quatuor verba quam torqueant interpretes, nemini ignotum est. Vide, quæso, præter tot Commentatores *Glassium in Philologia p. 1027. Witsium Miscell. sacr. T. II. Exercit. 23. §. 4. p. 736. Surenhusium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς *p. 435.* qui & p. 436. me docet, *Francisco Junio* eandem placuisse interpretationem, quæ mihi in mentem venit: quod viri eruditissimi suffragium mihi

hi est pergratum. Sensus igitur Pauli iste est: *In Evangelio nobis revelatur vera coram Deo justitia, proveniens scilicet* (non ex nostris operibus, sed) *ex fide, UT proinde credamus*, atque hoc modo justi coram Deo fiamus. Addo locum maxime παράλληλον, quem nec *Hammondus* observavit nec *Knatchbullus*, Actor. XI. 18. Καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν, hoc est, ut rectissime παραφράζει *Erasmus*; *DEUS etiam gentibus concessit pœnitentiam, UT vitam assequantur æternam.*

## III.

## Rom. V. 7.

Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται, ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν.

Tantopere hic locus exercuit lectores vel doctissimos, ut quidam ausi sint criticum admovere cultellum, & verba quædam tanquam ἐμβεβλημένα resecare. Certe *Tanaquillus* (a) *Faber lib. II. epist. Crit. 12.* hæc verba:



(a) Audaciam hanc Fabri castigavit nuper admodum Cl. *Mo*shemius noster in dissertatione, quae Kiliae prodiit; *De eo, quod justum est, circa literarum Sacrarum ex priscis scriptoribus interpretationem & emendationem* pag. 65. Conferri alias de hoc loco meretur *Hieronymus* in epist. CLI. ad Algasiam, ubi quinque illius affert expositiones, Th. *Gatakerus* Adversf. Miscell. L. II. c. 9. *Hoornbeekius* in *Mi*scell. sacris, quæ

in

ὑπὲρ γὰρ τῦ ἀγαθῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, ejicit pro gloſſemate, eaque e margine in locum non ſuum translata eſſe contendit, addens, *Bochartum* quoque (at quantus vir!) ſuæ ſubſcripſiſſe ſententiæ. Verum partem ſinceram a *Fabro* recidi, ac omnia ſana eſſe, ſtatim apparebit; ubi lucem his verbis affuderimus, quam quidem non video in *Thomæ Godvvini* interpretatione, quæ in ipſius *Moſe & Aarone* legitur *lib. I. cap. 9. §. 5.* Dico itaque, τὸν δίκαιον ac τὸν ἀγαθὸν præſenti loco ita differre, ut prior vox ſit *abſoluta*, poſterior *relativa*. Scilicet δίκαιος eſt homo per ſe virtute præditus, ſed uti non injuriâ, ſic nec beneficio alteri cognitus: ἀγαθὸς vero (*b*) eſt homo

in certis editionibus vocantur Vetera & nova L. III, c. 18. *Hombergius* in Par. S. pag. 203. qui ἀγαθον explicat pro *divite, præſtanti* & potente. *Raphelius* in annot. phil. ad N. T. ex Xenophonte collectis p. 103. ubi notabilem locum ex Cic. Off. L. III. c. 15. ubi *juſtum* a bono diſtinguit percommode affert. Quibus addatur Benedictus *Perevius* in diſp. ſel. ad S. ſcript. T. II. p. 578. ubi inter alias adducit interpretationem Ambroſii *Catharini*, qui per *juſtum intelligit hominem virtute praeditum, per bonum vero hominem liberalem & benignum & beneficum, pro quo facilius ſit reperire, qui mortem adeat, quam pro juſto. Magnum enim & multiplex acceptum ab aliquo beneficium, vehementius nos ei devincit, quam ſpectata in alio juſtitia.* Quae, niſi fallor animi, non multum a ſententia celeberrimi Heumanni, quam & noſtram eſſe profitemur, abeunt. T. d. H.

(*b*) Eadem interpretatio eſt *Knatchbulli*, *Hammondi*, & *Clerici*: quanquam priores duo, quod dicunt, non probant.

homo, qui multa in alterum contulit beneficia, mutuumque ejus amorem ita incendit. Prioris vocabuli significationem eam, quam attuli, ut probem, nemo a me exiget. De voce autem ἀγαθὸς cum res non æque sit in aprico, age, afferamus exempla nulli dubitationi obnoxia. Matth. XX, 15. ἀγαθὸς *Lutherus* reddidit gütig/ id est, wohlthätig / habetque consentientes interpretes ad unum omnes. Sic τὸ ἀγαθὸν designat *beneficium* Rom. XII. 21. & ad Phil. v. 14. Ac τὴν ἀγαθωσύνην Rom. XV, 14, & 2. Thessal. I, 11, *Pasor* recte exponit *de benevolo affectu ad benefaciendum proximo.* Conf. *Suicerus Thes. eccl. v.* ἀγαθωσύνη. Nec Hebræis hæc dictio insolens est. Certe Prov. XXII. 9. *beneficus* ac benignus homo vocatur *bonus oculo*, ut recte interpretatus est *Geierus*. Ac Jerem. XXXIII. 11. DEUS vocatur טוֹב, hoc est, benignus, misericors. Ibidem v. 14. memoratur הַדָּבָר הַטּוֹב, *verbum bonum*, id est, vox benignissima, quam edidit DEUS ad populum suum. Quid? Latini quoque hoc loquendi genere utuntur. Audiamus *Phædrum* lib. III. fab. 15. v. 17.

*Facit parentes* BONITAS, *non necessitas.*

item *P. Syrum*:

*In nullum avarus* BONUS *est, in se pessimus.*

Quid? ipse *Cicero* idem nos docet, cum *lib. II. de Nat. deor.* scribit ita: *Jupiter a majoribus nostris Optimus Maximus dictus est, & quidem ante*

*OPTIMUS, ID EST, BENEFICENTISSIMUS, quam Maximus, quia majus est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Sed plura accumulabo exempla ex Latinis auctoribus, quia video, philologos hujus notionis admodum fuisse incuriosos. *Cicero* igitur lib. III. de offic. cap. 6. tanquam synonyma conjungit *beneficentiam, liberalitatem, bonitatem.* Idem lib. I. c. 16. quam virtutem prius vocarat *benignitatem*, eam paulo post appellat *bonitatem.* Idem *lib. II. cap. 18. Gratissima est liberalitas*, inquit, *eoque eam studiosius pleriique laudant, quod summi cujusque BONITAS commune perfugium est omnibus.* Idem in Oratione pro Ligario, capite ultimo: *Nihil est tam populare, quam BONITAS. - - Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salute hominibus danda.* Pari modo *Phædrus* lib. IV. fab. 25. v. 17.

*- - Olim senio debilem*
*Frustra adjuvare BONITAS nitetur tua,*
*Cum jam defierit esse BENEFICIUM utile.*

Idem *Curtii* verbis inest sensus lib. VI. cap. 5. n. 3: *Hoc uno torqueor, quod præcipiti senectute, diu frui tua BONITATE non possum.* Sic *Horatius* lib. I. sat. 2. v. 51. pro synonymis conjungit tres istas voces, *munificus, BONUS, atque benignus.* Ac *Virgilius* Æneid. I. 199. *Acesten* vocat *bonum*, hoc est, ut adjecta historia ex-

exponi jubet expoſuitque *Minellius*, *beneficum*. Idem libro eodem v. 738. Junonem appellat *bonam*, id eſt, interprete *Tuubmanno*, *propitiam*. Nec prætermittendus *Cornelius Nepos* eſt, qui Miltiadem Cap. VIII. n. 3. teſtatur *eam poteſtatem bonitate retinuiſſe*, id eſt, benigno & civium amantiſſimo imperandi genere. Sic & *Curtius* lib. VI. c. 8. n. 22. *bonitatem* regis opponit *crudelitati*. Ac *Eutropius* lib. VII. cap. 13. n. 5. ſcribit, fuiſſe Veſpaſianum *placidiſſimæ bonitatis*, *ut qui majeſtatis quoque contra ſe reos non facile puniret ultra exilii pœnam*. Qui & de Traiano lib. VIII. cap. 2. n. 29. *Adeo*, inquit, *in eo gloria bonitatis obtinuit*, *ut*, cætera. Habemus igitur hunc Pauli ſenſum, *neminem oppetere mortem pro homine quantumvis pio bonoque*, *ſed a quo tamen nihil boni in ſe profectum ſit*; *illud autem contingere poſſe*, *ut homo pro eo moriatur*, *quem ob accepta beneficia tenerrime amet*; (ſic notæ ſunt hiſtoriæ de ſervis pro domino, de uxoribus pro marito, mortem ſubeuntibus:) *at nos homines a Deo impenſiſſime amatos eſſe*, *cum tamen nec eſſemus* δίκαιοι, *ſed* (v. 8.) ἁμαρτωλοὶ & (v. 6.) ἀσεβεῖς: *neque* ἀγαθοὶ, *quippe cum Deo* (ne ullius quidem beneficii capaci) *non ſolum nihil boni præſtiterimus ſed*, *quantum quidem in nobis fuit*, *maleficiis eum affecerimus*, *tanquam hoſtes*, v. 10. Ex quo Apoſtolus colligi vult ſummum ac plane ſine exemplo amorem, quo Deus in nos feratur.

## IV.

## Rom. VI. 7.

Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας.

*Hammondus* & Anonymus Germanus *lib. de medio ſtatu animæ Cap. V. §. 8. & 9. p. 111.* exponunt hunc locum de morte ſpirituali. Sed hæc interpretatio a ſcopo Apoſtoli aliena eſt. Paucis dicam, quod ſentio. *Juſtus* dicitur homo vel poſitive vel remotive. Poſitive juſtus eſt, qui opera Deo grata tanquam fidei ſuæ fructus largiter profert, peccatisque ſumma cura abſtinet. Talis vivat neceſſe eſt. Contra remotive juſtus eſt, qui nil mali perpetrat, etſi nec boni quicquam agat. Tales ſunt homines demortui, qui cum peccare amplius non poſſint, hoc ſenſu juſti vocantur, quod non ſint injuſti injuſtasque haud edant actiones. Conf. Pſal. VI. 6. & Jeſaiæ XXXVIII. 18. Poſteriore hoc ſenſu capi verba Apoſtoli jubet tota orationis ſeries, eorumque adeo hic(c)ſenſus eſt: *Qui mortuus eſt, is non amplius peccat.* Addo, ſermoni Paulino aliquid Hebraiſmi ſubeſſe: quam in rem vid. celeb. *Danzius Interpr. §. 174. fin. p. 273. not. h.* Eodem ſenſu accipiendum eſt pervulgatum illud: *Quilibet habetur pro bono,* (id eſt, pro *non malo,*) *donec probetur contrarium.*

V.

(c) Hanc interpretationem etiam *Clericus* ad h. l. proponit & approbat.

## V.

## Rom. X. 6. 7.

Μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σου· Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν. Ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.

Hic primum illud ſtatuendum eſt, neque literalem neque myſticum dicti Moſaici (Deut. XXX.) ſenſum a Paulo proponi, ſed, uti verba Moſis proverbii ſpeciem habent, ita ab Apoſtolo liberrime & adagii inſtar ad propoſitum ſuum accommodari, nulla ſcopi Moſaici ratione habita: id quod poſt *Lutherum* & *Flaccium* agnoſcit etiam *Glaſſius*, vir ſacræ philologiæ conſultiſſimus, *Philol. p.* 2060. 2116. & 2122. Deinde formulam illam: τοῦτ' ἔστι, accipiamus ſenſu maxime obvio, reddamusque: *hoc eſt*, ſubjuncto commate. Porro recordemur, ſolere Græcos pro Gerundiis Latinorum, finem indicantibus, uſurpare infinitivum, ipſis quoque Latinis iſtum dicendi morem interdum (*d*) imitantibus: id quod vel ex illo (*e*) *Virgilii* liquet:

-- -- Convenimus *ambo*,
*Tu calamos* inflare *leves*, *ego* dicere *verſus*.



(*d*) Vid. *Vechneri* Hellenolexia lib. I. cap. 28.
(*e*) Eclog. V. 1. 2.

Ac proinde verba Pauli ita reddemus: *Quis in cœlum adscendet, hoc est,* (sive *scilicet*) *ad Christum inde deducendum*, sive *ut Christum inde deducat? Quis descendet ad inferos, hoc est,* (sive *scilicet*) *ad Christum a morte revocandum?* Porro τὸ *dicere in corde suo* stylo Biblico significat cogitationes pessimas, quas ore expromere pudor vetat & honestas. Hinc cum Paulus inquit: *Noli dicere in corde tuo*, non aliud vult, quam ut homo sibi caveat ab impiis iis cogitationibus, ut secum ita quæerat: *Quis Christum de cœlo deducet vel a morte revocabit?* Denique illud postulo ut mihi concedatur, quæstionem affirmativam exponendam esse per propositionem negativam, adeoque allatorum ab Apostolo impii hominis verborum hanc esse sententiam: *Nemo adscendet in cœlum, & Christum inde deducet in mundum: Nec quisquam in profundum descendet Christum excitaturus ab inferis.* Quæ verba sunt hominis ἐμπαίκτου, ἀπιστίᾳ laborantis, & ita secum cogitantis: *Profecto falsum est, quod Apostoli tradunt, Christum e cœlo venisse, eundemque a morte resurrexisse.* Atque ita tandem per gradus quasi quosdam ad veram Pauli mentem pervenimus, quæ huc redit: *Noli pro falsa doctrina habere doctrinam Apostolorum, qua docent, & Messiam sive Christum e cœlo in mundum venisse, & eundem morte devicta in vitam rediisse: sed potius duos hosce articulos fidei, qui sunt religionis Christianæ fundamenta, firmo assensu amplexare. Nam* (en ipsum Paulum,

sua

ſua ſenſa v. 9. dilucidius repetentem!) *ſi credideris, Jeſum eſſe verum illum Meſſiam, adeoque e ſinu Patris ad nos deſcendiſſe, eundemque reſurrexiſſe a morte, ſalvus eris.*

## VI.

## Rom. XI. 15.

Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κόσμε, τίς ἡ πρόσληψις εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν;

Αποβολὴ ſignificat *rejectionem*: id quod non ſolum patet ex oppoſita voce προσλήψεως, (die Annehmung/) ſed & ex 1. Timoth. IV, 4. ubi ἀπόβλητος ſignificat *rejectaneum*. Porro κόσμος præſenti loco per ſynecdochen totius pro parte majori ſunt *ethnici*: id quod manifeſtum facit verſus 12. ubi κόσμος explicatur & declaratur per ἔθνη. Præterea cum ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν & ἡ πρόσληψις ſibi reſpondeant, concedendum utique eſt, etiam ad poſteriorem vocem (πρόσληψις) ſubaudiri oportere αὐτῶν, ſcilicet Judæorum. Denique *reſurgere a morte* Apoſtolus noſter alibi quoque dicit eos, qui expergiſcentes e ſpirituali peccatorum ſomno novam eamque ſpiritualem vitam vivere cœperunt. Sic hac ipſa in epiſtola, cap. VI. 13. Chriſtianos vocat ἐκ νεκρῶν ζῶντας, ut alia loca, e. g. Epheſ. II, 5. ſilentio prætermittam. Jam locum noſtrum hoc

modo reddendum censeo : Denn wenn die Verwerffung der Jüden denen Heyden gereichet ist zu ihrer (Bekehrung und) Versöhnung mit GOtt : Was würde (vel wird) wohl ihre (der Jüden) Wiederaufnahme anders seyn/ als eine rechte Aufferstehung der Todten ? Significatur his verbis simul, miraculi ac prodigii simile visum iri, cum Judæi, de quorum ad Christianam religionem reditu vulgo desperatum est, eam tandem amplexabuntur, nec minus mirum hoc fore, quam si mortui resurgant e sepulchris suis. Videtur etiam Paulus respexisse visionem *Ezechieli* factam cap. XVII, quæ pleniori sensu de spirituali sensu quo minus exponatur, nil obstare video.

## VII.

## Rom. XVI. 25. 26. 27.

Hæc verba, sua quippe luce radiantia, pluribus explanare nolo. Cæterum cum disputetur a doctioribus, quo jure hæc verba locum hunc teneant, hic paulisper sistamus gradum. *Knatchbullus* tres hosce versus fini capitis decimi quarti annecti jubet. Ac video, consentientes eum habere non solum *Theophylactum* & *Erasmum*, verum etiam, qui acriter pro hac sententia propugnat, *Millium*. Mihi aliquando visi sunt optime collocari post Capitis XV. versum 13. ubi connexio se offert & cum antecedentibus & cum subsequentibus.

bus. Ac ſane & *Theodoro Bezæ* hanc conjecturam occurriſſe probatamque eſſe, e *majoribus* ipſius ad N. T. *annotationibus* didici. Verum omnibus rite perpenſis ad extremum ſtatui, tres iſtos verſus ſuo loco haudquaquam movendos eſſe. Scilicet cum Apoſtolus hanc epiſtolam non ipſe exararit calamo, ſed dictitarit excipiente (Rom. XVI, 22.) *Tertio*, hinc crediderim, Apoſtolum, poſt finitam verſu 24. ſcriptionem *Tertii*, ſua ipſum manu adjeciſſe tres illos verſus : quem in modum & ſua manu adjecit duos poſtremos verſus poſteriori ad Theſſalonicenſes epiſtolæ, ut ſcilicet de vero autore epiſtolæ omnem dubitationem eximeret ἀυτογραφία. Hoc admiſſo, cura quærendi trium iſtorum verſuum cum præcedentibus connexionem evaneſcit, omnisque tollitur dubitatio.

## ADDITAMENTA.

### I.

### De nomine Σωτήρ.

Hoc nomen, multis olim regibus tributum, in ſacris literis eſt Chriſti, DEI ac Domini noſtri, proprium. Qui puritati ſermonis ſtudent, diſputant, utrum Latine rectius *Salvator* dicatur an *Servator*. Mihi neutra vox Græco nomini plane reſpondere videtur, ac jam olim *Cicero* (*a*) agnovit, nomen σωτῆρος *La-*

(*a*) Orat. IV. in Verrem p. m. 393.

*Latino uno verbo exprimi non posse.* Scilicet σωτὴρ utrumque significat, & *Servatorem*, (einen Erlöser/) qui homines liberat a malis atque ab æterna damnatione; & *Salvatorem*, (einen Seeligmacher/) qui homines summa donat æternaque felicitate. Sic in aurea illa *Cebetis Tabula* cap. 4. 6. & 15. σώζεσθαι significat *a malis liberatum summa gaudere felicitate.* Recte proinde *Baierus Comp. Theol. Posit. Part. III. cap. 2. sect. 3. not. a. p. 612.* Christum σωτῆρα vocari scribit, non solum quod *servet nos & liberet*, sed & quod *salutem nobis det nosque felices reddat.*

## II.

## De corvis Eliæ nutritoribus.

Circa hunc locum & illi mihi videntur errare, qui corvos mutant in homines, &, qui eos mutant in angelos, divino instinctu victum apponentes prophetæ: qualis historia 1. Reg. XIX. 5. 6. 7. legitur. Prior sententia, a Cl. *Hardtio* primum publicata, breviter accurateque refellitur a *Relando Palæstinæ lib. III. p. 913. sqq.* itemque a nostrate quodam Theologo in den Unschuldigen Nachrichten *A. 1714. p. 698. sq.* Posterior opinio ruit, si historiam diligentius expendamus, eamque hunc in modum exponamus: *Deus Eliam, cujus capiti ardentissime rex insidiabatur, eumque ubique terrarum ac gentium vestigari jubebat,* (vid. cap.

cap. XVIII. 10.) *in loca deserta jussit abire, ubi scilicet ne quæreretur, nullum erat periculum. In illa solitudine, omni humano cultu vacua, ut cibum potumque haberet, aquam quidem præbiturus erat rivulus Crith, cibi vero satis erant allaturi corvi in desertis illis locis more sui generis habitantes.* (Corvi enim amant loca, ubi aquarum est copia, quippe sitibundi valde, teste *Franzio* in *Historia animalium.*) *Hi igitur non solum afferebant carnem cadaveribus avulsam, sed etiam longius evolantes ex remotioribus terris segetes, semina, poma, cerasa, &c.* (Talia enim congerere corvi solent, eodem teste *Franzio* p. 440.) *quæ Hebræi vocabulo* לֶחֶם *complectuntur. Hæc, inquam, afferebant corvi seque suosque alendi animo. Eripiebat itaque iis, quantum ad vitam conservandam opus erat, propheta, atque ita se sustentabat, donec exarescente illo rivulo divinitus aliò ablegaretur.* Hinc apparet, divinam Eliæ sustentationem & a furore regis defensionem fuisse mirabilem quidem & in omne ævum commemorabilem, non tamen miraculosam, si proprie sensuque theologico loqui velimus.

## III.

## De Hoseæ uxore.

Mirabiliter se cruciant interpretes in vero hujus loci (*Hoseæ I. 2.*) eruendo sensu. Omnia sunt facilia, si naturæ & civilia jura distin-

ſtinguas. Scilicet qui in civitate vivens pactum conjugale cum aliqua femina init, ex eaque, non prius celebratis ſolenniter nuptiis, gignit liberos, nihil quidem facit naturali juri contrarium; ſed, quia id a more ac jure civili abhorret, ejus cum uxore conſuetudo, ſolenni quippe ritu non inaugurata, proſcortatione habetur. Hinc mirum non eſt, uxorem quoque Hoſeæ, DEI quippe juſſu cum ipſo junctam neglecto ritu nuptiali ſolenni, a Judæis vocatam eſſe meretricem, quæ nequaquam erat meretrix, ſed vera uxor, cum civilis legis (quæ non agnoſcit pro legitimis conjugibus, niſi eos, qui ſecundum certos ritus auctoritate publica conjuges fuerunt declarati,) vinculo DEUS prophetam pro poteſtate ſua omnium ſuprema ſolviſſet.

V.

V.

# Perinclutae Academiae GENEVENSIS, qualis sub auspiciis anni cIↃ IↃccxx. fuit, ejusque Doctorum facies. (a)

BEnedictus CALANDRINUS, natus mense Septembri Anni 1639. ordinatus Minister Evangelii, mense Junio Anni 1660. Vocatus ad Ministerium ordinarium Ecclesiæ Genevensis, mense Februario. Anni 1664. deinde ad Professionem Theologicam, mense Martio, Anni 1690. quam exercuit usque ad Aprilem, Anni 1716. quo tempore, augescentibus, cum ætate ingravescente, variis Infirmitatibus, coactus fuit manum de tabula tollere, & finem imponere consuetis laboribus.

Vivit adhuc, singulari Dei beneficio, octogenario major. Ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν χριστῷ εἶναι. Scri-

(a) Debemus hanc nobilissimo Viro Amadeo le Fort, medico reipublicae Genevensis expertissimo, cui pro labore in hac re nobis impenso conceptissimis verbis gratias agimus. Quemadmodum pariter singulis celeberrimis Academiae Genevensis Professoribus nos devinctos esse declaramus ob praestitam in hac re nobis promtam ac benevolam operam, quod exemplum ut aliarum quoque Academiarum Doctores publicae utilitatis causa imitentur, cum optamus, tum eos etiam atque etiam rogamus T. d. H.

Scribebat Januarii die 15. Juxta st. Vulg. Anno 1720.

Benedict PICTET est né le 19. May Stil Vieux de l'an 1655.

Il est Ministre du S. Evangile des le 1. Fevrier 1678.

Professeur en Theol. des l'an 1686.

Appellé à la Profess. en Theol. de Leyde apres la mort de M. Spanheim l'an 1701.

Fait membre de l'Illustre Societé de propaganda fide à Londres. & de la Societé Royale de Berlin.

Les livres qu'il a composé sont

1. Entretien de Philandre & d'Evariste sur l'avertissement Pastoral fait aux Eglises de France, & sur les Methodes du Clergé, l'an 1683. sans nom d'autheur.

2. Oratio Funebr. in obitum Rev. D. Francisci Turrettini a. 1687. *Præfixa illa est ejus Institutionum Theologiæ Elenchticæ editioni Belgicæ.*

3. 4. Dissertationes de Pietatis Mysterio. 1. Tim. III. 16. a. 1690. 4. *Insertæ hae sunt Thesauro dissert. Amstælodamensi, T. II. p. 665.*

4. Un Traité contre l'indifference des Religions, imprimé l'an 1692. traduit en Anglois l'an 1698. Reimprimé, & fort augmenté l'an 1716.

5. Une morale Chrétienne en 8. Tomes in 12. & en 2. in 4. l'an 1710. La 1. edition etoit de

de l'an 1695. Un Anonyme fit imprimer le 1. Tome à Lyon l'an 1700. & le dedia à l'Evêque de Bellay. Elle a été traduite en Alleman, & imprimée à Leipsic l'an 1718. *Vide omnino Bibl. Cl. I. fasc. III. p. 358.*

6. Une Theologie Latine, en 2. Tomes, l'an 1696.

7. De consensu ac dissensu inter Reformatos & Augustanos fratres l'an 1697. Ce livre a été traduit par M. de Pralins Ministre Francois, & imprimé à Londres l'an 1716. sans nom de l'autheur; mais seulement du Traducteur. *Eadem cum animadversionibus prodiit Lipsiæ, 1699. 4.*

8. Amica Responsio Amicæ disceptationi D. Sculteti. l'an 1700.

9. Vindiciæ dissertationis de Consensu ac dissensu inter Protestantes. a. 1701.

10. Lutheri & Calvini consensus in Materia Prædestinationis, & Augustini sententiæ brevis expositio. a. 1701.

11. Neuf lettres sur diverses matieres de Controverse avec ceux de l'Egl. Rom. l'an 1699. 1700.

12. Une reponse à un Ministre Apostat.

13. Une lettre sur les mariages, qui sont benis par des Pretres, & avec des Catholiques Romains.

14. Une Theologie Chrétienne françoise en 2. vol. in 4. imprimée, la I. fois l'an 1701. La 2. l'an 1708. & on en fait a present l'an

1720. une 3. edition, augmentée d'un 3. volume, qu'on vendra ſeparement & qui contiendra des oeuvres melées d'hiſtoire, de Theol, & d' Antiquites Judaiques. *Latine illa prodierat Genevæ 1696. 8.*

15. 54. Cantiques Chretiens ſur pluſieurs ſuiets, & par les ſolennites des Chretiens, imprimes pluſieurs fois des l'an 1705.

16. 4. Autres petits Cantiques.

Sur les verites de la Religion Chretienne.
Sur les erreurs de l'Egliſe Romaine.
Sur les devoirs des Chrétiens.
Contre les Temporizeurs.

imprimes à la Haye & á Geneve.

17. L'art de bien vivre & de bien mourir, imprimé pluſieurs fois.

18. Les verites de la Religion Chretienne, tires de paſſages formels avec une courte explication. 1705.

19. Les devoirs des Chretiens tires de paſſages formels avec une courte explication. 1704.

20. Entretiens pieux d'un fidele avec ſon Paſteur. 1710.

21. Suite de ces Entretiens ſous le titre de ſaintes converſations d'un Chretien. 1713.

L'autheur donnera pluſieurs autres Entretiens qui ſuccedent, & qu'il a deja compoſez.

22. Medulla Theologiæ. a. 1711.

23. Medulla Ethica. a. 1711.

24. Syllabus Controverſiarum. a. 1711.

25. Prieres ſur chaque iour de la ſemaine

&

& ſur divers ſujets. 1712. imprimees pluſieurs fois. Traduites en Alemand par M. Willink. 1718.

26. Priéres ſur les principales ſolennites des Chretiens, imprimées pluſieurs fois.

27. Prieres pourſe préparer au Jeune, & pours' examiner ſur les comandemens deDieu.

28. L'hiſtoire de l' XI. ſiecle 1713.

29. L'hiſtoire du XII. ſiecle ſera bien tôt ſous la preſſe,

L'autheur compoſe l'hiſtoire depuis la creation du monde jusqu'à J. C.

30. Dialogues entre un Proteſtant & un Catholique Romain ſans nom d'autheur. 1713.

31. Cinq Catechiſmes. 1. Un hiſtorique. 2. Sur les verites de la Religion. 3. Sur la Morale. 4. Sur les Erreurs de l'Egliſe Romaine. 5. Pour les petits enfans. Imprimes pluſieurs fois.

32. 8. Sermons ſur l'Examen des Religions, 1. Theſſ. V. 21. imprimes pluſieurs fois.

33. Divers ſermons ſur Pſ. XCIX. 5. Zach. VII. 5. Matt. IV. 1. 2. Gal. I. 8. Epheſ. I. 21. 22. Rom. V. 9. 10. 11. Rom. XV. 4. Jerem. XVII. 9. 10. Apoc. III. 1. 2. 3. Matt. XV. 5. Jaques. IV. 3.

34. 14. Sermons ſur divers autres ſujets, dont les 7. premiers ſont ſur le diſcours de S. Paul dans l'Areopage Act. XVII. 22--34.

Le 8. est sur Matt. II. 17. 18. Le 9. sur 2. Cor. III. 18. Le 10. sur Tit. II. 7. 8. Le. 11. sur Luc. XIV. 10. - &c. Le 12. sur Act. II. 37. 38. Le 13. sur Cant. I. 4. Le 14. sur Jean. VI. 66. 67. 68.

35. La Religion des Protestans' justifiée d'heresie & sa verité demontrée contre M. Claude Andri Eccl. Rom. 2. Tome. 1716.

36. La Defense de la Religion des Protestans contre le meme 1716. 2. Tom.

37. Britannia Christiana & Reformata O. ratio. 1715. 4.

38. Wicleffus. Oratio. 1718. 4.

39. L'histoire des Temples & de leurs dedicace en sermon sur Gen. XXVIII. 17. 1716.

40. Lettres à un Catholique Romain, & reponse au livre du S. Papin 1718.

41. X. Dissertationes de Præstantia Religionis Christianæ & Oratio de Evangelii Triumpho, Christi trophæis. 1719.

42. La conduite du Chretien dans les diverses maladies. 1719,

43. Plusieurs placards des Theses sur divers sujets, soutenuês.

44. Un volume de dissertations & des harangues, qui va être mis sous la presse.

45. La consolation des affliges, qui sera bien tot aussi imprimè.

46. Græcorum recentiorum sententiæ cum ve-

veterum Græcorum placitis brevis collatio. 1700.

Johannes Alphonſus TURRETTINUS, Natus 13. Aug. 1671. patre Franciſco Turrettino, avo Benedicto Turrettino, Theologis Genevenſibus. Ad ſacrum Miniſterium admiſſus, paucis diebus ante Paſcha an. 1694. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor renuntiatus an. 1697. S. Theologiæ Profeſſione decoratus, an. 1705. Rector Academiæ Genevenſis, ab an. 1701. usque ad 1711.

Edidit Orationes duodecim; Inaugurales duas, Rectorales decem.

I. De Sacrarum Antiquitatum Uſu multiplici atque præſtantia; An. 1697.

II. Theologo Veritatis & Pacis Studioſo. An. 1706.

III. In obitum GULIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis. An. 1702.

IV. De Sæculo XVII. Erudito, & hodiernis Literarum periculis. An. 1703.

V. De Studiis emendandis & promovendis. an. 1704.

VI. De ſcientiarum vanitate & præſtantia. a. 1705.

VII. De Eruditionis & Pietatis nexu an. 1706.

VIII. De Pace Proteſtantium Eccleſiaſtica, 1. Epiſtola Paſtorum & Profeſſorum Genevenſium ad Seren. Boruſſiæ Regem.

2. Sereniſſ. Boruſſiæ Regis ad Epiſt. illam Reſponſum.

3. Viri Illuſtriſſ. Comitis à Metternich Epiſtola ad Paſtores & Profeſſores Genevenſes.

Acceſſit Joh. Alph. Turrettini Oratio de componendis Proteſtantium diſſidiis. an. 1707.

IX. De Variis Chriſtianæ Doctrinæ Fatis, an. 1708.

X. De Affectibus à veri ſtudio abducentibus, an. 1709.

XI. Votum pro Pace Europæ an. 1710.

XII. De adulterati Chriſtianiſmi cauſis & remediis, an. 1711.

Idem edidit varias Theſes ſeu Diſputationes Theologicas, quarum hi ſunt tituli.

1. Cogitationes de variis Theologiæ capitibus. *Inſerta eſt Bibliothecæ hujus Cl. I. faſc. 3.*

2. Cogitationes de Religione & Theologia.

3. Cogitationes de Controverſiis, ſenſu communi, Traditionibus, ſuperſtitionibus, Pontifice Romano, Conciliis, &c.

4. Solutio quæſtionis, Utrum ἀσύϛατα ſeu contradictoria, proprie loquendo credi poſſint? *Inſerta hæc eſt Gundlingianis, impreſſis Halæ Venedorum,* T. XIV. p. 340.

5. Adverſus eos qui ſtatuunt, quamcunq; Religionem profitearis, perinde eſſe.

6. De

6. De revelationis neceſſitate.

7. Theſes, quibus ad probandam Revelationis veritatem via ſternitur.

8. De veritate Religionis Judaicæ.

9. De Chriſto audiendo.

10. Nubes teſtium pro moderato & pacifico de rebus Theologicis judicio, & inſtituenda inter Proteſtantes concordia. Præmiſſa eſt Diſſertatio de Articulis Fundamentalibus. An. 1719.

Idem edidit *Pyrrhoniſmum Pontificium*, ſeu de Variationibus Pontificiorum circa Eccleſiæ Infallibilitatem. an. 1692.

De *Ludis Sæcularibus* Academicas quæſtiones, an. 1701.

Ut & Conciones Gallicas duas.

I. Sermon ſur la Charité an. 1696.

II. Sermon ſur le Jubilé de la Reformation de Zurich. an. 1719.

Michel TURRETTIN eſt né le 30. Nov. 1646. Il fut reçeu Miniſtre le 30. Juin 1671. Elû Paſteur de l'Egliſe de Geneve & Profeſſeur aux langues orientales 11. Aouſt. 1676. Dechargé de ſes fonctions ſur ſa demande le 3. Novembre. 1718.

Samuel TURRETTIN, (Michaelis F.) eſt né le 29. Octobre 1688. V. Stil.

Il a été reçeu Miniſtre le 3. Mars 1713.

Il a été etabli Paſteur de l'Egliſe de Geneve en Aouſt 1716.

Elû Profeſſeur aux Langues Orientales le

16. Decembre 1718. aprés avoir fait en partie les fonctions de cette profeſſion, depuis le mois de Juin 1714. Il fit ſon diſcours Inaugural pour cette profeſſion le 27. Dec. 1718. *De Antiquitatum Hebraicarum utilitate & Cautionibus in earum ſtudio adhibendis.*

Il fut élû Profeſſeur en Theologie, le 3. Fevrier 1719. En place de feu Monſieur Antoine Leger, qui avoit exercé la Profeſſion en Theologie, depuis l'annee 1713. & duquel on va voir au premier jour trois Volumes de Sermons imprimés. Il fit ſon diſcours Inaugural pour cette profeſſion le 3. Mars 1719. *De Fideli Myſteriorum Dei Oeconomo.*

Il a entrepris de faire un Cours de Theologie dans ſes leçons, ayant deja expliqué la Theologie Naturelle avec aſſés d'étendue, il va paſſer à l'explication de la Theologie Revelée.

Antoine MAURICE né à Eyguiere (Aquarii) en Provence le 22. Septembre 1677. a été reçeu au St. Miniſtere à Geneve au commencement de Juin 1697. Elû Paſteur de l'Egliſe de Geneve en Mars 1704. Profeſſeur aux belles Lettres & en Hiſtoire, en Mars 1710., & enſuite Profeſſeur aux Langues Orientales en Fevrier 1719. Il a été fait membre de la ſocieté Royale des ſcience, de Berlin en 1713. Pendant, qu'il êtoit Profeſſeur aux belles Lettres & en Hiſtoire, il a fait diverſes Diſſertations de Philologie & de Critique

qui n'ont point été imprimées. C'eſt lui, qui a pris ſoin de la derniere edition qu'on vient de faire du *Rationarium temporum de Petau*, ou il a ajouté de Notes Hiſtoriques & Chronologiques ſur l'ancienne Hiſtoire. Il vient auſſi de publier le diſcours qu'il a fait en entrant dans ſa Charge de Profeſſeur aux Langues Orientales ſour ce tittre. Oratio Inauguralis, in quâ probatur Linguæ Hebraicæ cognitioni imprimis acceptam referri debere Beatam 16. Sæculo inſtitutam Reformationem, Gen. 1719. 4.

Benignus MUSSARDUS anno 1657. natus Monſpellii, ibidem Doctoralem J. V. Lauream adeptus eſt anno 1679. Genevæ verò juris civilis Profeſſor creatus fuit anno 1687. Edidit Theſes aliquas juridicas, ac ſpeciatim, *De teſtibus*, *De Legatis*, *De ſponſalibus & nuptiis*, *De contractibus realibus*.

Johannes Antonius GAUTIER natus Genevæ 26. Septembris anno 1674. Philoſophiæ Profeſſor electus eſt 11. Septembris, 1696. Conſilio Reipublicæ Ducentenario, anno 1704. Ejusdem verò Reip. Conſilio LX. Virorum anno 1710. adſcriptus. Rector Academiæ renuntiatus eſt 5. Junii anni 1717.

Præter Diſſertationem Phyſicam de Lumine, Genevæ, anno 1692. Et Theſes ex univerſâ Philoſophiâ depromtas, Baſileæ ab ipſo editas anno 1693. Eodem Præſide à 23. annis, Theſes varii argumenti in lucem pro-

diere, & inter cæteras, Dissertatio de Gravitate, 1698. Disputatio de Brutorum animâ 1698. Meditatio Philosophica De Dei erga Homines Benignitate, 1712. Meditatio Philosophica, De Mundorum infinitâ multitudine. 1718.

Auctor est Curriculi Philosophici in usum Studiosorum, huc usque tantum Manuscripti, Logicam, Pneumatologiam, Physicam & Ethicam complectentis.

Intra biennium Universæ Philosophiæ expositionem tradit; Primo quidem anno Logicam, Pneumatologiam & Ethicam; Secundo Physicam docet, quam variis experimentis illustrat.

Præterea composuit Historiam Reipublicæ Genevensis, ex Archivo publico aliisque monumentis Historicis depromptam, à vetustissimis Urbis temporibus ad annum 1608. adductam, Octo voluminibus comprehensam; Manuscriptam; Item & Annales ejusdem Reip. ab anno 1538. ad eundem annum 1608. ex Actis publicis hausstos, septem Voluminibus constantes, etiam manuscriptos. Universum opus Amplissimo Magistratui patrio, cujus permissu & hortatu eidem operi scribendo auctor incubuerat, mense Septembri anni 1713. obtulit & dicavit. Hæc Historia cum Annalibus in Archivo publico Reipubl. Genevensis asservatur.

Estienne JALLABERT de St. Hyppolite en Lan-

Languedoc, né en l'année 1658. Après avoir fait ſes principales études à Geneve, fut reçeu au ſaint Miniſtére dans le dernier Synode tenu en Vivarez, l'année 1681. & donné à l'Egliſe d'Antraigues, & étant ſorti de France l'année 1685. il ſe retira à Geneve, ou il fut fait Profeſſeur en Mathematiques l'année 1704. & Profeſſeur en Philoſophie l'année 1713.

Pierre CROMMELIN né le 16. Septembre 1683. a été reçeu au St. Miniſtere l'an 1706. Paſteur de l'Egliſe de Geneve en 1718. & Profeſſeur aux Belles Lettres en 1719. ſa fonction eſt d'expliquer les principaux Auteurs Grecs & Latins, & de faire un Cours d'Hiſtoire Civile.

Petrus MUSSARDUS (Benigni F.) J. U. Doctor, Genevæ natus eſt anno 1689. Ubi juris naturalis & publici Profeſſor creatus fuit ſub finem anni 1719. inauguralem ſuam, *de uſu & præſtantia juris naturalis*, orationem publici juris fecit initio anni 1720.

IV.

VI.

# JOH. CHRISTOPHORI ISELII, (a)

## S. literarum Professoris in Academia Basileensi, *de vita ac morte* LUDOVICI BERI (b) relatio.

NAtus est LUDOVICUS BERUS in hac civitate ex *Berorum* familia vetusta & splendida, cujus nomine *Ursum* Patria Lingua significari nôsti. Itaque & ursum olim hæc familia in suis insignibus prætulit; & *Berus* ipse noster semel in Nomenclatore Ordinis Theologici hujus Academiæ, cujus partem aliquando in-

(a) Vide de illo Bibl. Cl. II. Fasc. II. pag. 311. sqq.

(b) Cum Cl. II. Fasc. IV. pag. 595. hujus Bibliothecae Epistolam Erasmi, qua suum de libero arbitrio libellum Ludovico Bero examinandum & miniatulis ceris notandum ante ejus editionem committebat, vulgarem, fateor de illo mihi perpauca innotuisse. Scribebam itaque ad Virum politissimum J. Laur. Crollium, Basileae viventem, rogabamque, ut me, quid sibi de illo compertum esset, edoceret. Hoc meum desiderium posteaquam ille Venerando Iselio aperuisset, is confestim pro prolixa illa, quae in eo est literas promovendi voluntate & singulari, qua me complectitur, benevolentia, suis ad me literis hanc de Bero narrationem inseruit. Illa quidem ut viris, qui homi-

insignem fuisse mox audies, *Ludovicus Ursi* appellatur. Protulerat ea stirps cum alios viros egregios, (c) quamquam domi ob merita notiores nobilioresque, quam foris; tum *Johannem* illum *Berum*, ob virtutis Bellicæ gloriam etiam in Historiarum Annaliumque Monumen-

hominum doctrinae atque ingenii laude florentium, praecipue eorum, qui tempore instauratorum sacrorum vixerunt, historia delectantur, non potest non esse gratissima; ita a nemine & aptius & promtius consignari potuit, quam ab Iselio, qui non solum omnis doctrinae *praesidiis instructus*, sed & Beri popularis aeque, ac in munere publico successor est, imo, propinquiore consanguininatis gradu eum adtingit, utpote, cujus, unica soror Elisabetha, illius avo, Johanni Lucæ Iselio qui ut ex Urstisii Chron. Basil. L. VII. c. 23. disco, a. 1560. rebus humanis exemtus est, ducentis abhinc annis nupta fuit, sicut frater Beri itidem unicus Franciscus, sororem Johannis Lucae Iselii, Helenam domum duxerat. Undé in epistola Oecolampadii ad Capitonem apud Hotting. in hist. eccl. T. IX. p. 15. Lucas *Iselin* vocatur sororius Ludovici *Beer*, in qua etiam mentionem injici video *Andreae Episcopi ex Beerorum familia*. T. d. H.

(c) Inter Academiae Basileensis Doctores *Osvaldus* quoque *Berus* fuit, artis medicae in illa Professor, qui anno aetatis suae LXXXV. Christi 1567. diem suum obiit. Epitaphium ejus inter illa Basileensium, quae a Johanne Grossio a. 1624. in illa urbe collecta atque edita sunt, legitur p. 27. Cur tamen dubitem hunc ad nostri Ludovici familiam pertinuisse, id factum est, quod eum ab Urstisio Tirolensem vocari deprehendam. T. d. H.

mentis memoratum, & qui in tempus illud ipsum, quo jam vivebat florebatque *Ludovicus* noster, proxima ipsi sine dubio agnatione conjunctus, incidit. Hic enim est, cujus egregium facinus, ne de gentis nostræ auctoribus dicam, in *L. XV. Historiarum*, inter præcipua fortitudinis specimina in atrocissimo ad Melinianum prælio ab Helvetiis edita referendum sibi *Paullus Jovius* censuit, cum hi loco ad extremum cedere coacti omnium judicio haud minus laudis sunt consecuti, quam si vicissent, campoque & castris exuissent hostem. Ceterum sic de illo *Jovius*: *Johannes & ipse Berrus* (Berum voluit dicere, licet geminata canina littera haud (cc) minus consuetum nostræ Genti in illo nomine enuntiando sonum exprimat, quam simplex,) *Basilienſium vexillifer, quam multis confectus vulneribus diutius ſignum ſuſtentare non poſſet, nec hoſtes eo potirentur, ſericum haſta detractum minutiſſime concerpſit & occubuit.* Quamquam, qui de nostris ei pugnæ superfuere, cum non minus luculentum hujus Viri Virtuti testimonium præberent, aliud tamen narraverint: Quum post multam acerrimamque pugnam vi teli ex majore balista excussi ambo pedes, quafere parte reliquo corpori cohærent, Bero confracti essent, isque necessario humi prostratus.

(cc) Factum id, quod Germanicum non fuit nomen Ber, sed Bâr vel Beer. Nunc ex quorundam consuetudine diceres Ursinum.

tus jaceret, tum quoque præsenti constantique animo, & virtutis officiique memorem, civium adstantium uni Georgio Werlino signum tradidisse, & cum ejus ipsi curam diligenter commendasset, exspirasse. (*d*)

Cujus quidem rei præter eorum, qui interfuere, testimonium, non aliud certius argumentum afferri potest, quam signum ipsum, quod ex ea strage incolume servatum, is ipse, quem dixi, Georgius Werlinus in Patriam reportavit. Ut omnino existimandum sit, *Paullum Jovium*, vel eum potius, cujus ille fidem in hac Narratione est secutus, cum Basilienſium cohortis signiferum Berum fortiter cadentem in ipsa morte decoris signique crediti curam haud omisisse accepisset; ceterum verum rei modum ordinemque vel non perinde audisset narrari, vel non satis amplius meminisset, quasi memoriæ suæ subventurum, ut fere fit, eiusmodi factum arripuisse, animoque finxisse, quod in tali genere casuque ab aliis jam usurpatum fuerat, ac majorem etiam facere videbatur mirabilitatem. Videlicet signum dilaceratum discerptumque a moriente signifero esse. Sed ad nostrum *Berum* accedo.

Natus est ante finem Sæculi XV. *Ludovicus Berus* Patre *Johanne Bero* non ejusdem modo cum superiore isto in ad Melinianum pugna Basi-

(*d*) Confer de hac historia Urstisii Chron. Basil. L. VII. c. 7.

Basilienſium ſignifero prænominis ac nominis, ſed qui etiam porro ita in illud idem tempus incidat, facile ut idem homo exiſtimari, & ita Vir ille fortiſſimus noſtri Parens fuiſſe cenſeri poſſit. Quanquam ego quidem, deficiente veterum monumentorum fide, minime id pro certo velim affirmare. Matrem *Ludovici* in vetuſtis Chartis *Grunenzweigiam*, ſive *a viridi palmite* reperio vocari, Patremque ipſius citari *Nicolaum Grünenzweig* Badenſis oppidi, quod alioqui Aquarum Helveticarum nomine venit, Prætorem. Ab his in lucem editus *Berus*, quum Patriam haberet eam, quæ ſic ſatis magnas opportunitates ad Litterarum ſtudia poterat præbere, tamen a Parentibus opulentis & in Filio præclare educando atque inſtituendo nulli neque ſumptui neque curæ parcere volentibus, puer adhuc Pariſios miſſus eſt, ut in celeberrima tum quidem Orbis terrarum Academia bonas artes inde ab ipſis rudimentis diſceret. Certe in Studioſorum civiumque adeo omnium hujusce noſtræ Basilienſis Academiæ Indice ſive Nomenclatore, quem inde ab A. clɔ ccccLx., quo illa primum nata atque condita eſt, ad hanc usque diem diligenter conſervatum adhucdum cuſtodimus, non prius ad ſcriptum *Ludovici Beri* nomen invenio, quam ad Annum a C. N. CIↃIↃXII., nec ſine *artium Liberalium ac S. Theologiæ Doctoris* titulo, quem videlicet Lutetiæ Pariſiorum erat conſecutus, antequam

tequam ullum in hac noſtra Academia ſpatium conficeret. De Pariſienſibus ejus ſtudiis tantum accepimus : Satisfeciſſe ipſum egregie Præceptoribus & quum ſupremam ſacrarum Litterarum Lauream pariter cum magno numero commilitonum capeſſeret, atque etiamdum valde eſſet juvenis, poſt ſevera illa paſſim locorum celebrata eruditionis pericula, quæ *rigoroſa* illi *examina* vocare adſueverunt, ingenii doctrinæque commendatione primum omnino locum in illa doctiſſimorum juvenum *multitudine obtinuiſſe* : quem honorem *hominibus extraneis* omni ævo rariſſime in *illa* Academia habitum eſſe conſtat.

Quum demum in Patriam revertiſſet, nomenque dediſſet huic Academiæ, ſtatim anno inſequente clɔlɔxiii. in Collegium ordinis Theologici adſcitus eſt, non ſine ſignificatione præclaræ, quam de ipſo Magiſtri conceperant, opinionis. Quin anno poſt, nimirum clɔlɔxiv. ſed diverſis tamen anni tempeſtatibus, Rector Academiæ pariter, & Ordinis Theologici Caput, quod DECANUM vocari moris eſt, creatus fuit; hocque in poſtremo munere Johannem Oecolampadium, Virum incomparabilem in numerum Candidatorum Laureæ Theologicæ recepit, inſcripſitque. Ego hoc vel ideo notandum arbitror, quoniam minime ei poſtea cum hoc viro de Religione convenit; ſicuti neque cum reliquis ex eodem Collegio, Con-

ſtantino Phrygione, Urbano Rhegio, Wolffgango Fabricio Capitone & Caſparo Hedione, illo in capite graviſſimo conſpiravit; qui quidem omnes Phrygione ſolum excepto, ita poſt eum recepti ſunt in hunc ordinem, vel a Collegio Lauream ſacram tulerunt, ut *Beri* quoque vel Decani, vel Agonothetæ, vel Brabeutæ, vel denique certe Collegæ opera ac ſuffragium intercederet.

Poſtea & *Collegii Canonicorum Petrinorum* hujuſce Urbis, quæ præcipua erat in eo dignitas, *Præpoſitus* creatus eſt; & demum etiam ab Epiſcopo Baſilienſi, ad quem inde a prima origine atque inſtitutione hujus Academiæ ſuprema ejus Poteſtas ac Præfectura ſpectat, quâ *Cancellarii* appellatione complecti placuit, munus hoc ampliſſimum Vicario nomine adminiſtrare juſſus eſt; & ſupremum denique Academiæ Magiſtratum iterum geſſit Ao. a. C. N. cIcIↃxx. Hæc de *Beri* Dignitate atque honoribus in Patria geſtis.

Nunc perſequar, quæ ad lucem afferendam Epiſtolæ Eraſmi propius pertinent, doctrinam *Beri* atque ingenium. Nimirum, ut erat ejus ætatis, ejusque etiam Academiæ, in quam *Beri* hujus ipſa Studiorum tirocinia inciderunt, captus atque indoles, Theologicam ejus temporis Diſciplinam diligenter ac operoſe didicerat; quæſtiones argutiasque omnes & perplexos ac mire contortos argumentorum nodos, in quibus fere præcipua pars Doctrinæ ac Sapientiæ ponebatur, cum ipſe

in

in promptu habebat, tum, si ab aliis adversum se inter disputandum adhiberentur, scite solvere atque explicare nôrat ; denique omnem, quæ vocatur, Scholasticam Theologiam, longa attentaque meditatione digesserat, planeque animo fuerat complexus.

Adjunxerat quidem priscæ quoque illius Ecclesiæ Doctorum lectionem, qua de re ex multis ad ipsum Erasmi epistolis liquido concluditur, vocatque sane *absolutissimum Theologum* Erasmus, Liiteris Eid. Mart. cIↃIↃXXI. Lovanio ad eum datis. Quæ nimirum ipsi caussa vel sola sufficiebat, cur hunc potissimum Libelli sui de *Libero Arbitrio* vellet Aristarchum esse ejusque judicio ante alios quosvis stare constituisset : hominis in omni contentiosa ac disputatrice Theologia versatissimi, cujus spinas atque aculeos nimis omni ætate reformidarat fugeratque Erasmus, quam ut sibi satis ab ea ad grave ac serium, quod tum aggrediebatur, certamen paratus esse videretur.

Ceterum illud quoque constat, antequam de emendanda Religione contentiones vehementius efferveſcerent, nequaquam ita sententiis a Præceptoribus atque in Schola haustis mordicus inhæsisse *Berum*, neque adeo ei cultui Religionis, quem a puero usurpari viderat, deditum fuisse, ut non utrobique nævos complures & agnosceret ultro, & volens lubensque confiteretur. Jam tum pri-

die Eid. Nov. cIↃIↃXVI, Litteris ad Eraſmum ſcriptis apertiſſime declaraverat, libros ejus, quibus nimirum haud pauca in pervulgata ejus temporis Relligione paſſim vellicabantur, aliis plerisque monachis atque Theologis vehementer licet obtrectantibus ac reprehendentibus, mirifice probari. Quod vero idem Eraſmus Lutheri doctrinam ſibi ſic ſatis placere, etiam qua tempeſtate editus jam ab hoc fuerat de *Captivitate Babylonica* liber, crematagque media Wittenberga Pontificum *Decretalia*, ad *Berum* ſcripſit: rationem duntaxat ac viam, qua utebatur Lutherus, acerrimumque illum Viri fervorem improbans *ac optimam cauſſam non optime agi ab ipſo* dicens; quod item in mores praviſſimos hominum ſacris initiatorum conſecratorumque liberrime multa apud eundem jacit; denique quod ipſius, quæ vocabatur, *Scholaſticæ Theologiæ* nævos miſſis ad eum epiſtolis aperte demonſtrat carpitque Eraſmus, homo, id quod omnes norunt, non libenter amicorum offenſam incurrens, id omne argumento eſſe nobis debet; minime in initiis illis quidem cæco plane ſtudio affectuque, quidquid erat receptarum ac pervulgatarum opinionum ac Religionum tueri ac venerari ſolitum hunc *Berum* fuiſſe; planeque in iſta parte alteri ejus ætatis celebrato Theologo pariterque ex Amicis Eraſmi, Martino Dorpio fuiſſe diſſimilem, qui quantopere propter hujuscemodi ſen-

ſententias in libris quibusdam poſitas Eraſmo ſuccenſuerit, quamque acriter cum ipſo ea cauſſa expoſtularit, ex epiſtolis liquet utriusque, quas etiamdum habemus.

Sed nimirum utcunque non peſſime de multis Religionis capitibus, quæ tum in controverſiam erant adducta, ſenſerit, emendationemq; pariter cum Eraſmo deſideraverit *Berus;* tamen idem eum ad extremum, qui Eraſmum, qui Glareanum, qui Johannem Fabrum, qui Gropperum, qui alios, aliquanto tempore Religionis emendationi faventes, ab hac cauſſa abſtraxit avulſitque ſive animorum æſtus, ſive tempeſtatum. Qua de re hoc loco copioſius diſputare, vel intimos de ea cunctorum ſenſus affectusque animi ſcrutari, nihil neceſſe eſt. Sane ubi primum illæ Religionis diſputationes, hinc in proſcriptionem atque anathemata, illinc in ſeceſſionem neceſſariam erumpere, ac in duas partes, veluti in juſtas acies diſceſſum eſt, adhæſit utique Pontificiæ ſectæ *Berus;* cumque eam omni modo tuendam & confirmandam ſuſcepiſſet, non familiam modo ſuam atque affinitates & cognationes, quibus magna pars Procerum hujuſce Civitatis continebatur, apud quos ille tam propter dignitatem, qua erat præditus, quam ob exiſtimationem doctrinæ & ingenii, auctoritate inprimis pollebat, quoad potuit, in ea retinere anniſus eſt: qua de re præter alia inedita teſtimonia,

aliquamque, sed, ut fit, in rebus vetustis, quæque nullis litteris sunt consignatæ, paulo nunc obscuriorem incertioremque famam sive traditionem, epistola inprimis illa ad Capitonem Oecolampadii nos docet, quam in *Annalibus Evangelicis* ad annum cIↃIↃXXIX. publicavit Vir Eximius ac in hujusce generis fragmentis colligendis diligentissimus Abrahamus Scultetus p. 185. & seq. Sed & aliis rebus omnibus studium acre & incitatum illarum partium præ se tulit.

Disputationem Religionis, (*e*) quæ, cIↃIↃXXVI. apud Aquas Helveticas (vernacule *Badam* vocamus) celebrata est, cum aliis tribus moderari jussus, sine controversia cunctis auctoritate antecelluit, partesque istas plurimum juvit Eccii sententiis postremo subscribens. Postea cum nutarent in hac Urbe ac

(*e*) De illo colloquio Badensi vide Urst. Chron. Basil. L. VII. c. 17. Sculteti Ann. ad a. 1526. T. II. pag. 10. J. Jac. Hottingeri nunquam satis laudatam Hist. Eccl. Helv. T. III. pag. 295--331. ex quibus disco praesides illius una cum Bero constitutos Barnabam. Abbatem Engelbergensem, Jacobum Stapferum, Sangallensem & Joh. Honeckerum, Praetorem Bremgartensem. In libello quodam, qui de illa disputatione, tum temporis editus est Argentorati, narratur Berum accessisse Oecolamp. in diversorio, & illũ rogasse, ut vel ab unico de Eucharistia articulo desisteret, tum de reliquis facile inter illos conventurum. Exitus illius colloquii fuit, ut Berus noster, una cum Augustino *Mario*, Joh. Silbergio, & Joh. Satlero se Pontificiorum partibus adjungerent. T. d. H.

Pontificiæ Religiones, Missaque & imagines ac reliquæ illæ Cærimoniæ nulla sacrarum Litterarum auctoritate subnixæ prorsus essent abolitæ, ex primis doctorum hominum, qui Urbem ea causſa desererent, ac seseFriburgum, quod est in Brisgovia, conferrent, *Berus* fuit; (*f*) quum Ordinis Theologici cum maxime caput esset, sive, ut loquimur *Decanus* secuti eum cum alii ex eodem ordine, tum inprimis Erasmus atque Glareanus.

Et Erasmus quidem certe revertit post non ita multi spatium temporis, & anno deinde cIↃIↃxxxvI. in hac urbe diem suum obiit! *Berus* autem mansit Friburgi, ac illi Academiæ operam diligenter ad finem usque vitæ navavit.

Surgit hinc igitur veluti nova quædam ei honorum series. Namque in Friburgensem Academiam, ut modo dixi, cooptatus, præcipuum ibi Ordinis Theologici columen atque ornamentum, quoad vixit deinde, est



(*f*) Factum illud est mense Januario a. 1529. ante motus illos, qui Basileae religionis causa coorti erant, ut ex citata illa Oecolampadii epistola constat, quæ non apud Scultetum solum legitur, sed & Joh. Henr. Hottingerum in hist. eccl. T. IX. p. 17. Eodem anno scriptae quoque literae sunt Johannes Cochlaei, noti Ecclesiae Romanae defensoris, quae inter Marbachianas à Fechtio editas, L. VIII. n. 3. apparet, ad Erasmum scriptae, in quibus ille Berum *integerrimum Virum* & *doctissimum Theologum*, & paulo post *doctissimum* & *honestissimum Virum* appellat. T. d. H.

habitus. Deinde cum eodem etiam Collegium *Canonicorum Basilienſium*, quod vocabatur, ſeceſſiſſet, cujus Caput ac Princeps ab ipſomet creatus Collegio Epiſcopus Baſilienſis erat, is qui nunc rectius Bruntrutanus appellatur; ibi tum *Berus* noſter eum, quem hinc diſcedens neceſſario amiſerat, in *Petrino Canonicorum Collegio* locum, cum ampliore multo iſtius generis dignitate, nimirum in illud alterum nobilius ſplendidiusque *Canonicorum Baſilienſium* Collegium adſcitus, commutavit. Nam *Petrini* quidem illa Collegii bona, ut a Majoribus noſtris conſtituta, & Baſilienſibus hiſce ſacris ac Religionibus deſtinata, vel ſponte diſcedentibus, qui de Collegio erant, vel puriorem doctrinam amplexis, ad uſus Evangelici Miniſterii, Academiamque ſuſtentandam jure ſuo ac poteſtate uſa Civitas, magna cunctorum Ordinum voluntate converterat. Denique & inſequenti tempore ejusdem illius nobilioris *Canonicorum* Collegii, tum quidem Friburgi commorantis, *Scholaſticus* eſt creatus, quæ qualis ſit dignitas, in tanta hujuscemodi Collegiorum, quæ ubique terrarum eſt, multitudine, ignorat nemo.

Edidit non valde multa in lucem publicam *Berus*. Ceterum paucis illis libellis, quos ipſius induſtria elaboratos accepimus, tractanda atque explicanda ſibi ſumſit argumenta hujusmodi, non quæ ad vexatas paſſim eo tempore controverſias Religionis pertinerent, ſed po-

potius, quæ ad excitandam pietatem ac vitæ Sanctimoniam essent apta. Ita ille *de Christiana ad mortem Præparatione* libellum scripsit; deinde & *Psalmorum* quorundam *Expositionem*; ac demum *Discussionem Quæstionis, numquid Christiano homini ingruente pestilentia fugere liceat?* (g) Quod nostri institutum, uti in illo partium studio, quo flagrasse videtur, ac in ea item scientia *Theologiæ Scholasticæ*, quam in ipso constat fuisse, aliquis fortasse miretur; ita sine dubio laudi dari homini debet, ac nescio quo pacto aliunde conceptam opinionem, de nimio quodam ipsius in puriorem Religionem odio, non parum imminuit.

Supereſt, ut de arctissima, quæ *Bero* cum Erasmo interceſſit, amicitia ac neceſſitudine verbum adjiciam. Plane amaviſſe plurimum inter ſe, & arcana omnia mutuo credidiſſe, ex Eraſmi Epiſtolarum opere liquido patet. Cujus rei præter eam, quam ſupra commemoravi, mentis ac ſententiæ Eraſmi de Religione de Cærimoniis, de hominum Eccleſiaſticorum Vita ac moribus, liberam atque luculentam declarationem illud quoque præcipuo argumento eſt, quod in litteris datis Cal. April. cIↃIↃxxIx. quo tempore Friburgum *Berus* jam conceſſerat, Eraſmus autem adhuc dum ob morbum Baſileæ morabatur, palam hic illi diſerteque confeſſus eſt: Quum a Monachis & reliquo illo hominum genere,



(g) Editi hi libelli ſunt Baſ. 1551. 8.

qui tum rem Pontificiam furore potius & rabie, quam ratione aliqua ac modo defendebant, identidem læderetur, sic se nonnunquam Vindictæ Studio exardescere, ut sese adversariis eorum adjungere cupiat; mox tamen iterum hosce motus animi sedare & reprimere. Profecto non levis momenti Confessio, & quæ, uti erant ejus ævi mores, si continuo emanasset in vulgus, sine dubio plerorumque animos in iis partibus, in quibus tamen manere Erasmus perseverabat, adversus ipsum exacerbasset. Sed sciebat omnino, id quod & in eadem hac Epistola præfabatur, *exploratæ fidei amicum* sibi *Berum* esse, cujus *in sinum suos affectus omnes*, sicuti lubenter *effundebat*, ita etiam tuto posset effundere.

Etiam quo tempore Friburgo Basileam Erasmus rediit, res suas ibi relictas, custodiendas; procuranda item reliqua negotia, ædesq; vendundas *Bero* potissimum commisit; qua de re in iisdem, quas jam sæpe citavi, epistolis exstant testimonia. Ad extremum moriens Erasmus, ut post obitum quoque amoris sui pignus ac monumentum *Bero* relinqueret, testamento suamet manu exarato, quod etiamdum inter Bibliothecæ Basilienses visenda adservatur monstraturque, &, ut hoc obiter adnotem, in Editione Batava *Operum Erasmi* excusum est quidem, sed nimium multis mendis deformatum; eo, inquam, testamento primum ei locum inter Legatarios com-

complures, delectos ex omni multitudine amicorum, tribuens, id quod in supellectile sua pretiosissimum habebat *Bero* legavit, *aureum* videlicet *horologium*. Superfuit deinde Erasmo annos pæne integros duodeviginti. Mortuus est Friburgi ult. Cal. Maji. cIↃIↃLIV. Sepultusque in summo ejus oppidi Templo, & a tribus Fratris filiis Antonio, Matthia & Francisco Beris monumento honestatus. De die unum moneo, pugnam esse inter editionem *Operis* ab *Henrico Pantaleone* vernacule scripti, de *vitis illustrium Germaniæ virorum*, in qua tanquam ex monumento *Beri* ponitur dies XIV. Aprilis, sive, ut modo posui, ult. Cal. Maji, interque manum ipsius *Pantaleonis* adscriptam in Nomenclatore hujusce Academiæ, quo loco alter *Beri* Magistratus Academicus finit. Ibi enim adscribens diem XXIV. April. mortem quoque ejus notavit, quæ est VIII. Cal. Maj. Sed diem XIV. Apr. ei lethalem fuisse ipsum monumentum ejus, quod Friburgi etiamnum visitur, evincit.

VII.

# JACOBI HASAEI,

# VINDICIARUM VULGATI INTERPRETIS TENTAMENTUM,

quibus

ejusdem tralationes quorundam locorum Novi Teſtamenti adverſus Vener. *Bezae* potiſſimum cenſuras explicantur,

ſimulque nonnulla ad *latinitatem* veterum ſpectantia illuſtrantur.

## ARGUMENTUM.

Cauſæ cur adeo Vulgato obſtrepant eruditi. Difficile eſſe ſcriptori de *latinitate vocis* movere controverſiam. §. 1. non ſine gravi cauſa in explicationibus *rerum* diſcedendum a *vetuſtiſſimis* utriusque teſtamenti interpretibus. §. 2. occaſio ſcripti & ſcopus §. 3. In locis ſeqq. Vulgati verſio defenditur. (1) Rom. III: 23. ὑστερέω *egeo* melius quam *deficio* redditur. Joh. II: 3. 1. Cor. XII: 24. δόξα in loco ad Rom. capiendum pro *imagine* §. 4. (2) Act. XXVIII: 12 Διόσκυροι numero *plurali* vocantur *Caſtores* & *Polluces* etiam apud *optimæ* Latinitatis ſcriptores §. 5. (3) Epiſt. Judæ v. 3. *ſupercertare* latinum eſt. Emphaſis & ſenſus

VO-

vocis ἐπαγωνίζεσθαι ut & præpos ἐπὶ & *ſuper* in compoſitis. §. 6. (4) Luc. XIII. 34. *avis* pro *gallo* & *gallina*. §. 7. (5) Actor. XXVI: 13. περιλάμπω *circumfulgeo*. λάμπειν de *fulgure* §. 8. (6) Ioh. XXI: 5. *pulmentarium* pro quovis *obſonio*, etiam *piſcibus* §. 9. (7) Marc. VII: 3. πυγμῇ pro *crebro* accipiendum §. 10. (8) Luc. I: 3. Act. XXIII: 26. XXVI: 25. κράτιστος eleganter *optimus* redditur. *Optimus* titulus ſummæ dignitatis hominum, uti & κράτιστος. Act. XXV: 26. *Dominus* per excellentiam Imperator dictus. *Latiniſſimus* latet in his titulis. §. 11. (9) Luc. XIII: 7. καταργεῖν pro ἀργεῖν reſpondet Hebræo בטל. Eccleſ. XII: 3. §. 12. (10) Act. XIX: 25. *acquirere* de *augmentatione* bonorum proba vox JCtis aliisque ſcriptoribus. Ἐυπορία unde. Latinitas JCtorum. §. 13. (11) Hebr. XI: 37. *Melota* tempore Vulgati vox latina erat ex Græca facta. §. 14. (12) Epheſ. II: 15. δόγμα pro *decreto* §. 15. (13) Actor. XV, 38. ἀξιόω habet notionem *petendi*, *rogandi*, *poſtulandi*. Actor. XXVIII, 22. Illuſtratur lex IX. Dig. de Lege Rhodia ejusque verſio. *Deprecari* pro *orare*, *precari*. §. 16.

## §. 1.

PRromiſſo, quo nuperrime fidem obſtrinxi in Biblioth. hujus Cl. II. ſect. II. Faſc. VI. p. 1032. me exſolvo. Exemplis quibusdam me oſtenſurum pollicitus ſum, *Veteris interpretis* N. T., quem *Vulgatum* adpellant, verſionis elegantiam & concinnitatem adverſus quorundam recentiorum interpretum & Ven. *Bezae* potiſſimum obelos notasque nimis ſeveras & aliquanto

im-

immaturas. Opellæ pretium ſat me retuliſſe videbor, ſi his aliisque, quæ ſexcenta depromi poſſent, exemplis edocti homines SS. litterarum ſtudioſi, melius dein mitiusque de hoc vetuſtiſſimo interprete ſentiant, ac quidem vulgo fieri pervidemus. Ex quo enim emendandae religioni ſuperſtitioſe admodum & in verba cleri juranti animum addixere viri graves & magni, merito quidem hujus interpretis *autoritate*, quam Romanae ſedis Praeſules eidem dedere, ac ſi nullo naevo nullo errore gravis eſſet, flocci habita cum id in hominis mores haud cadat; nonnullas ejusdem hallucinationes caſtigaverunt. Verum ita comparatum eſt cum humano ingenio, quo illud ab uno, quod ajunt, extremo ad aliud prolabi facillimum deprehendamus, nihilque difficilius videatur inter ſcopulos ſyrtesque erranti, ac mediam eamque regiam tenere viam. Hinc, cum Pontificiorum ſecta huic interpreti ſumma omnia errorisque immunitatem concedenda eſſe diſcupiat; inde ab hac hæreſi alieni viri, quo contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, nullam eidem tribuendam cupientes, paſſim ejusdem bona dicta in ſpeciem quavis occaſione carpunt & vellicant, quod quin partium fiat ſæpiſſime ſtudio, nec usquequaque ſemper veritatis, nemo humanorum ingeniorum elegans ſpectator, ibit infitias. Horum Virorum, quorum paſſim ingentem ex utraque Proteſtantium eccleſia col-

colligas exercitum, ducem quasi & antesignanum esse THEODORUM BEZAM, virum ceteroquin sanctissimum & Theologum incomparabilem, non est cur dissimulemus. Debet id nævi non proprio sed communi eruditorum ipsius ætate superstitionem majorum ejurantium vitio, quibuscunque armis contra adversarios in arenam proruentium. Nam ubicunque fere cum hoc vetere interprete viro venerabili res est, raro alias voces ac quidem has reperias licet *barbare, inepte, oscitanter, minus latine* &c. Hæc si aliter se habeant quandoque, non tamen est cur viro venerabili utriusque linguæ exprobres ignorantiam, quippe qui iis studiis suæ ætatis Theologos longissime anteivit. Verum haud difficulter hariolamur virum optimum ingenio indulsisse criticorum nonnunquam, quos his uti moribus accepimus, ut sicubi quandam apud probatum autorem se haud legisse meminerunt vocem aut phrasin, eandem continuo latinæ civitatis *finibus* ejectam proscriptamque velint. Morem quem nunquam ferre potui ex quo bonis litteris animum severius adplicui, idque in eo cumprimis negotio, quo nihil facilius est, ut culpa ipsum censorem redarguat. Quis enim omnes autores eorumque vocabula, quibus usi veteres, adeo in numerato habent, quo nunquam doceri possit illud alicubi locorum, quod damnat, deprehensum iri? Parcius itaque, quotquot mo-

de-

destiæ æque ac eruditioni sacramentum diximus, parcius ista viris objicienda meminerimus, ne critici magno cum opprobrio nostro nanciscamur hypercriticos, & nosmet magistros orbiliosque alii ad tironum ablegent subsellia. Factum inde ut plurimæ voces quas ii, qui de *vitiis sermonis & latinitate suspecta* libros condidere, aliis idem saxum volventibus occasionem præbuerint, codices de *latinitate minus suspecta* in lucem emittendi, quo easdem in civitatem denuo revocarent, eoque plenius beneficio juris postliminii utantur. De vetere saltem librorum sacrorum interprete, mihi contrariam sententiam & oppositam opinioni vulgi persuasam esse haud abnuo, in cujus oratione styloque, tantum abest ut plurimum nævorum latini sermonis, quin contra sæpius arcana latinitatis & optimum dicendi genus deprehendisse mihi videor. Unde, licet nonnunquam vocibus utatur, quas aut Tullii aut Augustei seculi lux haud literis prodidit, neutiquam in easdem continuo jure animadverto. Casu enim factum est ut his vel illis vocibus gavisi sint aurei seculi scriptores, aliis missis quas tum quidem usitatas ab ipsis vero haud litteris consignatas, posterior ætas rebus, quas exposuere, adplicuit. Id in omnibus omnium ætatum linguis contingere nemo vocabit in controversiam, qui in his rebus aliquid studii contrivit, ut monumenta hac

vel

vel illa ætate ſcripta plures voces neſciant, quas communis tamen linguæ uſus haud ignorat eopſe tempore, quæque poſterioribus ſæculis demum promuntur. Atque ita de *vocibus* ſub virgulam cenſoriam vocatis habendum eſſe arbitror.

§. 2. Explicationem *rerum* ut æque paucis tangam, verſioni *vetuſtiſſimorum interpretum* eo usque ſtandum eſſe arbitror, usquedum eos deſerendos eſſe productis in aciem firmioribus argumentis docueris, ac quidem multoties fieri ſolet. Alias nunquam erit conjectationum hariolationumque finis, & loco certæ explicationis, mille conjecturas pro fœcunditate cujusque ingenii, produci animadvertes. Atque unde, quæſo, factum eſt aliter, ut tot commentationibus explicationibusque, nonnunquam quidem ingenioſis & doctis, ſed paſſim inficetis paſſim incertis & dubiis, quibus ludibrium debetur male de religione ſentientibus, hoc ſeculum nuperumque ſacrum codicem oneraverint? Nonne præſtat, amabo, in una aliqua probaque ſatis nec fidei rationibus rerumque circumſtantiis, adverſa lectione interpretationeque acquieſcere, quam hariolando, divinando, conjectando, augere humani ingenii ludibria, & ſceptici nimis ſeculi mores in ſinu nutrire? Quod minus fieret ſi tantum ſtudii his optimis interpretibus *intelligendis*, quam quidem iis *confutandis* &, quæ non intelligunt, debel-

landis impenderent boni homines. Præcipue si hoc quidem liquido ostendi possit, ut quidem ostensum est, *vetustissimos* interpretes cum V. T. *Alexandrinos*, tum *Vulgatum* N.T. utriusque linguæ seu *Hebraeae Graecaeque*, seu *Graecae, Latinaeque* fuisse omnium longe callentissimos, eoque vixisse tempore quo singulæ hæ linguæ adhuc dum populis vernaculæ erant & communi usu nutritæ, haud video quid æquum hominis ingenium ultra facile desideraverit? Illi proinde sunt in possessione, quod ajunt, ex qua si eos ejicere annitaris, cave putes hoc fieri posse levioribus quibusdam conjectatiunculis, cum probatio tibi eaque difficilior incumbat. Novi quidem fontes unde fluant tot alienæ ab his interpretibus explicationes, & cur cotidie eos in adversam aciem producant viri docti: sed & tales novi qui iis nitantur præjudiciis communi fere opinione receptis, ut iis mederi vel hæc ætas nedum unius hominis cura impar sit, sique unquam quidem, hoc a longissima temporis intercapedine sperandum esse, nec ab aliis quam à pedetentim paulatimque emollitis ingeniis, ea dedisce paratis quibus nunc tanto studio se imbui exoptant.

§. 3. Quoniam vero minime gentium id nobis negotii daturi sumus ut omnes adversus *Vulgatum* censuras statera examinemus num recte vel secus se habeant, id quod ab hujus bibliothecæ instituti legibus, ob nimi-

am

am rerum molem foret alieniſſimum; cupimus Lectorem paucis contentum unde velut ex fimbria de cetero texto capiat conjecturam, ſpeciminibus, iisque nec longo ſtudio quæſitis, ſed nobis forte fortuna obviam factis & velut per ſaturam collectis. Cum enim nuperrime his diebus editam de *eo quod juſtum eſt circa interpretationem atque emendationem Sacr. Litterarum* diſſertationem cupidiſſime evolverem, ſperaſſemque nitidiſſimo utiliſſimoque SS. Litter. Studioſis libello *veterum interpretum* cum *Alexandrinorum* tum *Vulgati autoritatem* nitoremque & illic, ut quidem occaſio tuliſſet, defenſam fuiſſe; eam tamen partem vacuam acceperim, cum ceteroquin quæ ad illud argumentum exhauriendum apta ſunt, ſingulari ſtudio collegerit, digeſſeritque optime, multaque, ut ſolet, judicii acrimonia excuſſerit politiſſimus exercitationis autor *Moshemius*: Ea lata occaſione, cum ejus rei fidem antea me dediſſe memineram, animum lubido acceſſit hac opella paucis oſtendendi & *juſtam* eſſe in *interpretatione SS. Litterarum* veteris interpretis *Latini* ſtudioſe rationem habere, nec tutum eſſe neceſſitate parum urgente, a trita ab ipſo via, ad anfractus biviaque deflectere. *Latini* autem ſeu N. T. interpretis tantum heic loci curam geſſimus, quod alibi & paſſim quidem in ſcriptis qualibuscunque noſtris *Alexandrinorum* cauſam & in vertendo fidem ſinceritatemque du-

dudum tuiti ſumus, neque occaſionem defuturam fortaſſe ſperemus, quin & alio loco eorundem patrocinium denuo ſuſcipiamus. Quibus præmunitis id exſequamur penſi quod inſtituti a nobis exigit ratio.

§. 4. Roman. III: 23. legimus πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ΥΣΤΕΡΟΥΝΤΑΙ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. Vetus interpres reddidit, EGENT *gloria DEI.* Beza rectius eſſe putat *deficiuntur gloria DEI.* Res eodem redit. At Beza tantum ut conſuetudinem ejus ferre diximus, captans occaſionem obſtrependi Veteri interpreti ejus verſionem reſpuit quod *egere* enervet ſententiam Apoſtoli, & vim vocis ὑστεροῦνται. Ego vero me tam Lynceum non agnoſco quo hæc pervidere poſſim. Nam qui *eget* re quapiam, neceſſe eſt quo eadem apud ipſum *deficiat.* Imo *pluris* adhuc eſt *egere* re quapiam, quam quod eadem *deficiat* mihi, quia *carere* rebus poſſum variis quibus tamen minime *egeo* ſeu anxietate premor quo penuriam carentiamque earundem adeptione fruitioneque expleam. Contra quibus *egeo*, eadem & mihi *deficiunt.* Ejusdem Bezæ ſubtilius acumen pariter non perſentiſco dum verſionem Eraſmi *deſtituuntur gloria DEI* æque mentem Apoſtoli haud exprimere putat. Quid enim interſit magni ponderis inter utramque phraſin latinam, non animadverto. Synonymæ ſunt ut innumera loca docent veterum. Vulgatum igitur recte ſecuti ſunt Belgæ. *Ende DERVEN* (egent)

de

*de Heerlickheit Gods*, uti & more ſolenni verſio Germanica Pontificia quæ *Caſp.* eſt *Ulenbergii* und bedürffen der Herrlichkeit GOttes. Eraſmo & Bezæ accedunt propius Lutherus & Piſcator. Adpoſite autem ad vulgatæ ſententiam ὑστερέω pro *egeo* aliquoties in N. T. ponitur. Joh. II: 3. καὶ ὑστερήσαντος οἴνου *EGENTIBUS* (convivis) *vino*. Neque enim in nuptiis Canæ Galilææ *deficiebat* tum temporis vinum modo, ſed & eo *egebant* convivæ ſe largius flore Liberi Patris adſpergere cupientes. Non ſatis quippe vini ad uſum convivarum erat repoſitum. 1. Cor. XII: 24. τὸ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ ΧΡΕΙΑΝ ἔΧΕΙ. ἀλλ' ὁ θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, τῷ ΥΣΤΕΡΟΥΝΤΙ περισσοτέραν δοὺς τιμήν. Ubi vides χρείαν ἔχειν *egere*, *opus habere* poni ut ſynonymum τῷ ὑστερεῖν. DEUS enim gratiam ſuam non largitur quibusvis eadem *carentibus* (carent enim natura *omnes* homines) ſed tantum *electis* ſuis eadem *indigentibus* veræque fidei deſideriis eandem *expetentibus*. Sic pariter Chriſtus ad τὸν δεῖνα qui jactabat ſe omnia DEI mandata explêſſe actionibus vitæ commodis, dicit eum uno adhuc *egere* (non modo *carere* ſed & *egere*) quo vitæ æternæ particeps fiat Marc. X: 21. ἓν σοι ΥΣΤΕΡΕΙ κ. τ. λ. Præterea ſi quandam in hunc locum animadverſionem noſtram quam alibi explicabimus tempeſtivius ac heic loci, admittas, qua δόξαν θεοῦ hic reddendum eſſe non *gloriam* ſed IMAGINEM *DEI* pro-

 babi-

babimus, animadvertes simul Vulgati *egent* quo ὑστεροῦνται explicuit melius esse ac aliorum *deficiunt* & *destituuntur* quod homines miseri & irregeniti omnes natura peccatisque contaminati non tantum *careamus* imagine DEI, sed & ejusdem quam propter peccata amisimus, *indigeamus* summopere *restitutione*. Quod autem in explicatione vocis δόξα a Vulgato æque divortium faciamus, neutiquam reprehendendi sumus, quia explicatio ex *Hebraismo* dependet, non *græcarum* & *latinarum* litterarum intelligentia. *Hebraicæ* autem doctum fuisse veterem Interpretem nunquam credidimus.

§. 5. Actor. XXVIII: 12. παρασήμῳ Διοσκόροις quo instructa navis Alexandrina erat, eleganter reddidit vetus interpres, *insigni* CASTORUM. Quodsi cuipiam miras placet *Hugonis Carrensis* ineptias evolvere, adeat *Ant. Nebrissensem* Cap. IX. *Quinquagenorum* quæ habes Tom. IX. Biblior. Criticorum, ubi recenset, cum ille Hugo in mendoso quodam exemplari reperisset *castrorum*, eundem stulte hunc locum ad *castra* Romanorum retulisse. Quid simili mendo *gregis* pro *regis* extante in quibusdam Latinis Codd. Amos. VII: 2. nugarum a quibusdam prolatum sit, videbis in notis doctorum ad eundem locum. Ohe ridiculum! Sed hæc non tangimus quæ tum scripta sunt, cum *Græce* scire erat ignominiosum, *Hebraice* plane hæreticum. Quicquid

sit

sit, dicebantur olim *Castor* & *Pollux* ut Græcis uno nomine Διόσκυρος, ita latinis æque ambo *simul* plurali numero uniuscujusq; privæ vocis vel POLLUCES vel CASTORES salutabantur docente Servio ad III. Georg. AMBO, inquit, CASTORES & POLLUCES *vocantur*. Idem comprobant plurima veterum loca scriptorum. Nam *utrique* dedicatam ædem prope ostium *eadem* CASTORUM esse dictam, legimus apud Ammian. Marcell. L. XIX. Cap. 10. Neque ea locutio erat ævi sequioris, quo Ammianus vixit, sed longe vetustioris, uti ex serie orationis argumentum capies. Hinc & plurimi ejus vicinæque ætatis scriptores hac voce gavisi sunt. Aethicus Cosmographus p. 20. refert *Populum R. cum urbis Præfecto & Consule* CASTORUM *celebrandorum causa profectum esse*. Arnobius L. I. Adv. Gentes eosdem passim *Tyndaridas* CASTORES, & *claros deos* CASTORES appellat. Hinc pariter *Geminus Castor* vocantur à Rutilio L. I. Itiner.

*Pande, precor*, GEMINO *placatum* CASTORE *pontum*

Plane uti & GEMINOS POLLUCES reperimus apud Symmachum L. I. Ep. 89. Antiquum lapidem dedicatum CASTORIBUS exhibet Reinesius Inscr. Cl. I. n. 151. Adde Luctatium veterem Statii Scholiasten. ad VI. Theb. v. 329. & Victorem Descript. Romæ. Cap. 8. Quæ cum ita sint nec quidquam habeat quod in ipsius versionis indole no-

notare posset Beza, animadvertit tamen, ne nimis elegans hæc versio videatur, *inde fortassis factum ut sic etiam hæc vox* (Castorum) *ab Arnobio & Minutio usurpetur.* Addens: *Nam apud* MELIORES LATINITATIS *AUTORES legere NON memini.* Qua in re virum venerabilem omnino falsum esse ostendamus, vocemque CASTORUM *optimæ* notæ scriptoribus genuinam esse evincamus, ne locus Ammiani antea citatus, cujuspiam pateat cavillationibus. Adducimus Plinii, *Augusteum* seculum proxime tangentis ætate scriptoris autoritatem, qui L. X. Histor. Nat. Cap. 43. hæc habet *super ædem* CASTORUM, *genitus pullus in oppositam sutrinam devolavit.* Confer ejusdem L. XXXVI: cap. 6. Hinc natum esse lepidum M. Bibulo jocum (adeo ut *Cæsaris* ætate vocem illam probam latinis auribus fuisse scias) refert Sueton. Cæs. c. 10. *Cum aeque M. Bibulus ac C. J. Cæsar munificentes essent in P. R. Cæsar autem* COMMUNIUM *impensarum* SOLUS *laudem caperet, non dissimulabat tamen Bibulus evenisse sibi quod* POLLUCI. *Ut enim* GEMINIS *fratribus aedes in foro constituta tantum* CASTORIS (aut *Castorum*) *vocaretur: ita suam Cæsarisque Munificentiam UNIUS Cæsaris dici.* Sic Catullus, aurei scriptor seculi eosdem vocat *Gemellum* CASTOREM in fine Phaseli

\- - *seque dedicat tibi*
GEMELLE CASTOR - -

Hora-

Horatius æque *ambos* vocat *geminum* POLLUCEM L. III: od: XXIX: v. 64. Etiam *Polluces* de *utrisque* apud Varronem L. IV: de Legib. Cap. 18. reperimus. Catullus ad Manlium utrumque nomen plurali numero extulit

*Ac veluti in nigro jactatis turbine nautis*
*Lenius adſpirans aura ſecunda venit,*
*Jam prece* POLLUCES, *jam* CASTORAS *implorante*
*Tale tulit nobis Manlius auxilium.*

Denique Plautum in Bacchidibus IV: ſc. VIII: v. 53. POLLUCES pariter numero plurium dixiſſe reperies de ſolo Polluce adeo ut hæc abunde comprobent teſtimonia & *alterum* & *utrumque* veteres *unius cujusque* nomine numero *plurium* flexo compellaſſe.

§. 6. In Epiſtola Judæ v. 3. ἐπαγωνίσασθαι vetus interpres reddidit *ſupercertare* quo nomine ut *Barbarus* à Beza notatur. Sed quanquam Bezæ verſio magis latina videatur (reddidit enim *decertetis*,) haud tamen efficaciæ verbi ἐπαγωνίζεσθαι reſpondet. Nos Vulgati Latina tamen æque ac hinc loco commoda cenſemus, utut Ciceronis ævo vocabulum, quo uſus eſt, ſcriptum extare haud meminerim. Fruſtra enim ab hoc unico ſeculo latinitatem peteres. *Super* enim hic poſitam pro *inſuper*, *præterea* uti eamdem præpoſitionem ab ipſo nonnunquam poni Virgilio Servius ad ejus-

dem Aeneid. II: ℣. 71. annotat. Divide itaque vocem & lege *super certare* hoc est *insuper, præterea*, ut *iterationem* & *frequentiam* indicet. Sic & ἐπαγωνίζομαι propria notione indicare *iterum*, *secundo loco* certare etiam cum ad fori lites & aliunde traducitur, satis ostendit Stephanus. Nimirum ἐπὶ in compositione sæpius *frequentiam*, *assiduitatem*, atque *iterationem* innuit. Vide Pricæum ad Lucæ VIII: 4. Illum autem *proprium*, quem indicavimus, hujus verbi sensum heic loci quo agnoscamus, jubet vox ἅπαξ. Quippe cum tradebatur fidelibus *primum* ea πίστις seu salutaris doctrina, tum *primum* pugnatum est, quo eandem missis vel gentilismi Judaismive erroribus, agnoscerent. Nunc vero cum falsi fratres irrepserunt vult Apostolus ut, pro *tuenda* eadem *iterum* & *secundo* decertent loco pro illa ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει. Non itaque solum *decertare* aut *depugnare* sufficit heic loci ad exprimendam verbi hujus efficaciam utpote quam & simplex ἀγωνίζομαι satis luculenter innueret verbum *intensissimæ fortissimæq; pugnæ* sensu instructum usu Graji sermonis, sed *super, insuper* certare, *iteratisque* vicibus *redintegrare* pugnam. Tanti est vim vocum probe observasse!

§. 7. Luc. XIII: 34. ὄρνιθα poni pro *gallina* quisque videt. Vetus interpres *avis* reddidit, addente Beza *quasi ignorarit hac voce quoque* (ὄρνις) *peculiariter* gallinam *indicari* cum

*tamen*

*tamen Gallinam verterit Matth. XXIII: 37.* Sed ſtudio varietati vocum ſtudens hanc vocem illic *gallinam*, hic *avem* tranſtulit optimus interpretum. Nam æque ut Græcis ὄρνις & latinis *avis* ponitur pro *gallina*. Sic Horatius de *Gallinis* Numidicis

*Non Afra AVIS deſcendat in ventrem meum.*

Et Martialis de Hannibale L. XIII: Epigr. 73. & iisdem *gallinis*.

*Anſere Romano quamvis ſatur Hannibal eſſet,*
*Ipſe ſuas nunquam Barbarus edit AVES.*

In re augurali cum ex *pullorum* avida voracitate pultis captarent augurium Romani, *gallum* & *gallinam* nomine *avium* venire ſæpius cernimus. Florus L. IV: Cap. 7. *Pari in meliora præſagio in Cæſaris caſtris omnia* AVES *victimæque promiſerant.* Hos enim *pullos* ſeu *gallinas gallosque* augurales ſecum in caſtra imperatores deferebant. Vide Sueton. Tiberio Cap. 2.

§. 8. Actor. XXVI. Paulus quid ſibi itinere Damaſcum verſus contigerit coram Rege Agrippa narrans, ait: περιέλαμψέν με φῶς: Primam cum Vulgatus reddidiſſet vocem *circumfulſit*, rurſus a Beza *Barbarici* accuſatur. Ipſe haud melius *circumfudit*. *Circum fulgeo* enim qui parum proba vox eſſet latinis auribus

cum

cum *fulgeo* aliis præpositionibus in compositione munita sit, ut *præfulgeo*, *adfulgeo*, *refulgeo*, *interfulgeo*? Cur inquam præpositione *circum* non æque feliciter gauderet, inprimis in exponenda præpositione περὶ quæ in compositione *circum* denotat. Præterea usus eodem verbo est Plinius L. II. Cap. 37. *Hominum capita vespertinis horis magno præsagio CIRCUM FULGENT.* Aliique bonæ notæ autores. Elegantissime autem περιλάμπω redditur *circumfulgeo* quia λάμπειν præcipue Græcis accipitur de *fulmine* & *fulgure* uti ἀναλάμπω *refulgeo* & ἀνιπλάμπω, ἐκλάμπω ceteraque composita verba docebunt. De primitiva voce Aristoph. Vesp. ℣. 349. ΛΑΜΠΩΝ πυρὶ ΚΕΡΑΥΝΟΣ. Quod ipsum luculenter ex urbe *Lampsacus* apparet quæ nomen accepit ἀπὸ τὸ λάμπειν quod augurio *fulminis* sit condita. Vide Etymologicon M. & Stephanum in Λάμψακος. Sic itidem περιλάμπειν accipe de *fulmine* quod pastoribus in agro commorantibus noctu *circumfulsit*: δόξα κυρίου, inquit Lucas Ev. II: 9. περιέλαμψεν αὐτούς. Utitur Lucas Act. IX: 3. verbo περιστράπτειν, unde ἀστραπὴ *fulgur* a στράπτω *fulgeo*, quemadmodum & latinis *fulgur* a *fulgendo* vox nata est.

§. 9. Joh. XXI. 5. προσφάγιον usurpatum de captis *piscibus* cum reddiderit vetus interpres *pulmentarium*, addit Beza: INEPTE *profecto. Nam cur à* PISCATORIBUS *petat* PULTEM. Gaudeat sua interpretatione in sinu vir venerabi-

rabilis neſcius *obſonium*, ut ille reddit, cum *pulmentario* plane eſſe ſynonymum. Venit quidem ratione *originis* a *pulte* pulmentarium teſte Varrone L. IV. de Ling. Lat. cap. 22. ſed *uſu* pro *omni* ponitur *obſonio*. Seneca de *Caricis* ſeu ficubus Ep. 87. *Illæ* ſi PANEM *habeo pro* PULMENTARIO *ſunt*. Juvenalis Sat. VII: ℣. 185. de *luxuria* agens Romanorum qui ſane *pulte*, ut olim non contenti

-- *Veniet qui* FERCULA *docte*
*Componat : Veniet qui* PULMENTARIA *condat :*

Ubi videantur notæ Iſ. *Grangæi*. Horatii vetus ſcholiaſtes hinc recte, ad Sat. II. L. II: ℣. 20. *pulmentaria quære*, exponit CIBUM *quære*, & dicto Socratis Horatiano ſimili illuſtrat. Horatius vero & *Pulmentarii* nomine comprehendit varia *piſcium* genera ut heic loci Vulgatus

-- *Tu* PULMENTARIA *quære*
*Sudando; pinguem vitiis albumque, nec*
OSTREA
*Nec* SCARUS, *aut poterit peregrina juvare* LAGOIS.

*Lagois* ait idem Scholiaſtes *eſt genus* PISCIS *quod in Italo mari non capitur*. Veniant itaque & *piſces* recte nomine *pulmentariorum* ſtylo Latii incolis uſu recepto.

§. 10.

§. 10. Marc. VII: 3. legitur de Phariſæis, πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας quod Vulgatus, CREBRO *lavant manus*. Beza reddit *pugno* & Vulgatum pro πυγμῇ legiſſe πυκνῇ cum Eraſmo auguratur. Et in veteri alia verſione ſcriptum eſſe *primo* pro *pugno*. Verum facilius multo *crebro* in *primo*, quam *pugno* in eandem vocem degenerare potuit ſi majores litteras conſideres. Nam P & C & E & I uti & BR & M ſi jungantur litteræ multum & pronuntiatione & ductu habent ſimilitudinis. Sed per me ſtet accepta lectio, quod *primo* hic poſitum eſſe poſſit pro *ante omnia*, *loco principe* &c. Nec enim ubique refractarius, ut ſpeciem diſſentientis feram, eſſe cupio. Sed & non ſubterfugio quin recte Petavius ad Epiphanii operum T. I. p. 31. Bezam, quoad loci explicationem, notaverit. Nam adverbialiter hic πυγμῇ ſumitur, quæ vox, a *crebra* pugni jactatione in pugna, in hanc quoque notionem deſcendit. Sic Epiphanius hunc locum accepit Hæres. XV. in princ. ubi de *Scribis* ait. ΠΥΓΜΗ μὲν τὰς χεῖρας νιπτόμενοι. ΠΥΓΜΗ δὲ καὶ καθαρισμὸς πινὰς δι' ὑδάτων καὶ λυτρῶν ἀποσμηχόμενοι. *Nam & manus FREQUENTER abluunt, & aquis CREBRO ſe aclavacris abſtergunt.* Et hunc ſenſum requirit loci circumſtantia. Quid enim eſt, *pugno lavare manus*, quaſi aliquis manus lavare poſſit abſque *pugno*? Phariſæos autem *frequentibus* lavationibus operam dediſſe varia N. T. loca aper-

aperte satis indicant. Confer modo v. 4. & 5.

§. 11. Occurrit Lucæ. I: 3. Act. XXIII: 26. XXVI: 25. Titulus κράτιστος quo viros *illustres* ornat Lucas, uti in actis *Felicem* & *Festum* qui in Judæa erant *Cæsaris Procuratores* nobilissima fulgentes dignitate, & in Evangelio *Theophilum* quem in *Alexandrina* civitate virum summæ autoritatis fuisse ex veterum testimoniis, alibi ostendi. Vulgatus illud vocabuli reddidit per *optimus*. Sed Bezæ hæc non arridentreddenti ad Luc. I: 3. rationem cur *præstantissimus* exhibere maluerit, quod sit a κρείττων voce *potentem* denotante sed vere ut aliquid, haberet alieni & privi à vetere interprete. Quanto enim melior est versio Vulgata. Nam κράτιστος, cum ut *titulus* ponitur viri *illustris* non video latinos per *præstantissimum* extulisse. Sed illi reddunt vel *nobilissimus* vel *nobilis* ut ea vox redditur ex Græcis Modestini in *l. 4. ff. de Exception. & l. 2. Eod. in pr.* ubi Ulpiani titulus est κράτιστος qui *illustris* Ictus erat, summoque in aula Imperatoria in loco positus. Sed nullibi memini hunc titulum κράτιστος aliis quam *Magistratibus* dari Romanis in provincias missis, aut illustribus viris ex ordine nobiliori populi *Romani*, ut exempla ostendent quæ elegantissimus Menagius Amoenitatum Jur. Civ. Cap. 16. protulit, quibus adde *Hieronem* cui Galenus librum de Methodo medendi inscripsit, eum-

eumque κράτιστον vocat T. IV: Oper. p. 39. Quod autem ad ejus tituli Græci *originem*, censeo eum *latinismum* esse. Nam Græcos antequam à Romanis subjugati essent, eorumque lingua in rebus *Juridicis* & *honorum* titulis haud *Romana* lingua permixta erat, ut dein factum, & ad eandem accomodabatur; voce κράτιστος pro *titulo* Viri *illustris* umquam esse usos, observasse quempiam valde dubito. At Augusteo seculo & deinceps, Græcis dudum à Romanis subjugatis, id moris fuisse ex productis in apricum locis luculenter apparet satis. Eo enim tempore *Græca* lingua in rebus *politicis Juridicisque* ad *Latinæ* modos flectebatur, docente id pluribus Casaubono ad Baronii Annal. Exerc. IX: sect. 3. Eam itaque in rem ad Vulgati elegantiam versionis declarandam observa Latinos titulum OPTIMI dedisse viris longe *illustribus*. Quantus vir Augusteo ævo fuerit Mæcenas ex Horatii L. I. od. I. satis notum ubi *atavis regibus editum* esse scribit, & L. III: od. 29. *Tyrrhenam Regum progeniem* vocat. At huic dabatur tanto viro & *Coccejo* Nervæ Romano Consuli, titulus *optimi*. Horatius L. I. Sat. V: v. 27.

*Huc venturus erat Mæcenas* OPTIMUS *atque*
*Coccejus* (sc. optimus) *missi MAGNIS de rebus uterque*
LEGATI *aversos soliti componere amicos.*

Et

Et Sat. X: v. 83. - *probet hæc Octavius* OPTIMUS. -

Eodem titulo & Quinctium virum æque illustrem complelat L. I: Ep. XVI. OPTIME *Quincti*. Iuvenalis Sat: IV. de *Pegaso* Illustri Icto & Præfecto urbis v. 76. sqq.

- - *rapta properabat abolla*
*Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi*
*Anne aliud tunc præfecti? quorum* OPTIMUS --

Sat. X: v. 33. de C. *Silio*

-- OPTIMUS *hic & formosissimus idem*
*Gentis* PATRICIAE *rapitur miser extinguendus.*

Hunc itaque **optimi** titulum Romanis magnatibus datum, unde & eosdem dictos esse OPTIMATES observa, Græci sua lingua extulerunt per κράτιστος eo tempore quo iidem in usu erant tituli, unde merum esse *latinismum* apparet. Deficiente & exolescente isto titulo optimi subsequentibus seculis, aliisque in ejus locum succedentibus: contigit ut & vox κράτιστος apud Græcos ex hoc more recepta, dein & aliis nominibus exposita sit. Unde vetus interpres Digestorum, qui sequior ætate est, per *nobilissimus* extulit, quo olim titulo haud magnates sed *Cæsares* principesque juventutis salutabantur. Similes ejusmodi in *titulis* occurrunt latinismi & in ipso

novo fœdere, uti cum Romanum imperatorem Lucas Act. XXV: 26. vocat κύριον latinismum esse scias. Quippe Romanus Imperator per excellentiam vocabatur *Dominus*. Vide J. Gothofredum in diss. ad *l. 9. ff. de lege Rhodia de Jactu* ubi in Græco κύριος & in veteri versione *Dominus* in Libello supplici vocatur Antoninus. Adde Plinii Epistolas toto Libro *Decimo* ad Trajanum scriptas, ubi eum perpetuo titulo *domini* compellasse videbis.

§. 12. Lucæ XIII: 7. *arborem* nullos ferentem fructus, vinitor excidere jubens, hanc reddit instituti rationem : ἵνα τί καὶ τὴν γῆν ΚΑΤΑΡΓΕΙ; quam interrogationem cum optime dedisset Vulgatus. *Ut quid etiam terram occupat ?* quia *inutilis* erat arbor hæc *otiosa*; eique Erasmus accessisset : tamen hæc minime placent Bezæ, qui ait : *At ego fateor me nusquam legisse* καταργεῖν *pro inutiliter occupare vel onerare - - Existimo igitur hic dici ficum* τὴν γῆν καταργεῖν, *quæ præterquam quod erat infructuosa, etiam eam terræ partem quam occupabat sterilem reddebat, quæ alioquin vitibus consita non fuisset inutilis.* Sed quid vitiligare sit, si hoc non sit, neutiquam video. Quis enim nescit arborem quæ *otiose* & *inutiliter* terram *occupat*, etiam efficere ut *sterilis sit* atque prohibere quo melioribus consita arboribus *frugifera* sit? Hæc indivulso cohærent nexu. Adeo ut parum videam quid in hac interpretatione reprehendendum sit. Prætereaque ipsa loci inspectio

ctio docebit potius hic respici ad *inutilem occupationem*, quam quod terram *reddat inertem*. Eum enim in finem produxit Sospitator de ficu hac in vinea parabolam ut ostenderet illos qui *inutili oneri erant* ex Judæis in Domini *vinea* æque ut *inutilem* hanc arborem excisum iri. Conf. v. 1-5. Non enim in eos pœna hæc decernitur usque adeo, quod illi *in causa sint* quo *aliis* in eorum locum succedentibus, vinea Domini sit *fertilior*, quam ipsi quod *inutiles* essent & nullius frugi. Dein καταργεῖν opponitur τῷ ἐνεργεῖν, quorum altera vox ut rem notat quæ *utilitatem* adfert, sic altera quæ ea *destituitur* facultate, adeoque *nullius* est *usus*, quæque, si adest, rem aliam *occupat* inutiliter. Frustra nec minus objicit Beza *usum* vocis καταργεῖν eundem sensum respuere. Posita enim est pro ἀργεῖν ut millies composita retinent notionem simplicium. Hoc vero verbum respondet Hebræorum בטל (*batal*) quod hoc sensu gaudet Eccles: XII:3. ubi de incommodis senectutis agitur, quæ tum hominem celeri pede premit cum inter cetera בטלו התחנות OCIOSAE *sunt molitrices* seu dentes *molares* quæ, ea de causa quod ad comminuendum cibum non amplius idoneæ sunt, & os simul *inutiliter occupant*. Hæc enim vox per ἀργεῖν a Græcis translata est, uti & Esdræ IV: v. 24. quemadmodum & idem verbum per καταργεῖν, cum de re *otiosa* & *inutili* sermo est, explicuerunt, uti eodem in Esdræ loco

§. 13. Reperies & in locum Actor. XIX: 25. infelicem censuram contra veterem interpretem exercuisse Bezam venerabilem. Cum enim Demetrius aurifaber Ephesinus alloquens ceteros artifices de *quæstu*, qui illis ex opera ναῶν ἀργυρέων Ἀρτέμιδος redundaret, ait ἐπίστασθε ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ ΕΥΠΟΡΙΑ ἡμῶν ἐστι. Vulgatum quippe Vir bonus *inepte* dicit transtulisse εὐποριαν *acquisitionem*: Ille vult *copias* denotare. Sed veteris interpretis versioni male nota inuritur. Nam latinitate satis proba utitur non modo, sed & quidem voce propria hac in re veteribus Jurisconsultis, qui omne id quod nobis accedit *bonorum* seu per *operam*, seu per *occupationem*, seu per *hereditatis* leges seu alio titulo, vocant proprio nativoque vocabulo *acquirere* & *acquisitionem*. Ita millies occurrit in libris Juris. Consules integros titulos de *acquirendo rerum Dominio* in Institutionibus L. I. tit. 1. & Digestis L. XLI. tit. 1. Item Cod. L. II. tit. 40. ubi de *acquisitione* minoris per hereditatem vel bonorum possessionem vel alio modo. Item L. XXIX. Dig. tit. 2. de *acquirenda* vel omittenda hereditate, quam & in Cod. L. IV. tit. 27. reperies. Item Ulpiani Tit. Digestorum XXIX. qui agit de *rerum acquisitionibus*. Juvenalis, sæpissime stylo JCtorum Romanorum utens, cum de *quæstu* loquitur, & *opum* collectione idem adhibet vocabulum. Sat. XIV. vs. 115.

Hunc

*Hunc egregium populus putat* ACQUIRENDI
*Artificem, quippe his creſcunt* PATRIMONIA *fabris*

uti & vſ. 125. culpat *inſatiabile votum* ACQUIRENDI. Adde vſ. 222.

*Nam quæ* TERRAque MARIque
ACQUIRENDA *putas, brevior via conferet illi.*

Nam εὐποεία cum propria notione indicet (orta quippe ex εὖ bene & πόρος *trajectus*) *facultates* quas mercatores ſibi acquirunt *feliciter mare trajiciendo* domum redeuntes unde & ἔμπορος *trajector* notat *mercatorem*: ſic & de quovis *lucro* qualis in aurifabros Epheſinos ex confectione ſacellorum Dianæ redundabat, accipitur. Quod ut latini *quæſtum*, ſic & *acquiſitionem* vocant utroque vocabulo a *quærendo* ducente originem. Corrigat itaque Beza latinitatem JCtorum, qui omnium maxime *proprietati* ſtudent verborum adeo, ut *Laur. Valla* (at quam perito!) judice, ſi omnes Romani libri periiſſent, lingua latina ex unico *Juris Civilis* corpore poſſet reſtitui, quam *Fridericus Taubmannus* probis his verſiculis circumſcripſit ſententiam:

*Vulgus opinatur Juris ſat habere peritum*
*Si ſciat in cauſis ſemilatina loqui.*

*Ecquid ais, Hospes, adeone in Corpore juris,*
*Non olet autores Roma latina suos.*
*Credo ego si linguæ Ciceronis imago perisset,*
*E juris posset corpore restitui.*

Vide Taubmanniana p. 288.

§. 14. Ad locum Hebr. XI: 37. hæc notat vir doctus ἐν μηλωταῖς *Vulgata* in melotis, *nempe quod non intelligeret* quid hoc sibi vellet *quod multis etiam postea imposuit Græcæ linguæ imperitis.* Quasi vero tam elegans interpres Græcæque linguæ doctissimus ignorasset quid vox μηλωτὴ indicaret, quam apud Strabonem varios. que Græcæ linguæ scriptores reperimus, docentibus abunde viris doctis in notis ad Pollucis Onom. L. X. §. 176. & L. VII. §. 57. uti & Græcis veteris Testamenti interpretibus haud infrequens est. Vide quæ ea de re monuimus in diss. de *Glossemat. Nov. Test.* §. 9. Verum cum plures Græcæ voces, ea ætate qua hæc scripsit vetus interpres, civitatis jus apud Latinos dudum nactæ erant, cur minus iisdem bonus interpres commode uti haud potuerit, parum video. Interpretem quidem uti decet vocibus notis, at & satis est si ejus indolis sint ea ætate, qua sua litteris excipit. *Meloten* autem ea ætate probam vocem fuisse in lingua latina discimus ex Cassiano L. de *habitu Monachi* Cap. XI. qui ea utitur. *Et parvissimi cuculli velamen, vel* MELOTIS *gestatio derisum potius, quam ædificationem ullam videntibus*

*bus comparabit.* Nam Aegyptii Monachi *pelle caprina* induti incedebãt, quæ melote dicebatur. Idem Cassianus *Ultimus est habitus eorum PELLIS CAPRINA, quæ* MELOTES *vel pera appellatur.* Vide de hoc habitu Monachorum Aegyptiorum Salmasium ad Tertull. de Pallio p. 89 sqq. Junge Isidorum L. XIX. Orig. c. 24. qui agens de *palliis virorum* MELOTES, inquit, *quæ etiam pera vocatur* (idem monuisse Cassianum vidimus) PELLIS *est* CAPRINA *à collo pendens præcincta usque ad lumbos. Fiebant autem prius ut quidam existimant de pelliculis melonum, unde & MELOTES vocatæ sunt.* Errorem Isidori quod *melota* non sit a *melo* sed a μῆλον *ovis* unde μηλωτὴ dicta, Martinius in lexico voce *Melota* aliique dudum notarunt. Nihil itaque vitii commisit vetus interpres dum vocem græcam suo seculo dudum latinam factam, retinendo, alia latina explicare noluit. Quid enim melota esset eo tempore norant omnes latinæ linguæ periti æque ac Græcæ.

§. 15. Ephes. II:15. τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας. Vulgatus ac Erasmus ἐν δόγμασι reddunt *in Decretis.* Id Bezæ iterum displicet ut *nimium obscure* dictum, cum addit, δόγματα *malui* ritus *quam* decreta *interpretari, ne quis existimet hic agi de doctrina ipsa.* Verum, quæso, annon *ritus* V. T. erant injuncti populo Israelis per *leges* a supremo numine latas, adeoque hi ritus erant δόγματα Dei, ejus *leges* &

& *decreta*. Neque enim pendebant ex arbitrio populi ritus illi, sed divina *lege*. Quid enim notius, quam hinc libros *rituum* Mosaicorum Judæis dici תורה *Thora* hoc est *legem*? Recte igitur *leges* illas seu δόγματα reddit *decreta* Vulgatus, cum *leges*, quas Græci JCti Græci vocant δόγματα Latini per *decretum* efferant. Vide quæ hac de re diximus in Class. I. Bibl. Theol. Fasc. III: sect. IV. §. 10. Apparet æque ex eadem causa & frustra esse quosdam qui hanc verbi δοκέω & δόγματος notionem inter Hebraismos referunt, cum eo sensu optimis scriptoribus usitata sint ut & Celeb. Hombergius ad Act. XV: 22. monuit. Ita in Hannonis peripli principio ἔδοξε Καρχηδονίοις Ανδωνα πλεῖν κ. τ. λ. *Decretum est a Carthaginensibus* &c. Sed ne & hic *Hebraismum* latere putes, quod libellus ille ex *Phœnicia* lingua in Græcam translatus sit, simulatque eum cum observationibus nostris in lucem proferre licebit, alia hac de re exempla forsitan proferemus, nisi, quod passim adeo obvia sint, ea præstabit habere neglectui.

§. 16. In enarratione sententiæ cujusque Apostolorum, quæ in Concilio Hierosolymitano proponebatur, hæc de Paulo leguntur Actor. XV: 38. Παῦλος δὲ ἠξίου τὸν ἀποστάντα ἀπ' αὐτῶν ἀπὸ Παμφυλίας καὶ μὴ συνελθόντα αὐτοῖς εἰς τὸ ἔργον, μὴ συμπαραλαβεῖν τοῦτον. Erasmus dum ea reddidit hunc in modum *Paulus vero NOLEBAT ut ei adjungeretur*, secutus est

est variantem Lectionem, quam passim codices habent pro ἠξίω legentes οὐκ ἐβούλετο quemadmodum & Beza in suo codice vetustissimo scriptum legi animadvertit. Sed ἠξίω esse genuinam lectionem, alterumque ejusdem ut difficilioris vocis Glossema, quod dein, ut sæpe fit, in quibusdam exemplaribus in textum intrusum, quivis facile perspiciet, quanquam ea interpretatio τῷ ἠξίω per οὐκ ἐβούλετο nulla ratione ei sit apposita. Rectius autem viri docti Erasmus, Beza, vulgatæ autor ἠξίω μὴ παραλαβεῖν in constructione jungunt: Sed non convenit de prioris vocis explicatione. Optime omnium mihi reddidisse videtur Vulgatæ autor antiquissimus *ROGABAT non debere recipi.* Proinde hanc versionem ab acerbiori doctissimi ceteroquin Bezæ censura, qui eam Barbaram & obscuram vocat, ultimo loco vindicabimus. Optima quippe ratione Paulus cum modeste sententiam dixisset, dicitur eam per modum interrogationis aut *petitionis* proposuisse, quo reliquis Apostolis eidem ut æquiori, adsentiri placeret, ne videatur videlicet illam invitis illis voluisse omnibus obtrudere. Neque hæc significatio verbi ἀξιόω à Græcæ linguæ usu aliena est, ubi notionem *petendi*, *postulandi*, *rogandi* sæpe sortitum est. Sic pari loco Judæi ad Paulum in disputatione quæ illi cum ipsis de Jesu Sospitatore aliisque capitibus fidei

interceſſit. Actor. XXVIII: 22. ΑΞΙΟΥΜΕΝ δὲ ἀκοῦσαι παρά σοι ἃ φρονεῖς. PETIMUS *vero quo abs te ſententiam doctrinæ tuæ percipiamus.* Apud Ariſtophanem in Pluto, cum Cario chorum ſenum, tardiſſimis paſſibus incedentium *adhortatus* fuiſſet, quo ſe moverent ocyus, reſpondet ipſi idem ſenum chorus vſ. 259.

Σὺ δὲ ΑΞΙΟΙΣ ἴσως με θεῖν.

hoc eſt, *Tu (Cario)* POSTULAS, (petis, rogas, requiris) *ut æqualibus tecum paſſibus curramus.* Illuſtrari hinc poteſt in Pandectis Juris Civilis celeberrima lex ἀξίωσις ut vocatur quæ *l. 9. ff. ad L. Rhod. de Jactu* occurrit, cujus hæc ſunt verba priora: ΑΞΙΩΣΙΣ εὐδαίμονος καὶ Νικομηδέως πρὸς Αντωνῖνον τὸν βασιλέα, κ. τ. λ quæ hunc in modum optime reddidit vetus interpres legum Græcarum in D. occurrentium, DEPRECATIO *Eudæmonis Nicomedienſis ad Antoninum Imperatorem.* Nam hæc eſt inſcriptio ſequentis legis, qua continetur hujus Eudæmonis *libellus ſupplex* pro reſtitutione bonorum ad Antoninum quod, cum navem fregiſſet una cum ſociis, à Publicanis Cycladas habitantibus direptus ſit, juncto huic Imperatoris reſcripto. Eſt itaque hoc loco Ἀξίωσις idem quod *libellus ſupplex*, qui ſenſus bene per *deprecationis* vocem exhibetur, quia latinis *deprecari* idem quod *precari* ſummum in modum

dum adeoque idem hæc verba volunt acſi dixiſſet, his contineri verbis *precationem* Eudæmonis ad Antoninum i. e. libellum ſupplicem. Hoc ſenſu voce *deprecari* paſſim uſus Cicero, ut Orat. pro Muræna. c. 1. in princ. *Quæcunque à Diis immortalibus deprecatus ſum eo die quo L. Murænam Conſulem deſignavi* & L. XII. ad Fam. Ep. 24. *DEPRECARI pacem* pro *petere* ab alio, quo, ceſſante bello, ei *pax* concedatur. Petronius Sat. c. 133, *poſitoque in limine genu ſic* DEPRECATUS *ſum numina verſu.* Cap. 30. *Diſpenſatoremque in precario aureos numerantem*, deprecati *ſumus*, *ut ſervo remitteret.*

Atque vero his terminis hujus exercitationis fines circumſcribimus.

VIII.

VIII.

# JOHANNIS D'OUTREIN,

## Spicilegium,

# De *Indutione* CHRISTI,

ad Loca

*Rom. XIII, 14. & Gal. III, 27.*

## SUMMARIUM.

Autores, qui hæc loca tractarunt. I. Subjectum Orationis est J. C. II. Actus est ipso *indui*, verborum ἐνδύειν, *induere*, etymologia. Usurpantur A. proprie, 1. de vestimentis, 2. De Armis B. improprie, a. de corpore humano, quo mens quasi *indnitur*. b. de Domo vel Tabernaculo, 2. Cor. V, 2. 4. 2. Pet. 1, 14. illustrata. c. de Regione, quam quis occupat Jer. 43, 12. d. de surculo, arbori inserto. e. de pariete vel abiete hedera vestito, de arboribus, de campis. Psal. 65, 14. f. de lapide vel ligno, ita fabrefacto ut alicujus similitudinem induat g. De Actoribus in theatris, h. induere judicem, est judicis partes agere. i. dicitur personam aliquam *induere*, qui iisdem moribus est imbutus. Quæ omnia ad *indutionem* Christi transferri possunt. Præcipua allusio est ad indutionem vestimenti. De primis vestimentis Adami & Hevæ. Loco 1. Cor. I, 30. nova lux adfertur. Christus Jesus *induitur* 1. ad *Justitiam*. Loca id probantia. Præsertim eo spectat locus Gal. III: 27. II. Ad *sanctificationem*

*nem*, quod præcipue intenditur Rom. XIII, 14. *Christum induite*. Christus Sanctificationis nostræ est causa 1. meritoria. 2. efficiens 3. influens. 4. impulsiva, 5. Exemplaris. Christus etiam induitur. a. ad spiritualem armaturam b. ut novus homo. c. Ut domicilium. Quid sit ipsum induere 1. Ut JESUM. 2. Ut CHRISTUM, 3. Ut DOMINUM Nostrum.

QUæ ad loca hæc, & quidem ad phrasin *indutionis Christi* copiose commentatus est Cl. *Gatakerus*, videri possunt in operibus ejus *adversf. Misc.* Lib. I. cap. IX. Quæque addiderunt, cum *Joh. Henr. Ursinus*, in *Analectis Sacris* Lib. I. cap. 19. 20. tum etiam *Stephanus Le Moyne* in *variis sacris tomo 2. pag.* 390. sqq. Quæ terso & perspicuo stylo in Belgicam linguam transfudit Vir Rev. *Jac. Niloë* in libro cui titulum dedit *Selecta Biblica*, pag. 657. adeo ut supervacaneum videri posset, quidquam iis (*a*) addere velle. Liceat tamen mihi spicilegium aliquod facere post eorum messem.

I. In

(*a*) Adjungi his possunt Sal. *Deylingius* Observ. S. L. III. c. 42. Le *Moine* ad Jer. XXIII: 6. c. 4. p. 217. sqq. *Suicerus* in Thes. Eccl. in voce ἐνδύομαι & ἱμάτιον. *Amelius* s. P. *Zornius* in elucid. loc difficil. N. T. T. I. p. 893-921. Exstant etiam Godofr. *V Vegneri* de *indumentis Baptizatorum* & J. G. *Dorschaei*. de J. C. *indutione in Baptismo*, Dissert. quarum haec in ejus Dissertt. collectione quartum locum occupat, illa autem Halae a. 1694. edita est. Quid Paulus in loco

ad

I. In utroque loco objectum orationis est *Jesus Christus*, qui in priore tantum describitur cognomine suo *Christus*; in posteriore vero *Jesus Christus Dominus*. Quæ circumscriptiones singulæ suam habent Emphasin.

II. Actus sive officium circa hanc personam, est *ipsum induere*, sive *ipso indui*. ἐνδύεσθαι sive ἐνδύειν utrumque enim dicitur, ἐνδύειν & ἐνδύεσθαι ἱμάτιον, *induere vestem* vel *indui veste*. Cui accedit, quod, in sensu spirituali, quod ad *indutionem Christi* homo partim se habeat *passive*, (quatenus Deus & Sp. Sanctus *ipsum* Christo *induunt*; uti etiam præcones Evangelii, ut Dei Ministri) partim *active*, quatenus *ipsemet* sese Christo *induit*. Vox autem ἐνδύω, Latine *induo*, *induo* vero ab *intus* deducitur quasi *intuo*, sicut *induſium* quasi *intuſium*. *Perotto* quidem in cornuc. p. 697. derivatur ab ἐντὸς, *intus*, verum melius meo quidem judicio ab ἐν & δύω q. d. (*b*) *ingredior*, *subeo*. Homo enim cum veste *induitur*, in illam quasi *ingreditur*. Hinc *induſium*, quod primo *induitur*, & ultimo *exuitur*.

Usur-

ad Gal. III: 27. respexerit, singulari diatribe quam sequenti, fasciculo, cum hic eam non capiat, sistemus, a nobis examinabitur. T. d. H.

(*b*) In Lexico Græcolatino Lugd. 1583. impresso ἐνδύω & ἐνδύομαι. *Ingredior*, *subeo*, τοῦτο vel ἐς τοῦτο vel τούτῳ. Sed ἐνδύεσθαί τινι quidem interpretantur *infundi* Xeen. Aristot. Plut. Aristoph.

Usurpatur autem τὸ ἐνδύσασθαι, *induere* & *indui* 1. propriissime de *vestimentis*. Quod probatione non indiget.

2. Sensu etiam minus proprio de *armatura* quavis, præsertim de *thorace*, quæ *induitur* & corpori applicatur 1. Sam. XVII, 5. 38. Jer. 46, 4. Hinc Eph. VI. INDUITE *universam armaturam Dei.*

3. Improprie usurpatur.

a. De (c) *corpore* humano quo anima, quasi veste, *induitur*, cùm corpori mens jungitur; Quod corpus exuitur, in morte.

b. De *domo* vel *tabernaculo*, in quo homo habitat, quo alluditur 2. Cor. V, 2. *Domicilio superindui* & v. 4. *non cupimus EXUI, sed SUPER INDUI* & 2. Pet. 1, 14. ἀπόθεσις σκηνώματός μου. Depositio (quæ ipsa phrasis cum *exutione* eadem est, & a *vestimento* desumta) *tabernaculi mei.* Item legitur apud Plutarchum Κλεαρχος ὁ ποντικὸς ἐνδυόμενος εἰς κιβωτὸν, ὡς ὄφις ἐκάθευδε, id est, *Clearchus Ponticus ingressus in cistam, ut anguis dormivit.*

c. Quin de integra *regione*, quam quis, ut Dominus & proprietarius, *ingreditur* atque *inhabitat*, dicitur *indui* ut vestimento. Jer. 43, 12. De Nebucadnezare. *Et INDUET terram Ægypti,*

(c) Aristot. de animal. c. 1. τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα, *fortuitam animam fortuito corpore indui.*

*Ægypti*, *quemadmodum paſtor* INDUIT *veſtimentum ſuum.*

d. *Surculus* quoque qui *trunco* arboris vel ramo *inſeritur*, dicitur trunco vel ramo iſto *indui.*

e. Paries aliquis vel Quercus aliave arbor quam tegit hedera, dicitur (*d*) *hedera iſta indui*, atque in genere quidquid *arcte* alicui rei *adhæret* & ſe extrinſecus in ea *conſpiciendum* præbet, illo res iſta dicitur *indui.* Sic flores *induuntur* coloribus, quaſi veſte, quæ ipſius Salomonis veſtimentorum gloriam ſuperat. Matth. VI. *Arbor* dicitur *indui* foliis, floribus vel fructibus; campi frumento, & paſcua *gregibus* ovium Pſal. 65.

f. Item *lignum* aliquod vel *lapis* aliave materia, ex qua vel in qua a ſtatuario *imago* alicujus cæditur vel pingitur, dicitur perſonam illam *induere*, cum jam lineamenta ipſam exacte repræſentare incipiunt vel forma & imago *imprimitur.* Sic Plato 2. de Rep. πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος. *Fingitur & induitur nota & Effigies i. e. imprimitur.*

g. In *Theatris* actores dicuntur *induere perſonam* ejus quem *repræſentant*; cujus veſtes aliaque inſignia geſtant, cujusque ſermones & actiones imitantur. Adeout auditor & ſpectator ſibi videatur audire & videre perſonam illam, quam referunt.

h. At-

(*d*) Theoph. III: 18. de Hedera: ὥσπερ ἐνδύεται τοῖς δένδροις καὶ τοῖς πιχίοις.

h. Atque illud quidem fit ſimulanter. Verum & *judicis* alîusve *perſonam induere* dicitur, qui vere judex eſt ipſe, judiciumque exercet, ſive ſcil. ipſius loco, ſive vice alterius.

i. Tandem dicitur is *induere aliquem*, in quo ſimiles affectus, virtutes ſive vitia ſeſe conſpicienda præbent, qualia fuerunt in alio aliquo, qui ut exemplar alterius conſiderari poteſt.

Quæ omnia ſi ad animum revocemus, abundantiſſimam nobis ſuppeditabunt materiam explicandi, quid phraſis noſtra velit. *Induere Chriſtum.*

Quæ metaphora præcipue deſumta eſt, a *veſtimento*, quo quis *indutus* eſt; & *indutum eſſe* opponitur *nuditati*. 2. Cor. V: 3. *ſi modo INDUTI, non NUDI reperiemur.*

Hic velim repeti, quæ olim ſcripſi in commentario ad parabolam filii prodigi, de *nuditate* primorum hominum, ante & poſt lapſum, quam, poſt admiſſum peccatum, fruſtra ficulneis tegere tentarunt foliis, ſed Deus ipſe tunicas pelliceas paravit, easque (*a*) Adamo & Evæ *induit*. Quæ pelles, ſi deſumtæ ſint ab animalibus in ſacrificium oblatis, elegantiſſimum exhibuerunt emblema, illud, quod pro *veſtimento* ſpirituali cedit hominibus, quo nuditas eorum ſpiritualis tegatur & quo ipſi ab injuriis iræ Dei & maledicti-



(*a*) Sic ἐνδύσας εἰς δέρμα *pelle includens* Dioſc. II. 60.

onis legis incolumes sistantur, quin & quod ipsos ornet, a Deo, & præsertim *a Christo* proficisci debere, immo vero, *ipsum Jesum Christum* ipsis cedere in *amictum* spiritualem, quo *induantur*.

Cujus rei illustrandæ gratia apprime facit locus ille præclarissimus 1. Cor. I: 30. *Ex ipso* sc. Deo patre, *estis IN Christo JEsu*, inter alias similitudines, ut IN *Vestimento*, quo *amicti & induti* estis; *qui a Deo nobis factus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* Verum nos duo tantum spectabimus; nempe, quod Christus JEsus, quo *induuntur* sive *induti sunt* fideles, ipsis fiat. I. *Justitia.* II. *Sanctificatio*, sub qua *sapientia & redemtio plenaria a reliquiis peccati*, facile comprehenduntur.

I. Christus *induitur* ad *justificationem*, non tantum *adduxit* justitiam; Dan. IX: 24. sed, *ipsemet* dicitur *esse* vel *fieri nostra* JUSTITIA Jer. 23: 6. 2. Cor. V: 21. Quæ *justitia vestimento* & pallio comparatur Jes. 61: 10. Psal. 132. 9. 16. Quæ *indutio justitiæ & sapientiæ & salutis*, opponitur *indutioni maledictionis* Psal. 109. 18. Etenim *Christus nos liberavit a maledictione legis, maledictio ipse factus pro nobis* Gal. III, 13. Per hanc *justitiam* Christi, sive Christum justitiam nostram, *nuditas* nostra naturalis & peccaminosa *obtegitur* Ps. 132: 1. Apoc. 3: 18. Per eam *immunes* nos præstat ab ira Dei, *a maledictione & accusationibus Satanæ.* &c. Rom I: 1. 33. Jes. 54: 17. Quin & justitia Christi,

vel

vel Christus ipse, imputatus nobis ad justitiam, fidelibus in *ornatum* cedit. Non enim de ipsorum *ornatu* spirituali tam magnifica prædicari possent in Psalmo XLV. & Cantico Canticorum, nisi oculum intendisset Sp. S. ad plenam perfectamque *obedientiam* Christi & *sanctitatem*, ipsis *imputatam*.

Si vero rogas, *Quis* ipsos *induat* Christo ad justitiam? Id partim facit Deus ipse T. O. M. Nam *Deus est qui justificat* Rom. VIII. Partim *Doctores* Evangelii, quatenus homines *adducunt* ad Christum, faciuntque ut *in ipsum* quasi *ingrediantur* ipsoque *induantur*. *Doctores enim multos justificant*. Dan. XII. Hi sunt servi patris cælestis, quibus mandat: *afferte huc stolam primariam ipsumque* INDUITE eam. Luc. XV: 22. Denique *ipse homo* peccator, jam resipiscens & credens in Christum *se se ipsum* ea *induit*, per fidem justitiam Christi apprehendens sibique applicans. Quod egregie & efficacissime exprimit apostolus Phil. III: 8. 9.

Atque hæc est *indutio Christi* ad *justitiam*, quæ præsertim, saltem priori loco, spectanda est, in loco Gal. III: 27. *Quotquot in Christum Baptizati estis*, (atque per immersionem aqua baptismali *circumvestiti* estis,) *Christum induistis* partim ad *justitiam*, & partim etiam ad *sanctificationem*.

Verum in loco Rom. XIII: 14. *Induite J. C. Dominum*, præsupponitur quidem *indutio Christi*

ad *justitiam* per *fidem*, sed proprie spectatur & commendatur ab Apostolo II. *Indutio Christi ad sanctificationem.* Quod recte observavit Vir Rev. *Van Peene* in locum hunc, & ex & cum ipso Rev. *D. Niloe.* partim, quia argumentum de *justificatione* jam absolverat Apostolus prioribus undecim Capitibus, & ab initio Capitis XII. transierat ad *sanctificationem*: partim, quia *fideles* Romani jam *justificati*, ERANT per *fidem.*

Verum propius nobis explicandum est, *quid* proprie *sit*, quod *Christus* fidelibus & electis *sit Sanctificatio*, quodque ipso ad sanctificationem *induuntur.* Quod revera nihil aliud significare potest, si recte putemus, quam JEsum Christum esse verissimam *causam* sanctificationis fidelium. Et quidem Causam 1. *meritoriam* 2. *operantem* seu *efficientem*, 3. *influentem*, 4. *impulsivam.* 5. *exemplarem.*

1. Primo, inquam, *causam meritoriam.* Qui passione atque obedientia usque ad mortem id effecit, ne satanas & peccatum semper in peccatorem electum dominaretur; Sed ut per Spiritum Dei suo tempore regeneraretur & imagini Dei rursum compos fieret atque adeo *sanctificaretur.* Vide loca Rom. VIII: 2. VI: 14. 1. Petr. 2: 24. Heb. IX.

2. Christus est sanctificationis *causa efficiens.* Quatenus vi meritorum suorum, reapse in electis hominibus, per Spiritum sanctum, quem effundit in corda eorum fidem & sanctificationem

onem operatur. Atque hic notandum eſt, phraſin in ſacris eſſe familiarem quod *indui Spiritu Dei* dicantur, in quibus ſpiritus ſanctus efficaciter operatur ſive heroicos motus aliquos, ſive illuminationem, ſive ſanctificationem. Huc faciunt Loca, Jud. VI: 34. *Tunc ſpiritus Dei induebat* ἐνέδυσε *Gideonem, & tuba canebat.* 1. Chron. XII: 18. *Spiritus* ἐνέδυσε, *induebat Amaſai.* 2. Chron. 24: 20. *Spiritus Dei* ἐνέδυσε *Zachariam, filium Jojadæ ſacerdotis.* Et in Novo etiam Teſtamento Luc. XXIV: 49. ubi diſcipulis ſuis in cœlum abiturus pollicebatur Dominus : *Ecce mitto promiſſionem Patris mei ſuper vos : Sed vos permanete in civitate Hieroſolyma, Donec* INDUIMINI, vel induti eritis, POTENTIA EX ALTO. Verum quidem in iſtis locis præcipue ad *extraordinarias* ſpiritus operationes quasdam reſpici : Sed quid vetat, eandem locutionem etiam applicari *ordinariis* ſpiritus ſancti operationibus illuminantibus, regenerantibus & ſanctificantibus, quem Deus copioſe in Eccleſiam ſuam *effudit* per *Chriſtum JEſum* Tit. III, 6. Jam vero, qui *Spiritu ſancto indutus* eſt, vel *ſpiritum* ſanctum *induit*, etiam *Chriſtum induiſſe* dici poteſt; quia *ſpiritus* & *filius Dei* unum ſunt, & ſpiritus ſanctus eſt *ſpiritus Chriſti*, quem *mittit* in corda fidelium, ut per ſpiritum *vivant* & per ſpiritum ambulent Gal. 5, 25.

3. Chriſtus JEſus eſt ſanctificationis noſtræ *cauſa influens & immanans*, ut ſic loquar. Et-

 enim,

enim, quia Christus *in* fidelibus *est*, & *ipsi* sunt *in illo*, ex ipsius plenitudine accipiunt Gratiam pro Gratia; uti membra *corporis* humani spiritus animales accipiunt ex capite *in quo* sunt & cui arctissime *unita* sunt; atque ut palmites ex vite. Joh. XV, 4. 5. *Manete IN me, & ego IN vobis. Quemadmodum palmes fructum nullum ferre potest ex se ipso, si non manet in vite: Ita nec vos nisi maneatis in me. Ego sum vitis, vos estis palmites. Qui IN ME manet & ego IN IPSO multum fert fructum, sine me enim nihil facere potestis.* Quo facit, quod antea monui, *surculum*, ramo insitum, *indutum* dici ramo vel trunco, cui insertus est, & ex quo succum haurit, quo crescit & folia flores ac fructus ferat.

4. Christus est *sanctificationis* nostræ *causa impulsiva*. Nulla enim *motiva* efficaciora sunt ad movendos animos nostros ut peccatis abstineamus & sanctificationi studeamus, quam quæ desumuntur a parte *Christi*: Ab ipsius *amore*, ab ipsius *passionibus*, a *beneficiis*, quæ per ipsum accipimus &c. 2. Cor. V, 14. 15. Tit. II, 11-14. 1. Pet. 2, 24.

6. Tandem, & quod præsertim heic usu venit, *J. C.* est *sanctificationis* nostræ *causa exemplaris*. Joh. XIII, 15. *Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis*: 1. Pet. 2, 21. Christus reliquit vobis exemplar *ut insequeremini vestigia ejus*.

Atque huc facit, quod supra diximus, quod *imago*

*imago* dicitur *induere similitudinem* ejus, cujus imago est. Quodque aliquis dicatur *personam alicujus induere* cui se conformem sistit. Adeoque Christus *induitur* a fidelibus, quando imaginem ipsius in se referunt, ipsi se conformes gerunt & ipsius vestigia premunt. Quo faciunt loca Rom. 8, 29. *Conformes fieri imagini filii Dei.* Quod revera est, *Christum induere* vel *Christo indui.* 2. Cor. III, 18. *Transformamur ad imaginem Gloriæ* DOMINI, *a Gloria ad Gloriam, tanquam a spiritu Domini.* Rom. VI. *unam plantam esse cum Christo in assimilatione mortis & resurrectionis ejus.* Conf. Phil. III, 10. Atque huc facit insignis ille locus Col. III, 12-15, Ubi postquam dixerat Apostolus: *Christus est omnia IN omnibus*, porro monet: INDUITE ergo, *tanquam electi Dei, sancti & dilecti, intimos affectus, misericordiæ, benevolentiæ, modestiæ, clementiæ, longanimitatis: tolerantes Vosmet invicem & condonantes si querimoniam habetis inter vos; quemadmodum Christus vobis condonavit, ita* & vos; Quod revera est *Christum induere.* & *supra hæc omnia*, INDUITE *charitatem, quæ est σύνδεσμος vinculum perfectionis*; allusione forsan ad *vestem exteriorem* quæ supra reliqua vestimenta *super-induitur*, vel ad *cingulum*, quo omnia vestimenta quasi *colliguntur* & *constringuntur*

Adeoque *Christum INDUIT*, qui, cum profitetur, se *esse* & *manere* IN *Christo*, *ita ambulat quemadmodum Christus ambulavit* 1. Joh. II: 6.

in quo *idem affectus est atque in Christo* Phil. 2, 5. adde loca 1. Pet. I, 15. 16. 1. Cor. XI, 1.

Verum diximus etiam, vocem ἐνδύειν, & ἐνδύσασθαι, non tantum usurpari de *indutione vestium*, verum etiam de *indutione* 1. *armorum*, 2. *Corporis humani*, respectu animæ, 3. *Domicilii* &c. Quæ metaphoræ etiam hic usu venire possunt. Etenim.

1. Christus induitur ut *armatura spiritualis*. Gen. XV: *Ego sum CLYPEUS tuus*; Psal. 3, 4. Psal. VII, 11. CLYPEUS *meus est apud Deum, qui rectos corde servat.* Psal. 84, 12. *Jehova sol & CLYPEUS.* Ps. LXXXIX, 19. Prov. 11, 7. Psal. 91, 4. VERITAS EJUS, adeoque ipse ille, qui Deus veritatis & veritas ipsa, *mihi est Clypeus & parma* adeoque *Christum induere* est *induere universam armaturam Dei* Eph. VI, 11-17. Et quod *huc* quoque alluisse possit Apostolus, ex Rom. 13. vs. 12. videtur colligi, ubi *de indutione armorum lucis* dixerat Apostolus, quod idem est cum eo quod vs. 14. monet, *induite Christum Jesum.*

2, *Christus induitur* a fidelibus ut *novus homo*, ut spirituale *corpus*, quo mens quasi *vestitur*, & quod *præ se fert.* &c. Quod probari & illustrari potest ex locis illis præclaris Eph. IV, 20-32. & Col. 3, 5-10.

3. Christus *induitur* a fidelibus ut *domicilium*, in quo *versantur* & in quo *habitant.* Etenim reciprocum illud est, quod *Christus habitet IN cordibus ipsorum*, Eph. III. Et ipsi vicissim *habitant*

*tant IN Christo*; atque *in ipso* versantur & ambulant Col. 2. Huc faciunt loca Deut. 33, 27. *Deus æternus sit tibi habitaculum.* Nec non Psal. LXXI, 3. *Esto mihi in rupem commorationis, ad accedendum & ingrediendum semper. Quia petra & arx mea tu es.* Psal. XVIII, 3. Prov. XVIII, 10.

Non desunt etiam interpretes, qui putant, Apostolum per ἀντίθεσιν alludere ad Gentilium mores, inter quos, qui Divinitatem stulte affectabant, vel qui Diis vel Deabus quibusdam devoti erant, vel conformitatem quandam præ se ferebant, *Deorum* vel Dearum illarum *vestes induebant*; quod dicebatur *Deos* illos *induere.* De quibus prolixe satis *I. H. Ursinus*, *Le Moyne* & *Niloe*, in locis supra allegatis.

Atque ita quidem in genere nobis explicuisse videmur phrasin *indutionis Christi.* Verum nondum satisfecerimus emphasi dictionis Paulinæ, nisi etiam pressius consideremus, quid sit *ipsum induere ut CHRISTUM* Gal. III, 27. & ut *JEsum Christum Dominum.* Rom. XIII, 14. Quod in genere notat arctam habere communionem cum ipso ut JESU, ut CHRISTO ut DOMINO, ita ut *ipse IN nobis* sit nosque *IN ipso* simus, atque ut arctam illam communionem non tantum interne & vere participes simus, verum etiam externe eam profiteamur & in omni conversatione nostra ostendamus.

In specie I. *Ipsum induere ut JESUM*, non tan-

tantum denotat, ipsum fide apprehendere ut verum & unicum *Servatorem*, Verum etiam factis commonstrare nos per ipsum liberatos esse, non tantum a *reatu* & *pœna*, Verum etiam a *macula* & *servitutæ* peccati ; & ita nos gerere, ut omnibus liqueat, nos ab ipso *liberatos* esse, *ut Deo serviamus ἀφόβως*, in *sanctitate & justitia coram eo*, *per omnes dies vitæ nostræ*. Luc. I: 74. 75.

2. *JEsum induere ut CHRISTUM* non tantum notat ipsum credere, agnoscere & profiteri *Christum* promissum Messiam : verum etiam ipso per fidem *uti* ut *propheta*, ad sapientiam, ut *sacerdote* ad *justitiam* & *Rege* ad *obedientiam* LegisRegiæ, id est ad *sanctificationem*. Præsertim vero *Christum induere* est *Christianum* esse. Nam phrases istæ *in Christo esse* & *Christianum esse*, sæpissime inter se commutantur, uti 2. Cor. XII, 3. *Cognovi hominem IN CHRISTO* id est *hominem Christianum*. Gal. I, 22. *Ecclesiæ in Judæa*, *quæ in Christo sunt* i. e. Ecclesiæ *Christianæ* in Judæa. Adeoque *Christum induere* omnia ista includit quæ de emphasi nominis *CHRISTIANI* diximus in sciographia nostra Theologica præsertim vere *esse*, & in omni conversatione *ostendere* nos esse *unctos* ab ipso per spiritum sanctum ; & quidem ad spirituales *prophetas*, *sacerdotes* & *reges*.

Verbo, ostendere nos esse *homines in Christo* qui factis Christum ipsum exprimamus, adeo

adeo ut, quicunque converſationem noſtram inſpicit, *Chriſtum agnoſcat IN nobis & nos IN Chriſto.*

3. Adeoque ipſum INDUERE ut DOMINUM NOSTRUM, eſt Dominium ipſius ſuper nos agnoſcere & profiteri, inſignia ipſius vel notas ſervitii ferre in frontibus ac manibus noſtris. &c.

Ex quibus omnibus facile patet *indutionem illam Chriſti* idem eſſe cum *indutione armorum lucis* vel ſaltem eam *includere.* vſ. 12. Nec non cum *honeſta ambulatione tanquam in die.* vſ. 13. & e diametro opponi *operibus tenebrarum* vſ. 12. & *ambulationi in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & laſciviis, in contentionibus & invidia* &c. vſ. 13. & *curationi corporis ad concupiſcentias.* vſ. 14.

IX.

IX.

# CAROLINA
## ECLOGA. (a)

### *Corydon, Melibœus, Thyrsis, Menalcas, Ægon.*

*CORYDON.*

THYRSIS adest, Melibœe; venit quoque ab Urbe Menalcas.

*MELIBOEUS.*

Ambo hilares, Corydon: age, nuntia læta reportant.

Nam fausti nuper CAROLINA Augusta Calendis An-

(a) Ut misceatur magis magisque utile dulci, quo omne ferri punctum ille judicabat, & taedium, quod magis ac par erat, ex sanctiorum ac severiorum lucubrationum lectione forte subrepit, diminuatur, ac evanescat, constitutum mihi est, ex intervallo carmen aliquod, meditatum, neque invitis Gratiis Musisque pactum, rariusque obvium oculis tuis exhibere. Quod si autem nostrorum in arte poetica conaminum tentamentum aliquod interdum insertum videbis, cave eredas, me credere, id teretes delicatasque tuas aures mulsurum. *Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna digna, sed argutos inter strepere anser olores.* Ostendere solum animus est haec studia, quorum à puero mirifico quodam amore captus fui, etiam nunc a me diligi. Fortassis etiam, quando tersos aliorum exasci-

Annua more ſuo Natalia feſta peregit.

*CORYDON.*

Quæ nova jam rerum facies ! cur tempora Lauro
Cinxiſtis, viridemque manu geſtatis Olivam?
Unde hæc Librorum vocis aurata Supellex ?

*MELIBOEUS.*

Quidquid id eſt, magnorum agnoſco munera Divûm :
Cinguntur Lauro Heroes, pariterque Poetæ.
Pacis Oliva decus: capitique hoc nobile Porrum
Quod geritis, CAMBROS decet, æternúmque decebit.
DAVIDI eſt Porrum Divo ſacra Teſſera noſtro ;
DAPHNIS & hoc geſtat. Sed quid Paſtoribus, ô tu
Docta Minerva, Libros, operoſa volumina mittis ? Ar-

exaſciatosque verſus cum meis minus conditis, contuleris, illis ex horum comparatione gratiae aliquid ac venuſtatis accedet. Quam heic vides eclogam, ſuperiori anno edita eſt Londini in diem natalem ſereniſſimae Principis Walliae, WILLIELMINAE CAROLINAE, qui incidit in Calendas Martias, quae Davidi Cambrorum, a quibus illa titulum ſuum mutuatur, Patrono ſacrae ſunt. Occaſio illius haec fuit. Illuſtris quidam Maecenas, qui tamen non alio innoteſcere nomine voluit, quam *Philomuſi*, lautum aliquod praemium conſtituerat ei, qui omnium ſuariſſimo carmine *pacem*, GEORGIO *M. imperante*, *Britannis & Europae reſtitutam* eſſet celebraturus. Ceſſit illud ex ſuffragio illorũ, quibus de pretio verſuum judicandi facultas data erat, Viro aliis ſcriptis editis clariſſimo Johanni GAGNIER, A. M. hujus, quod haud leges invitus poematis Auctori literatiſſimo. T. d. H.

Arcanum eſt animis nuſquam penetrabile no-
ſtris.
Dicite Paſtores; neque adhuc venit Heſperus,
& jam
Nunc Zephyri adſpirant, & mitior aura Favonî.
Ergo onus in molli hoc deponite ceſpite ve-
ſtrum, (noſtros!
Mira quidem ante oculos, ea ſunt ſpectacula
*THYRSIS.*
Mira, fatebor enim, magis at mirabere, poſt-
quam (factum
Dixero quid Dona hæc, quid ſacra Volumina
Significent. Ergo audite hæc, animiſque favete.
*MENALCAS.*
Incipe, Thyrſi, ſequar; nam tu pars magna
Triumphi;
Meque ſinas tecum partiri Heliconis honores
Alternos: neque enim ob vilem certavimus
hircum. (gnæ.
Nos majora manent CAROLINÆ pignora ma-
*THYRSIS.*
Huc, Galatea, veni, tuque, ô formoſa Lycori;
Flava Thoe, ſubfuſca Ephye, pharetrata Ligea;
Voſque, omnes teneræ, ſylveſtria Numina,
Nymphæ,
Huc properate leves: vos imis Naiades undis
Glaucum efferte caput: vos omnibus excita
pagis
Ruſtica plebs agri, pueri, innuptæque puellæ:
Et vos, ô Socii, tuque ipſe bipennifer Algon,
Cum Lycida frondator Ilax, terrorque luporum
Al-

Alphesibœe, veni, & Damon, & dives Iola,
Et Coryla puer, atque ingens cum falce Palæmon:
Auribus arrectis omnes consistite circum.
Fas mihi visa loqui, Musis & Apolline digna
Nuntia perferimus, magno quoque DAPHNIDI digna.
Splendida jam sese bijugis Aurora serenis
Extulerat, puroque oriens surgebat Olympo
Lucifer, & summos spargebat lumine montes.
Corripio de stramineo mea membra cubili:
Egressusque casâ me matutinus agebam,
Quà cœlo attollit celsas Londonia turres.
Tityrus interea mihi fidus ovilia pastor
Servat, & eductas per gramina læta capellas
Aut agit ad fontem, aut potat fluvialibus undis.
Longè arcet Maurita lupos, terretque Lyciscа
Latratu; dum grata Urbi fero munera mulctræ,
Et farra, & siccas ardenti sidere ficus,
Pomaque præteritæ servata à frigore brumæ.
Perq; viam tenui meditatus arundine musam,
DAVIDI laudes satago, tibi carmina, DAPHNI,
DAPHNIDAque in Sylvis revocabilis adsonat Echo:
Et valles reboant alterno DAPHNIDA cantu.
Jamque propinquabam portis. Simul occupat aures
Undique lætitiæ fremitus; simul undique plausus.
Quum subitò explosa horrendum Tormenta fragorem

E Turri ingeminant, Thameſinaq; littora longè
Exultant ſonitu. Credas à ſedibus imis
Fundamenta Urbis ſtrepitu convulſa moveri.
Clamore effuſi magno per compita cives
Diſcurrunt. Mediâ è turbâ ſeſe obvius offert
Ægon Cambrorum decus: & tu deinde Menalca.
Ille prior verbis ſic nos compellat amicis:
Salvete, o ſocii, fauſto veniſtis in Urbem
Omine, dum CAROLINÆ agitant Natalia feſta.
Hinc ſubiti plauſus, hinc publica gaudia Vulgi.
Sed quid vos tenet attonitos ignobile Vulgus?
Quin agite, & viles humeris deponite merces.
Plectra, tubas, calamos, citharas aptate ſonantes.
Vobis feſta dies agitur, CAROLINA vocat vos
In partem Pompæ; deerunt nec præmia laudi,
Paſtores, mecum ad Jameſina Palatia greſſum
Ferte citi, atque ipſi propius ſuccedite Pompæ.
Arreptâque manu trepidum me, teque, Menalca,
Per fora, perq; vias, perque intervalla locorum
Cæca trahens, nos tandem ad limina regia ſiſtit.

*MENALCAS.*

Illic ante fores ingens patet Amphitheatrum,
Alcimedontis opus, mira quod ſtruxerat arte,
Quale tibi oſtentare nefas Sheldonia moles.
In medio aſſurgit Solium ſublime ſub auras
Ornatu comptum vario, ſtellisque coruſcum.
Deſuper & lato ſe margine Conopeum
Expandit gemmis auroque inſigne, & utrinque
Cortinas habili revocabat fibula nodo.

Plu-

Plurimus hinc illinc ramus felicis Olivæ,
Pacis in augurium Solio capita alta recurvat;
Totaque barbaricis instrata tapetibus ima
Floribus innumeris distinguitur Area latè.
Continuò admissi per curva Sedilia cives
Circuitu vasto irrumpunt, atq; Atria complent.
Scandunt plurima pars fastigia summa domorum,
Templorumque apices celsos, & turribus altis
Consistunt avidi venientem cernere Pompam.

*THYRSIS.*

Hæc dum miramur taciti, & spectamus hiantes
Magnificos arcus, operosaque pegmata Molis
Suspicimus; procul ex adversa parte Theatri
En subitò ingenti panduntur murmure valvæ;
Atque intus longè regalia tecta patescunt.
Hîc primùm video magnâ procedere pompâ
Angligenas Proceres: it Patrum sanctior ordo:
It Matronarum longè pulcherrima turba
Nobilium. Has inter, Charitum stipante coronâ,
Ipsa triumphali CAROLINA invecta Curuli,
Lauro cincta comas, graditur Phœbeïa dextrâ
Sceptra manu gestans, ramum pacalis Olivæ;
Non vultu Divæ absimilis, cervicibus altis
Et formâ & virtute extans Heroïdas omnes.
Quantus honos! Quali se Majestate ferebat!
Illam adventantem fausto clamore salutant;
Unam omnes avidi longè admirantur, & unam

Certatim adſpiciunt, tierumq; iterumq; tuendo
Vix credunt oculis; tanta eſt reverentia vultûs!
Tantus in ore decor! Solium conſcendit eburnum,
Mille vibrans radios, & amicæ fulgura lucis.

*MENALCAS.*

Haud procul àSolio dextrâ lævâq; ſedebant,
Proh! quanti Heroes! Solii tutela decusque,
GEORGIUS hinc (tibi DAPHNIS) & illinc GEORGIUS alter,
Et Pater, & Conjux, nuper duo fulmina belli,
At nunc, ô CAROLINA, tuæ jam Pacis amantes.
Ille prior, poſitis, Sceptro, Diademate, & armis,
Palladiâ ipſe ſedet frontem redimitus Olivâ,
Pacificæ haud vanus Pompæ ſpectator habendus;
Non rigido Bellonæ incedit in ære, neq; Illum
Haſtati circumſiſtunt, non horrida Caſtra:
Non litui reſonant, non claſſica Martis, at Illi
Fortior eſt magna inſpirans comes unica Virtus;
Et ſatis ipſe ſua ſe Majeſtate tuetur. (bri,
Alteris eſt, quo nos gaudemus Principe Cam-
AUGUSTUS Princeps Auguſto nomine dictus.
Vidimus hunc clavo affixum, puppique ſedentem, (reviſit,
Dum Pater Hannoveram, & Germanica regna
Explorare auras omnes, atque arte magiſtrâ
ALBIONIS placidam librare per æquora Navem.

Ante

Ante pedes, CAROLINA, tuos tua ſplendida Proles,
Per Solii diffuſa gradus, tres ordine Natæ,
Quæ Charites referunt numero & candore Sorores, (tant.
Te Matrem agnoſcunt riſu, & blando ore ſalu-
Tuque, Juventutis Princeps, Spes altera regni,
FRIDERICE, ô Britonum jamdudum debite Terris: (eſſes,
O utinam huic Pompæ coràm ſpectandus ad-
Tu Matri vultu ſimilis, formâque Sorores
Egregiâ exæquans; & Avi, Patrisque futurus
Æmulus, haud impar quondam Virtutibus Heros!

*THYRSIS.*

Conſedere omnes, intentique ore ſilebant.
Maxima tum Princeps ſolio ſic infit ab alto.
Angligenæ Proceres, vos nobilis ordo Quiritũ;
Inclyta plebs Britonum; Fergi, Arthurique nepotes:
Vos Sacra DAVIDI celebrantes annua CAMBRI.
(Felici Augurio ME namque in luminis auras
Gratulor ipſa mihi tam fauſto Sidere natam)
Ore favete omnes; dum PAX viget, & bona Pallas
Ægide depoſitâ, poſt aſpera bella Gigantum,
Ceeropiam victrix dilectaque regna reviſit,
Quamq; ipſa invenit Pacata reſumpſit Olivam;
Ingenuæ redeant, Me Principe, Palladis Artes;
Divinæ priſcos Suadæ inſtauremus honores;

Debita sint Phœbo, Musis sua Præmia per Me.
Stat Patris exemplo Phœbo, Musisque favere.
Est mihi consilium, Festo hoc redeunte quotannis
Æmula propositis, pulchræ pro laudis amore,
Pignoribus, doctorũ accendere corda virorum.
Non sunt hæc ludis temeranda Theatra profanis.
Sacri Oratores, quibus est facundia linguæ,
Romano Eloquio dignis depromite verbis,
Hymnum, quem CHRISTO nascenti in luminis auras
Cœtus Angelici cecinere DEO modulantes;
GLORIA IN EXCELSIS. (pleni
Tum deinde, ô Vates, manifesto Numine
Istud, ET IN TERRIS PAX, vos describite versu
Ausonio. Neque tu, ô vernacula Lingua, per Orbem
ANGLICA tam celebris, meritâ privabere laude;
Teq; Dei ERGA HOMINES BONA concelebranda VOLUNTAS. (dem
Quis vestrûm numero ex omni præludere tan-
Incipiat? Laudis quem moverit æmula virtus,
Haud illum officio pigeat certasse priorem.
Præmia quisque feret, Me Judice, digna laboris;
Fulgebit partâ donatus quisque Coronâ.

*MENALCAS.*

Vix ea dicta dedit Princeps; fremere omnia plausu,
Et strepitu ingenti circùm tabulata resultant.

Jam-

Jamque Oratores, quibus est data copia fandi,
Ordine quisque suo, Latio sermone tonabant,
Inque Dei Laudes magni pleno ore feruntur.
Succedunt docti numeroso examine Vates;
(Antea nam latè volitans jam Fama per Urbes
Sparserat Ausonias celebranda Encænia Paci
Auspiciis, Carolina, tuis:) videasque canoras
Hos inflare tubas, illos resonantia plectra,
Et cytharas pulsare, alios concentibus aures
Mulcere; ac toto spirantes pectore Phœbum,
Carmine divino super æthera tollere Pacem.
Scilicet accensi studiis æqualibus omnes
Certant supremos ambire Heliconis honores.

*THYRSIS.*

O tunc qualis eram! Qualem tunc pectore (sensi
Carminis ardorem! ô si possem fundere Versus
Afflatos meliore Deo. Vis enthea mentem
Intus agit. Demens! animo qui talia versans,
Frustra speravi tantos æquare Marones!
Quum subitò nutu Carolina silentia jussit,
Sceptrum oleæ quatiens, & baccas lene so-
nantes. (est:
Cambriadasque vocans roseo sic ore loquuta
Vos quoque, Pastores, quibus alto ex æthe-
re lapsi
Aligerûm cecinere chori bona nuntia Pacis:
Jam vobis calamos tenues inflare licebit.

*MENALCAS.*

Adsumus ergò alacres, retinet mora nulla (vocatos,

At prior ante alios conferta per agmina vulgi
Ægon perrumpit, mediâque exultat arenâ,
Pastorum Princeps, qui quanquam à DAPHNIDE nuper
Fulgeat ille novis Titulis & Honoribus auctus,
Pastoris tamen os habitumque referre volebat.
Quantus amor Patriæ! De collo fistula pendet,
Olli nuda tegit crudus vestigia pero;
Et capiti impositus Cambrorum more galerus
Floribus ornatus variis, Porroque virenti:
Velabat latos humeros, villosaque membra,
Cambra lacerna rigens setoso è vellere capræ.
Pastorale Pedum quâ dexteritate gerebat!
Tum sic affatus CAROLINAM hæc incipit Ægon:

ÆGON.

Accipe quæ tibi Ceretico de monte Camœnæ
Dona ferunt, Oleæ sacram de fronde coronam,
Et cytharam, & Cambro missos ab Apolline versus,
Æternùm quos ediscant, repetantque nepotes.
Accipe quæ calathis nostræ munuscula Nymphæ
Cambriades mittunt sinceri in pignus amoris,
Luteolum calthæ florem, casiamque recentem,
Liliaque, & violas, & purpureos hyacinthos.
Hæc tua sunt, ad Te redeunt hæc, maxima Princeps. (bros,
Si primâ dicam repetens ab origine Cam-
Nos Japhetiade à magno gens orta Gomero;

Nos

Nos ſumus antiquo Curetum ſanguine creti,
Et Vatum Cybeles, Salios dixere Latini;
Nos Druidum genus, Heroum qui grandia facta, &
Geſta Ducum canimus, Belli Pacisque labores.
Ceretici colles priſcum teſtantur honorem,
Et Druidum ſaltus, Silluriaque arva tot annos
Servata, & ſævis bellorum infracta procellis.
Carmine fatidico decantet Cambria PACEM,
Quæ ſemper ſecura ſui, quæcunque paravit
Vel Saxo, vel Danus atrox, Gallusve ſuperbus,
Ipſa tot intactam fovit per ſæcula PACEM.
Illic non litui, non Martis claſſica poſſunt
Æternam placidæ gentis turbare quietem.
Et metus omnis abeſt, ſed adeſt ſincera voluptas;
Morum priſca fides, & fraudis neſcia virtus.
Vivite felices, mea gaudia, vivite Cambri.
Promite, Paſtores divinæ Encomia Pacis,
Quæ non excedant bis centum Carmina; plura
Nec poſcit Princeps, & amant compendia Muſæ.

*THYRSIS.*

Tu nimis, ô Ægon, das arcto limite nobis
Intra bis centum concludere carmina PACEM,
Quam non tota ſimul bis mille Poemata condant.

*MENALCAS.*

Atqui nos etiam hoc penſo CAROLINA levavit,

Ipſa repræſentans decora omnia Pacis, in unum
Conglomerata locum. Dubitas? Quin tu aſpice, Thyrſi,
Ecquid opus verbis? loquitur res ipſa; ſtupenda
Mirare hæc tot magnarum compendia rerum.
Ecce tibi ante oculos, quâ toto pulchrior Orbe
Nulla fuit, Divæ Pacis verſatur Imago.
Dum Solio hoc mediam ſeſe Carolina locavit,
Ipſa mihi viſa eſt labi Pax aurea cœlo.
Aſpice Palladiâ quos geſtat ab arbore ramos,
Quasque virens jucundo incurvat pondere bacca;
Atque has florentes, cerealia munera, ariſtas.
Cernis ut elatæ fulgur venerabile frontis
Emicat, & radios partes diffundit in omnes?
Quotque modis miti Clementia ludit in ore,
Divinumque afflat pulchræ virtutis amorem?
Ut Tyriâ fulget chlamyde, auroque intertexta;
Eöisque nitens ſcintillat purpura gemmis?
Talem fingebat Pacem Romana vetuſtas;
Pinxiſſe haud aliam formâ voluiſſet Apelles.
En Solio ſublimis, & alta in luce coruſcans,
Jam ſedet Auſonii Præſes veneranda Senatûs;
Et gaudet doctis edicere jura Camœnis.
Ecquis erit poſt hac Pindi qui ſpernat honores?
Non hïc fixa vides ſacris in poſtibus arma
Perfida, nec debellatorum ſigna Gigantum.
Civiles exoſa fugit Pax alma Triumphos:

Quæ.

Quæque furor tulerat, Clementia ſupprimit arma.
Quin etiam Proceres vel juſti Spicula Martis
Sponte manu abjiciunt, viridemque inſignis Olivæ
Accipiunt ramum, pulchræ jam PACIS amantes.
Pro galeâ immiti caput ornat fectile Porrum.
Et pro loricâ præcingunt pectora Zonæ.
Otia PACIS amat bellum MARS ipſe peroſus.
Hæc facies, hæc eſt formoſæ PACIS Imago.

*ÆGON.*

Pergite Cambriades, jam blandæ commoda PACIS
Pandite, dum ridet facies pulcherrima Cœli;
Dum jam vere novo læti per gramina flores
Luxuriantur agris, dumque omnis germinat arbos;
Dum fugit in rivos placido levis unda ſuſurro;
Dum circùm modulantur aves, & garrula ſuaves
Exercent per colla modos, cantuque laceſſunt.

*MENALCAS.*

Ergò age, ſi quid habes, Ægonis juſſa capeſſe.
Ocyùs alternis iterùm volo cernere tecum
Verſibus, in nullo inferior tibi, Thyrſi, futurus.

*THYRSIS.*

Jungite jam tauros pueri, atque incumbite aratris:
Turgida mollitæ jam credite Semina glebæ,

Agricolæ, Cereris quibus est data cura colendæ,
Dat Mars, dat Bellona locum, positoq; flagello,
Hinc procul, hinc fugit scissâ Discordia pallâ.
Jam PAX alma colit terras. Te ergò auspice,
DAPHNI,
Nunc reparare licet sævi dispendia belli.

*MENALCAS.*

Falleris, ô Thyrsi; En fatis melioribus uti
DAPHNIS adhuc dederit, referens Saturnia regna,
Aureaque antiquæ renovabit sæcula vitæ.
Terra feret fruges duri sine vomeris usu
Sponte suâ, nulloq; hominum cogente labore.
Omnis perpetuâ latè floreſcet aristâ
Campus, & Hybleo sudabunt melle genistæ;
Nectareque, & niveo spumabunt flumina lacte.

*THYRSIS.*

Ludite oves teneræ, per pascua currite tauri
Gramineum ad fontem, mollique in cespite pronæ
Nunc hyemem ridete, lupos ridete capellæ.
Hic nobis dulces Saltus, hic pascua nota
Restituit bonus; O, inquit, modò pascite tauros;
Jam tuti tacitas collo suspendite avenas,
Et desueta diu responsent carmina colles.
Ergò omnes veluti Phœbo, Panique quotannis,
Octovices festis statuent tibi Sacra diebus.
Cereticisque diu DAPHNI ô cantabere sylvis.

*ME-*

*MENALCAS.*

Ecce meæ prato capræ funduntur aperto,
Per campos ubi adhuc triplici circumdata fossâ
Rhesi castra Ducis videas,& montibus arces
Merviniæ impositas, subjectaque rura Silurum,
Et liquidos fontes, sylvas & pascua, & amnes.
Hæc saltu petit abrupti cava scrupea saxi,
Nititur hæc morsu teretes avellere juncos,
Aut salices, humilisve rapit virgulta salicti;
Illa jugi residens clivoso in tramite pendet;
Lascivique agni, & molles simul artubus hædi
Cornigeras matres per florida prata sequuntur.
Hanc PACEM ruri, hæc fecit bonus otia DAPHNIS.
Huic quoque Pastores nostri Solemnia solvant,
Et Fauni, & Nymphæ ludant, agitentque Choreas; (tyrisci.
Panque, & Hamadryades, & capripedes Sa-

*THYRSIS.*

Sed majora mihi,mecumq; fatere, Menalca,
Versibus evolvenda manent bona munera PACIS.

*MENALCAS.*

Magna quidem,fateor; sed grandi hæc digna cothurno,
Thyrsi,cave,agresti nimiùm ne fide Camœnæ.
Ante tamen DAPHNIS, quem rustica Musa vocabat,

No-

Nomine ſit proprio dictus tibi GEORGIUS in-
gens. (gaudet,
Cum Duce Cappadocum invicto, quo Præſide
Et Tutelarem ſibi vindicat Anglia Divum,
GEORGIUS Angligenûm nunc Rex, & gloria
gentis, (ros.
Cappadoce, & famâ, & virtutibus altior He-
Is ſublimis equo, ſi vera eſt fama, Draconem,
Monſtrum horrendum ingens haſtâ confodit:
at Ille (ulla
Longe aliud Monſtrum, quo non truculentior
Peſtis & Ira Deûm Scoticis ſeſe extulit oris;
Pernicies Paeis, (cui dira REBELLIO nomen,)
Conterit: & poſtquam victis PIUS ipſe pepercit,
Illum jam ſuperis æquat Clementia Divis.

*THYRSIS.*

Vix bona PAX Anglis malè tuta oſtenderat
ora, (multus,
Nec dum compoſiti belli, armorumque tu-
Ære cavo increpitans Diſcordia fœderis expers
Spargebat cauſas odiorum, iraſque movebat.
Sæpe renarrabat, veterum memor illa malo-
rum, (Jura, &
Neſcio quem Hæredem ſpretum, violataque
Quæ memorare nefas, Muſis indigna relatu.
Hinc odia, hinc inimicitiæ, inſanique furores
Confuſæ plebis, cæcique licentia ferri.
Talis erat Patriæ nimis infelicis Imago.
GEORGIUS accelerans uno ictu demetit Hydram
Seditionis opus. Nec poſthac amplius auſa
Ferre

Ferre diem lymphata cohors, gelidaque sub Arcto
Se tegit, è Scoticis nusquam emersura cavernis.

*MENALCAS.*

Ac velut infestum per jugera læta colonus,
Quum sequitur flammis audax ultricibus anguem.
Hic si fortè fugâ malè prudens intrat acutas
Spinarum latebras, aut septa impervia ruris;
AGRICOLA accelerat, supponit sentibus ignem.
Continuò spinis crepitantibus ater ad auras
Erigitur fumus: jam horrendum sibilat anguis,
Atque intus gyros sese contorquet in omnes:
Ac tandem exiliens dirum vomit ore venenum, (dis.
Indignansque petit loca fœta palustribus un-
GEORGIUS haud aliter premit implacabile Monstrum;
Conjurata odia, & sævas compescuit iras.
Tum demùm miseris vacuatas civibus urbes
Accipiens, viduosque suis cultoribus agros,
Repplevit numerum exæquans, augensque priorem,
Oppidaque ingenti multùm quassata ruinâ
Prostratisque solo latè mœrentia Templis,
Restituit, primoque dedit splendescere cultu.

*THYRSIS.*

O quam Te memorem, GEORGI! quàm fortibus ausis,

Ro-

Robore ceu firmo ventorum flamina Quercus;
Aut Rupes fluctus Scopulo excurrente marinos;
Sic undas rerum excipiens, & plena periclis
Multa, diu casus Victor superaveris omnes;
Et profugam tandem revocaris ad otia PACEM.
Ipsi etiam immeriti PACEM sensere benignam,
Quos amens furor, & scelerum vesana cupido
Egit præcipites Patriam subvertere ferro.
Omnibus indulges veniam, & dum parcere gaudes,
Parcendo mutas animos, flectisque rebelles.
Et quos longa dies tenuit caligine mersos
Mittis carceribus: quos denique conscius error,
Et legum timor extremas exegit in oras,
Et patriam fugiendo, alio sub Sole coegit
Vitam infelicem multos agitare per annos,
Edictis blandè revocas. Illi agmine longo
Diversi veniunt de partibus Orbis, & ultrò
Promissam pro Jure tuo das, Optime, PACEM.
Quin tua Prædones Pelagi Clementia vicit.
Undique se portus, sese maria omnia pandunt,
Barbaricisque onerata opibus tutò Anglica classis,
Post tot vota redux, nostris allabitur oris.
Dum fœcunda CERES complet de divite fundo
Horrea, & immensas concedit prodiga messes;
Effunditque omnes de cornu copia Gazas.
O Fortunati tanto sub Rege Britanni!

ME-

*MENALCAS.*

Sed quæ compositis accessit gloria rebus!
Solis ab occasu si spectas, Solis ad ortum,
Sub pedibus jam cuncta vides vertique regiq;
Arbitrio. Nec tantũ tu jure vocabere, GEORGI.
DEFENSOR FIDEI, PATRIÆ PATER, optime Regum.
Quin etiam OCEANI DOMINATOR, & ARBITER ORBIS,
FUNDATOR PACIS, Romani Cæsaris instar.
Nam nostris postquam votis respondit Olympus;
Per te jam sperant PACEM Borealia Regna.
Tot quoque fessa malis tendit Germania dextram.
Ipse tuo Arbitrio Cæsar sua jura remittit.
Nec Mediatorem PACIS detrectet Iberus,
Quadruplici tandem Sociorum Fœdere victus.
Quin te TURCA ferox Christi infensissimus hostis;
Quique tuam olim virtutem est expertus in armis,
Implorans Pacem, (Bello dum fulminat Istrum EUGENIUS,) tua jam supplex vestigia lambit.
Sic, Duce te, quum reddiderit Deus otia Terris,
Aurea restituent concordes sæcula Parcæ;
Pacatus gemino volvetur cardine Mundus,
Virtutesque tuas omnis venerabitur ætas.

*ÆGON.*

ÆGON.

Vivite felices, mea gaudia, vivite Cambri.
Hæc satis; Agrestes non displicuere Camœnæ.
Accipite, ô Socii, grato quæ munera vultu
Dat CAROLINA suis culto pro carmine Cambris,
Bina hæc divinæ sacrata volumina Legis.
Accipite has & Apollineâ de fronde Coronas;
Hasque manu gestate oleas, Insignia PACIS.
Addidit ista sui erga vos in pignus amoris.
Omnia namque prius magni majora tulere
Præmia, quæ posuit virtuti debita Princeps,
Vates & Grantâ & Rhedycinâ ab Apolline missi:
Vatibus emeritis debetur Laurea Phœbi.
Vivite felices, mea Gaudia, vivite Cambri.

X.

# Nova hiſtorico-Theologico-literaria.

HAMMONAE Vir Cl. Gilbertus WACHIUS, Regiomontanus, SS. Th. D. ejusque & Orientalium Linguarum Profeſſor, & eccleſiæ Paſtor ad d. XXIII. Martii diem ſuum obiit.

LONDINI Johannes Armandus DUBORDIEU eccleſiæ Gallicæ Londinenſis, quam Sabaudiam vocant, per triginta ſex annos Miniſter, Rector de *Saytrey-Moins* in comitatu *Huntin-Donienſi*, & Duci Devonienſi (Devonshire) à ſacris, d. V. Aug. a. æt. 73. mortuus, in illo templo d. 13. ejusdem menſis ſepultus eſt.

OXONII titulus prioresque plagæ duodecim libri ſequentis prodiere: מפתח לשון הקדש CLAVIS LINGUÆ SANCTÆ, *Continens Grammaticalem explicationem 564. Verſiculorum ex libro Pſalmorum & 546. Verſiculorum ex cæteris libris V. T. in quibus omnes radicos puræ Hebraicæ V. T. cum nonnullis radicibus Chaldaicis (concurrentibus tamen in libris Hebraicis) inveniuntur: & in hac Clave reſerantur & juxta Grammaticas re-*

*gulas resolvuntur, & explicantur.* Authore NICOLAO TROTIO Oxon. 1719. fol. Ansam hujus operis Authori Clarissimo dedit psalterium Hebraicum a *Joh.* LEUSDENO editum, in quo 564. versiculos Stellulis notavit, in quibus omnes voces Psalmorum inveniuntur & radices usitatiores 1184: & fini Psalterii adjecit 546. versiculos, quibus cœteræ linguæ Hebrææ radices inusitatiores 683. continentur. Secundum hunc ordinem de Clavi hac scribenda cogitavit, qua Radices V. T. omnes reseraret. Nihil ergo differt labor TROTII a Lexico Hebraico Verbali & Reali, philologico & Concordantiali, nisi quod ordine Alphabeti relicto, ut tyrones a molesta radicum investigatione liberaret, secundum versuum memoratorum ordinem procedat. An hæc methodus ad palatum eruditorum futura sit, determinare nolumus. Labor ipse magnæ sedulitatis in conquirendis optimorum philologorum ad singulas voces observationibus indicium gerit. Radices minio distinctæ sunt. Multa ad singulas voces afferuntur, quæ non facile ibi quæsiviisses. Sic exempli caussa ad vocem תהלים differitur de varia libri Psalmorum distributione, de Psalmis Alphabeticis, de psalmis graduum: de usu poëseos in sacris &c.

GLASGOVIÆ in Scotia prælo aptatum est opus per subscriptiones imprimendum, cui rubrica hæc est: *Spicilegia Antiquitatum Ægypti &*

*vi-*

*vicinarum gentium: Auctore Guilielmo JAMESON, Prælectore Historiarum in Universitate Glasguensi.* Conficiet circiter Philyras 32. in octava forma. Liber hic in eo versabitur, ut multis Historiæ vetustissimæ in libris sacris commemoratæ articulis obscurioribus facem quandam accendat. Tractabuntur enim in eo quæstiones: An Sesacus fuerit Sesostris Ægyptiorum? An Judæi ritum circumcisionis ab Ægyptiis hauserint? An Monarchia Assyriaca a Nino & Semiramide non longo post diluvium tempore fundata sit? An steterit per 1300. annos usque ad *Sardanapalum*? An per Arbacem Medum destructum sit? Ubi Author se evicturum spondet, Assyriorum res ante tempora Usiæ in orbe florentes non fuisse: regnum vero eorum non per Medos sed per Chaldæos esse destinctum.

CANTABRIGIÆ celeberrimus linguæ Arabicæ & Orientalium Professor Simon OCKLEY, ineunte hoc mense Septembri fato functus est.

FRANCOFURTI AD VIADRUM ad d. 3. Kal. Jun. Vir Cl. Dietericus Siegfridus CLAESSENIUS, ex aula regia Berolinensi in qua Regi a sacris erat, accitus professionis suæ Theologicæ ordinariæ auspicia fecit Oratione dicta de PROVIDENTIA *Dei*. Paulo ante ejus Berolino discessum ibi vulgaverat *Animadversiones Philologico-Theologicas, in quibus Angelos hominesque impios, infernis suppliciis nunquam liberatum*

*tum iri, evidentissimis S. Scripturæ testimoniis demonstratur.* 4. 3. plag.

LUGDUNI BATAVORUM, Sigebertus *Haverkampius*, cujus insignis exstat in Tertulliani Apologeticum commentarius, ab illustribus Academiæ Lugdunensis Curatoribus Linguæ Græcae ac Latinæ Lector constitutus, muneris illius auspicia fecit Kal. Julii oratione habita impressaque, qua anquirit, *Utrum majus sibi decus quæsiverint Græci bellica laude & victoriarum gloria, an inventione artium studiis liberalibus & eloquentia.*

FRANEQUERAE Kalendis Juniis, cum magistratum academicum exueret, Philologiæ sacræ in hac Academia Professor Albertus SCHULTENS, orationem recitavit elegantissimam, lectuque dignissimam *pro studiis humanitatis*. Meretur hæc sane cum illa committi, quæ *in studia humanitatis* eopse hoc anno alibi à celeberrimo quodam Viro habita est. Franciscus *Halma*, Academiæ hujus typographus historiam ecclesiasticam Johannis le SUEUR, quæ Gallice exstat, cum continuatione Cl. Picteti recudi curabit, additis locis Auctorum citatis, hactenus omissis. Eandem sermone Belgico loquentem faciet Vir hic primariis bene meritisque nostræ ætatis Typographis accensendus. Cel. VITRINGAE Patris in Esaiam commentationis prorsus eximiæ partem alteram nunc exstare, jam nuntiatum est. Collega ejus Cl. Ruardus ANDALA

LA *exegesin illustrium locorum*, & *duorum typorum S. scripturæ cum clave Apocalyptica* publici juris fecit. De utroque libro forsan in sequentibus plura commemorandi locus erit.

ULTRAJECTI Professio Theologica extraordinaria demandata est D. Johanni ENS, V. D. in Ecclesia ejusdem urbis Ministro, cujus etiam auspicium fecit A. D. III. Non. Junii, habita oratione inaugurali *de Persecutione Julianea*. Antagonistam idem Cl. Ensius satis acerbum nactus est, *Jacobum Fruytier*, Pastorem Roterodamensem, scriptis quibusdam eristicis pacem Ecclesiæ non admodum promoventibus satis notum. Cum enim ante lustrum & quod excedit prodiisset commentatio quædam sub ficto nomine contra libellos diversos discordiæ novæ semina tum temporis spargentes, sub hoc titulo: *Het Ouderlings Protest, met Sions Worstelingen en de Spiegel der Voorbeelden, ontdeckt en opgeheldert tot bewaringe van Eenigheid en bevorderinge van de Vrede der Kerke, door D. Van der Heyde*; de cujus vero authore dubitabatur, quodque acriter edita contra istud apologia impugnatum erat; ejus scriptorem se profiteri publice & defensionem suscipere Cl. *Ensius* instituit, dum in Gymnasio Lingano adhuc degens Anno 1719. mense Decembri habuit *Disputationem Theologicam de D. J. Fruytier adversus D. V. D. Heyde Apologia*. Hac excitatus *Frutierius* vernaculum hoc scriptum publici juris fecit: *Afgeperste verantwoordinge van Jacobus*

*Fruytier, Predikant te Rotterdam tegen twee faamrovende Schriften van D. Johannes Ens, Predikant te Utregt, Het eene uitgegeven onder een vermomden naam van D. van der Heyde*, het andere uitgegeven en gedrukt te Lingen. Rott. 1720. 8. pagg. 110. Prudentiam autem & moderationem Theologicam heic majorem fuisse adhibitam ex animo optassemus. Cœterum in eadem Academia Professionem Theologicam ordinariam VIII. Kal. Jul. auspicatus est *Frid. Ad.* LAMPE, dicta oratione *de summa Sapientia*, quæ typis & Latinis & vernaculis exscripta est. Præterea R.M. Maimonidis הלכות ערכין sive constitutiones de *aestimationibus* versione notisque illustratas edere, & publicæ συζητησει subjicere sub præsidio Cl. *Millii* cœpit Henricus *Langenes*, Amstelo-Batavus. Idem Millius dissert. de אוב & אובות emisit in lucem, in qua probandum sibi sumsit, non tam, ut vulgo putatur, Ventriloquos sive ἐγγαστριμυθους, sed νεκρομαντας esse intelligendos.

GRONINGAE, quod non incelebre Ducatus Halberstadensis oppidum est, Vir de historia ecclesiastica Germaniæ medii ævi meritissimus J.G. LEVCKFELDIUS, nuper admodum vitam Hermanni *Hamelmanni*, & Johannis *Spangenbergii*, qui Cyriaci Spangenbergii, cujus quoque vitam singulari olim volumine illustraverat, ut & historiam celebris illius Præmonstratensium *monasterii Divæ Virgini apud Magdeburgenses*, sacrati, juxta

ta cum *Chronico Meibomii Marienbornenſi* vulgavit. Ad prelum nunc parata habet *Chronicon* ejudem *Mariæmontis* apud Helmſtadium ineditum cum Notis. *Antiquitates Præmonſtratenſes* de Gratia Dei. *Kelbrunneri* de S. Georgii Monaſterio L. *Antiquitates nummarias Halberſtadenſes*, atque alia.

BERNAE collegam ſuum, celeberrimum RODOLPHI, cujus vitam (*a*) mortemque tibi nuper enarravimus, brevi tempore ſecutus eſt, Eliſaeus MALACRIDA, cui tamen Cl. Vir, qui Græcas antea literas in hujus urbis Athenaeo docuerat, Johannes Henricus RINGIER mox ſurrogatus eſt. Superiori quoque anno Joh. Henr. OTHO, cujus *lexicon* Philologico-Rabbinicum jam ante novem luſtra Genevæ editum, ut & *hiſtoria Doctorum Miſnicorum* applauſum eruditorum caveæ meritus eſt, defunctus eſt morte, cujus non minus, ac vitae hiſtoriam proxime a nobis tibi B. L. exhiberi poſſe ſperamus.

AMSTELODAMI, Godofredus CLAROMONTIUS, elegantis doctrinæ Vir, eccleſiæ Gallicæ in hac urbe Miniſter, conſiliū cepit, quod egregio commodo doctrinæ ſacræ ceſſurum confidimus, Diſſertationes, Chronologiam, Geographiam, ac Philologiam ſacram illuſtrantes, quæ Commentariis in ſacram ſcripturam, à R. Viro Auguſtino CALMETIO, Monacho Benedictino Congregationis S. Vanni & S. Hydulphi Lutetiæ Pariſiorum his annis

 mul-

(*a*) Vide Cl. III. faſc. 2. p. 361.

multis vaſtisque (vel enim illa in Vetus Teſtamentum XV. vel XVI. Tomos conſtituunt) voluminibus, idque Gallico ſermone, editis, inſertæ ſunt, ſimul collectas divulgandi. Titulus operis erit *Treſor, d' Antiquites ſacrees & profanes tire des commentaires du R. P. D. Auguſtin* CALMET, religieux Benedictin de la Congregation de S. Vanne & de S. Hydulphe, *tres propres à eclaircir un grand nombre d'endroits egalement difficiles & importans de l' Ecriture ſainte.* Indicem & ſeriem materiarum in claſſes ſuas diſtributarum hunc habe. I. in *ſcripturam S.* de ejus inſpiratione, Num Eſdras ſit Auctor, vel Reſtaurator illius? Num Eſdras mutaverit veteres Characteres Hebraicos, atque in eorum locum ſubſtituerit Chaldaicos? De Evangeliis Apocryphis. De forma veterum librorum, & variis ſcribendi modis. II. De *quibusdam Capitibus Theologiæ & religionis.* De Prædeſtinatione & reprobatione hominum. De ſyſtemate mundi veterum Ebræorum. Num veteres legum latores & Philoſophi ex ſcriptura leges ſuas & moralem doctrinam hauſerint. Num gentiles, qui neque legem Moſis neque Evangelium cognoverunt, potuerunt ſalvari? De Characteribus Meſſiæ ſecundum Judæos poſt adventum Chriſti. In locum Eſ. VII: 14. De pulchritudine Chriſti ex occaſione verborum Eſ. LIII: 2. De Magis Chriſtum adorantibus. De ſupremo Chriſti Paſchate. In verba Pſ. XXII:

XXII: 18. Num Cephas reprehensus a Paulo fuerit Petrus Gal. II: 20. In locum 1. Joh. V: 7. De peccato in Sp. S. De morte & sepultura Mosis. De morte Johannis Evangelistæ. De tribus Mariis. De Antichristo. De Gog & Magog. De resurrectione Mortuorum. De fine mundi, statuque ejus post diem judicii. III. De *Miraculis*. De veris & falsis miraculis, & potestate Dæmonum & Angelorum in corpora. De Transitu Judæorum per mare rubrum. De statione solis & lunæ jussu Josuæ. De pluvia lapidum, quæ cecidit in Cananæos. De apparitione Samuelis 2. Sam. XXVIII: 11. 12. De clade exercitus Sennacheribi. De retrogrado sole in Horologio Achasi. De metamorphosi Nabuchodonosoris. De pisce deglutiente Jonam. De incantatione serpentum. Ps. LVIII: 5. IV. *De statu religionis inter Judæos*, cetera. De statu religionis regnorum Judæ & Israelis post eorum separationem. De populis Judææ vicinis ad illustranda vaticinia, quæ eos spectant. v. gr. Philistæis, Phœniciis, Idumæis, Moabitis, Idumæis, Syris. De loco, in quem transpontatæ sunt decem tribus, & ubi nunc hærent. Num illæ redierint e captivitate in terram, Israeliticam. De Pharisæis, Sadducæis, Herodianis, Essæis. V. De *Poesi*. De illa generatim & sigillatim de Ebræorum, auctore Abbate *Fleurio*. De eadem, auctore *Calmetio*. VI. *De Musica Hebræorum*. De

Musica veterum generaliter, & membratim Ebræorum. De eorum instrumentis Musicis. VII. *De Psalmis.* De libro Psalmorum, de ejus præstantia, utilitate, nomine, divisione, ordine, auctore collectionis, numero, authentia, subjecto, obscuritate, diversis illos explicandi methodis, titulo. De למנצח, De eorum auctoribus. Textu. Veteribus versionibus, v. gr. των ὁ, Latinis, Syriacis, Arabicis, Paraphrasi Chaldaica. &c. VIII. *Chronologica.* De Chronologia, annis, mensibus, diebus, & horis Chaldæorum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Hebræorum. De LXX. hebdomadis Danielis. De itinere Petri Romam 1.Petr. V: 13. *Tabula Chronologica* de historia V. T. ad Nehemiam. A temporibus Nehemiæ ad Vespasianum. De Regibus Assyriæ. De Imperio Persarum, Chaldæorum, Medorum, Græcorum in Oriente. De Principibus Asmonæis. De summis Judæorum Sacerdotibus. Diss. quâ ostenditur præstantia historiæ Ebræorum præ historiis aliarum nationum. Aliæ tabulæ Chronologicæ in libros particulares. IX. *Geographica.* De Posteris Semi, Chami, Japheti, ad Gen. X. &c. Tabula terræ promissæ auctore N. *de Fer,* Geographo, cum animad versionibus in illam. De loco, in quem se receperunt Cananæi fugati à Josua. De Ophir. De veteri sede Ebræorum. Num arca fœderis fuerit templo rursus illata post captivitatem Babylonicam.

X.

X. *Genealogica.* Conciliatio Matthæi cum Luca in genealogia Christi. De ordine & successione magnorum Pontificum inter Judæos. Successio eorum petita ex Paralipomenis, Josepho, & סדר עולם. XI. De *Cærimoniis Judaicis.* De origine, antiquitate, & effectis circumcisionis. De Baptismo. De Baptismo Judæorum, Johannis Baptistæ, JEsu Christi, facto in nomine J. C. De electionibus per sortem. XII. De *Politia & militia Ebræorum.* De modo administrandi jus inter Ebræos, & de Synedrio. De suppliciis in scriptura memoratis. De usu crucis inter Judæos. De pœna laquei. De carcere. De vinculis captivorum. De pœna tympani. De Flagitatione. De pœna excidii. De excommunicatione & censuris. De pœna gladii, ignis, lapidationis, præcipitii de petra; serræ &c. De Carnificibus Ebræorum. De milicia illorum, de ministris aulæ, de exercitibus regum Ebræorum. De Rechabitis. XIII. De *Moneta.* De antiquitate monetæ cusæ, ad Gen. XX: 16. De valore monetæ Ebraicæ comparatæ cum moneta hodierna Gallica. De mensuris illorum collatione instituta cum mensuris Parisiensibus. De divitiis, quas David reliquit Salomoni. XIV. De *legibus* matrimonialibus. De *matrimoniis* Ebræorum. De Divortio. De Voto Jephtæ. De cognatione Judæorũ & Spartanorum. XV. *De morbis* quibusdam, & *medicina* &c. De medicina & medicis veterum

Ebr.

Ebr. de eorundem cibis, de vestibus, de Funeribus & sepultura. De lepra, de morbo Jobi. Diss. ad loeum Jobi XXIX: 18. XVI. De *religione & DIs gentilium.* De origine Idololatriæ. De Veterum templis. De idololatria Israelitarum in deserto, & sigillatim de idolo Rephan vel Remphan Amos V: 26. de origine idolorum Philistæorum, Belsebub, Marnas, Berith vel Baal-Berith. De idolis Phœniciorum vel Cananæorum, Baal, Astaroth, Adonide, Molocho, idolo Ammonitarum, de Beelphegor, Chamos, & aliis idolis Moabitarum. De bonis & malis angelis. De Dæmone Asmodæo. De Naamane, rogante Elisæum ut sibi permitteret, prostrationem coram ídolo Rimmonis. De Deo ignoto Athenienſium. XVII. De historia Profana orientis a Salomone usque ad Captivitatem Babylonicam ad illustrandam historiam Ebræorum memoratam a prophetis. De Imperio Assyriorum, Chaldæorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum.

STADAE Saxonum prid. Non. Julii non sine irreparabili literarum damno, & gravissimo omnium bonorum, quibus vivus innotuerat, luctu exstinctus est Ducatuum Bremensis & Verdensis Generalis, ut vocant, Superintendens *D.* Johannes *DIECMANNUS*, cum annos LXXIII. & aliquot dies vivendo explevisset. Vir erat lectionis diffusissimæ, & quod cum illa raro in una sede moratur, judicii acer-

acerrimi, moribus autem politiſſimis, candidiſſimisque, &, quod primo loco collocandum erat, rariſſimæ & pulcerrimæ in rebus Theologicis moderationis. Brevem vitæ ejus, librorumque editorum enarrationem, exhibuit in *Stada* ſua literata, quæ ante hos novem annos prodiit Vir Cl. Joh. Henr. von *Seelen*, qui nunc ſcholam Lubecenſem moderatur. Scriptis ibi recenſitis deinde acceſſit ejus *in genuinos natales vocis Teutonicæ KIRCHE inquiſitio*, de qua vide Bibliothecæ noſtræ Cl. II. faſc. II. p. 292. ſqq. Ad fatalem usque horam proſperrima, ac pæne illæſa uſus erat valetudine. Ex itinere, quod viſitandis ſuæ concreditis curæ eccleſiis, deſtinatum fuerat, & in quo ducenteſimum a ſe ſacro inauguratum fuiſſe muneri ſibi erat gratulatus, redux, cum ſuis cœnat hilariter, it cubitum, ſurgit è lecto primo mane, accingit ſe laboribus ſolitis, ſed reſpirandi difficultatem, de qua multoties conqueſtus erat valde auctam eſſe ſentiens, ſigno dato ſuos accerſit, quibus vix accurrentibus inter preces, quas manibus complicatis facere inceperat, immortalem ſpiritum Deo & Servatori ſuo reddidit. Cauſam mortis hujus, catharrum ſuffocativum alii, alii pulmonum vomicam judicarunt. Exuviæ ejus, prout vivus conſtituerat, huc Bremam ſunt deportatæ, & in æde ejus cathedrali conditæ quieſcunt. Scriptorum collectaneorumque ejus, quorum in-

gens est numerus, vix ullum profligatum est, si ab uno discesseris *specimine*, quod nunc heic prela exercet, & propediem adspiciet lucem, *Glossarii MSSti Latino Theotisci, quod RABANO MAURO, Archiepiscopo Moguntino, inscribitur, illustrati, in quo de multis vocibus, cùm Latinis, tum Theotiscis, de quibus passim B. Dieterici von STADE (a) explicationes insertæ sunt, agitur, varia quoque non ex profana tantum, sed etiam sacra & ecclesiastica antiquitate delibantur.* Ipsum tamen hoc Glossarium integrum ab eo eruditissimis illustratum est observationibus, atque ita absolutum, ut non aliam limam, quam describentis manum, desideret. Cognitione historiæ literariæ, auctorumque delectabatur inprimis, inque ea ita regnabat, ut, quis cum eo in hoc studiorum genere hac tempestate paria faciat, noverim neminem. Argumento illius esse possunt, ea, quæ ad ornandum expoliendumque *Theatrum Anonymorum & Pseydonymorum PLACCIANUM* collegerat, quod quidem præter emendationes plus MMMM symbolis a se adaugeri posse mihi ipse coràm plus semel enarravit. Bibliotheca ejus selectissimis rarissimisque libris referta heic loci ineunte vere hastæ subjicietur. Mihi, quem amore suo atque necessitudine vivus dignatus est, & cui, ejus obitus prorsus accidit illætabilis, hac inscriptione monimentum ejus insignire liceat.

*Nomi-*

(a) Conf. Bibl. Cl. II. fasc. II. p. 376. sqq.

*Nomina qui veterum, ſeriemque & fata novorum*
*Scriptorum, doctos nôrat ad unguiculos.*
*Scriptaque qui veterum, qui ſcriptaque cuncta novorum*
*Legerat, & vaſto pectore condiderat,*
*DIECMANNI exuvias fragiles, atque Oſſa JOHANNIS*
*Præſulis, hoc parvo condita ſunt tumulo.*
*Quin, potius caſſae fuco virtutis imago,*
*Antiqui mores, Relligionis honos.*
*Sacrorum Antiſtes, meritis venerandus & annis,*
*Pierii Antiſtes deliciumque chori.*
*Tres Charites, Muſæque novem, Romanaque Pitho,*
*Pacis amor, parvo hoc condita ſunt tumulo.*
*Suſcipe* Phabiranum, *tam nobile ſuſcipe cœli*
*Depoſitum, & placido mœſta reconde ſinu.*
*Sis licet auguſtis illuſtris & incluta tumbis,*
*Majorem tumulum vix capis hoc tumulo!*

T. d. H.

XI.

# Epistola nomine ecclesiarum & Academiarum Reformatarum in HELVETIA

## *ad CAROLUM I. Magnæ Britanniæ Regem scripta.*

Sereniſſime & Potentiſſime

# Rex,

Domine Clementiſſime.

DEdiſſet ad Sereniſſimam Majeſtatem Veſtram nomine Eccleſiarum Helveticarum Reformatarum literas jamdudum noſtra tenuitas, niſi partim eminentiam Regiæ Dignitatis veriti, partim indubitanter nobis, controverſias exortas omnes vel jam compoſitas, vel ſaltem ſopitum iri perſuaſum creditumq; fuiſſet. Ne tamen charitatis officia in nobis deſiderarentur, ea de re ad Reverendiſſ. *D.* Archiepiſcopum Cantuarienſem, ad Patrem filii, ad fratrem fratres anno ſuperiore ſcribere non dubitavimus: de quo S. M. Veſtræ fideliſſimè relatum eſſe planè confidimus. Nihil enim optabamus impenſiùs, quàm ut Regiæ

giæ M. Veſtræ, cujus pietas atque clementia ſingularis in admiratione eſt apud omnes, per homines fidos atque idoneos innotuiſſet jam tunc, quot per Helvetiam noſtram piarum animarum myriades pro S. M. Veſtræ Regnique totius pace cùm ſacrâ tum profanà, Deo ter Opt. Max. vota nuncupent jugiter. Verùm dedimus etiam literas ad eccleſiarum Scoticarum Miniſtros, quibus monuimus ipſos atque oravimus perquàm enixè & diligenter, in præſtandis obſequiis omnino omnibus, quæcunque R. M. Veſtræ, citra Numinis evidentem offenſam præſtari vel poſſint, vel debeant, ad ſummam induſtriam nihil ſibi faciant reliqui. Id verò factum à nobis haudquaquam proprio aliquo aut temerario motu, ſed partim hortatu Reverendiſſ. Archiepiſcopi (cujus in ſinum paternum quin jam denuò animi noſtri ſenſum per literas effundamus intermittere non potuimus) partim quia communio Sanctorum id ipſum à nobis videbatur exigere.

Nunc verò quia præter ſpem omnem apud nos quotidie increbreſcunt rumores, omnia denuò ad arma ſpectare & vim, nos certè, quibus perpetua R. M. Veſtræ proſperitas; Regnorum Britannicorum perennis tranquillitas; eccleſiarum Britannicarum in orthodoxa doctrina cum eccleſiis noſtris luculenta con-

conformitas, ſinceriſſimè curæ cordique eſt, ulteriùs temperare nobis nec potuimus nec debuimus, quin S. M. Veſtræ quantâ animi ſubmiſſione par eſt, fieremus ſupplices, atque precemur, Regiæ clementiæ potiùs quàm luctuoſæ alicujus victoriæ laudes ad poſteritatem malit transmittere, propterea quòd Veterum Regum celeberrimus quisque ratione hac, ſi non unicâ, certè præcipuâ, immortalitatem venerationemque ſui conſequutus eſt nominis. Nec quidquam rationi, naturæ cum primis verò fidei charitatique Chriſtianæ magis contrarium, quam ruere eos in mutua vulnera, qui vigore divini mandati, Redemptoris ſui exemplo, denique lege charitatis, pro ſe mutuò ponere animas ſuas tenentur. Præſertim ubi inter ipſos in Evangelica, Apoſtolica, & antiquiſſima fide obtinet, viget, floretque conſenſus ille, cujus ſanè illuſtre ſpecimen orbis Chriſtianus in Synodo Dordracena illa vidit, videt & gaudet etiamnum in Domino.

Pientiſſime Rex, Princeps glorioſiſſime, obverſetur S. M. Veſtræ, quæſumus ſupplices, miſerrima afflictiſſimæ Germaniæ facies. Bellis quidem inteſtinis omninò omnibus nihil funeſtius, nihil triſtius, utque ſemel dicamus, omnium malorum oceanum eſſe omnes te-

testantur historiæ. Verùm si contingat funestis armis committi eos, qui ejurato errore coierunt in unam veramque fidem, utique cœlum ac cœlites ipsi solvuntur in lachrymas. Funditur enim sanguis à sanguine, quem Dominus Jesus preciosissimo sanguine suo redemit. Faciunt se mutuò martyres, qui utrinque Martyrum glorioſissimorum sunt soboles, id quod mentis humanæ captum excedit omnem. Ab utraque parte post conflictûs desiderantur quàm plurimi, quos pars utraque, si fieri posset, cuperet suscitatos ex mortuis. Certè sive justam sive injustam causam, in hoc quidem bellorum genere, tueri conemur, dubium non est totum hoc non à propitio, sed ab irato immitti Numine, plerumque propter ejusceмodi peccata, quæ belligerantes vel prorsus non cogitant, vel ante cladem tanti non faciunt, quanti post cladem facere edocentur inviti.

Quare, Clementissime & Religiosissime Rex, quandoquidem sincerissimâ mente optamus S. M. Vestram de subditis servatis lætari potiùs, quàm de occisis serò frustraque tristari: in ardentissimis precibus erimus deinceps quoque assidui, ut Deus, cujus miserationes & magnæ & multæ sunt, R. M. Tuæ sanctas aures supplicibus precibus, atque tenerrimis votis totius Orthodoxæ Helvetiæ

vetiæ, nec non aliarum quoque ecclesiarum sive adhuc florentium, sive sub cruce gementium, misericorditer aperire dignetur, ad Sacro-sancti nominis sui gloriam; ad S. M. Vestræ, Regnorumque M. Britanniæ sempiternum emolumentum; denique ad ecclesiæ verè Catholicæ parturientis solatium, per Summum, fidelem & unicum Pontificem, Dominum nostrum Jesum Christum. Amen. Amen. Amen.

6. Sept. 1640.

*Reformatae Helvetiorum Ecclesia & Academiae.*

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartae*

FASCICULUS TERTIUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXL.

VIRO

*Magnifico, venerabili & celeberrimo*

# JOHANNI FA. BRICIO,

Theologiae in incluta Academia Juliâ Doctori ac Professori emerito,

*Consiliario ecclesiastico*, & Inspectori Scholarum per ducatum Guelferbytanum generali,

ABBATI REGIAE LUTERAE, societatis scientiarum regiae Berolinensis membro

Dignissimo gravissimoque,

THEOLOGO aetate non magis quam eruditionis, humanitatis, moderationis, plurimorumque in omnem Rem literariam meritorum laude maxime conspicuo

*Pri-*

*Primum* hunc ſupra *viceſimum*
hujus

# BIBLIOTHECAE
## FASCICULUM,

Suae erga eum pietatis ac obſequii monumentum erigunt, Symbolas ad hoc ornandum inſtitutum expoſcunt, vegetamque & longam, omnique rerum optandarum adfluentia cumulatam,

Neque illis incommodis, quae illam comitari vulgo ſolent, turbatam

*SENECTUTEM*

& ſincere & impenſe apprecantur

EDITORES.

## Leguntur hoc fasciculo

I. Joh. Jac. HOTTINGERI Memoria Synodi *Dordracenæ*, pag. 417.

II. Gerhardi OUTHOVII ad locum Jacobi V: 16. observatio p. 457.

III. C. A. HEUMANNI de THEOPHILO Lucae dissertatio pag. 483.

IV. Theodori HASAEI ad praecedentem de THEOPHILO diss. sicilimentum p. 506.

V. Stephani VITI vita Joh. JEZLERI ejusque libri de *diuturnitate belli eucharistici* recensio pag. 532.

VI. Joh. Georgii SCHELHORNII de צלצל דגים ad elucidationem loci Job. XL: 31. observatio pag. 572.

VII. Ruardi ANDALA exegesis illustrium quorundam locorum & Apocalypseos L. R. p. 588.

VIII. Joh. BUXTORFII P. ad Matth. MARTINIUM epistola inedita p. 598.

I. Me-

I.

# Memoria Secularis Maximè Venerabilis & sacræ *SYNODI DORDRECHTANÆ:*

Pietate exigente, Dignitate promerente, Majorum veneratione urgente

*III. Cal. Febr. cIↃccxx.*

Solenni Oratione in publica panegyri Tiguri celebrata

à

## Ioh. Jacobo HOTTINGERO. (a)

(*Tit.*)

REddidit nobis Sol actus in orbem die ab hinc tertio feriam, à piis Majoribus CAROLI, Hunnorum, Saracenorum, Saxonum Domitoris: Romanorum Imperatoris Pii, Felicis, Augusti,



(a) Vide de insigni hoc Viro hujus Bibl. Cl. II. fasc. III pag. 562.

gusti, multisque aliis præclaris nominibus *Magni:* omnium, qui sive in Imperio Romano, sive in Franciæ Regno Caroli nomen gesserunt, non solum ordine *Primi*, sed rebus toga sagoque in Ecclesia & Republica gestis, facilè Principis & Maximi; Ecclesiæ Tigurinæ Patroni munificentissimi, memoriæ consecratam: sequioribus quidem temporibus haud unâ superstitione fœdatam, masculâ autem Avorum pietate, à duobus hinc seculis, integritati Christianæ restitutam: ingenti illo beneficio, cujus memoriam, sub auspiciis Dei, Magnificentissimi Magistratûs nostri auctoritate, omnibus bonis domi forisque applaudentibus, grati lætique, ab hinc anno, concelebravimus.

Atque ista in Defunctum pietas adhuc superstes, hoc me temporis articulo in publicum hunc pertraxit locum. Cum enim Collegii fere, cui bellicosissimus & victoriosissimus Imperator, idemque summus literarum Mecœnas, nervos, vitam, nomen dedit, membris, consuetudine ceu lege aliquâ receptum sit, feriâ hâc recurrente, non quidem arma virumque hunc importunè canere, de argumento tamen aliquo tempore & loco idoneo publicè differere: Instituto huic, mihi eorum postremo, obtemperandum hodie fuit. Eo etiam nomine, quod Venerabilis, de Ecclesia nostra ejusque institutis præclarissimè merentis, ANTISTITIS auctoritas, in tot viro-

virorum, eruditione, ingenio, delenificâ ſuadâ inclutorum corona, me in medium provocare voluerit, qui in his, & quæcunque plauſum merentur, illis Patriæ ſeculique noſtri decoribus, palmam lubens meritoque concedo.

Geminâ hâc neceſſitate mihi impoſitâ, ſeriò cogitanti & recogitanti, ne aliquid illuſtri Auditorio indignum dicerem, memoria ſecularium exercitiorum, ſuperiori anno ſuſceptorum perſuaſit, *Memoriam* obire ſecularem beneficii, quod Deus Eccleſiæ noſtræ cum plerisque aliis, Deo duce, Babele feliciter egreſſis, commune eſſe voluit, nec inter tot alia ſplendida gratiæ pignora, quibus Deus eas dotare & ditare dignatus eſt, poſtremam ſibi depoſcit ſedem, *Synodi*, inquam, ab hinc ſeculo, Illuſtriſſimorum & Potentiſſimorum, liberas & fœderatas inferioris Germaniæ provincias moderantium, *Ordinum Generalium* auctoritate & immenſis impenſis, ad tollendas controverſias, quibus Respublica illa à tot Hiſpanorum exactionibus: Eccleſia illa ab Antichriſtianorum edictorum ſanguine ſtillantium executionibus: & cruentis terrâ marique geſtis bellis, vix reſpirans & refloreſcens, per Jacobum Arminium, in extremum periculum adducebatur, à pluribus annis cum maximâ perturbatione diſceptatas, convocatæ & *Dordrechti* celebratæ.

Hujus Synodi ἀνάμνησις ut tempeſtiva mihi

visa, quia Synodus nuperrimè ætatem secularem attigit, ita statuebam æquitatis esse, ne nobilissimi beneficii decoctores, & ingrati helluones videremur. Ratus denique sum, aliquod pietatis officium fore, sanctum cœtum à petulanti quorundam, ætate nostrâ, si unquam alia fuit, in magnorum virorum cineres injuria, eum despicientium & despuentium, insectatione & insultatione asserere.

Hoc dum ago, Vestram cujusque Ordinis & dignitatis AUDITORES, etiam cùm expectatione vestrâ inferiora dixero, facilitatem imploro; qui ultrò nôstis, nihil in dicendo majus esse, quam ut faveat Oratori is qui audit. Mihi curæ cordique erit, ut in magnis, quæ Deus Patrum memoriâ præstitit ebuccinandis, & timoris Dei, & veritatis rationem me omnibus aliis ante habuisse, illustri Auditorio comprobem. Has lineas, ne unquam ab oculis removeam, ne à via ista regia uspiam deflectam, *Jehovah*! Ter sancte! Ter optime Maxime! Candorem, ingenium, industriam, linguam suffice & dirige, quò de Magnalibus Tuis magna & Te digna dicamus & sentiamus!

Ecclesiæ, quæ *Reformatæ* nuncupantur, cùm reliquis sordibus templo Dei ejectis, etiam Pelagii & Semipelagianorum errores, de Prædestinatione & gratiâ illic grassantes, communi sententiâ valere jusserunt. Hujus rei tot nobis testes suppetunt, quot earum Confessio-

fessiones manibus versamus. (*a*) Nam ut Augustino (*b*) ejusque ævi Ecclesiæ, ita nostris, *ad certam regulam loqui fas est*, ne verborum *licentia etiam de rebus quæ his significantur, gignat opinionem.* Verùm Erasmus ob literas restitutas, non male! ob errores Semipelagianos sparsos pessimè de Ecclesia meritus: Sebastianus Castalio, Remonstrantium prodromus, alii ab Antichristianismi fermento minus perpurgati, ad Ecclesiæ tamen Ministerium à Belgis admissi, nonnullis infausti Socini ex Poloniâ emissariis ignem subdentibus, hanc scabiem nonnullis Belgis denuò affricârunt, eam adeò depereuntibus, ut, quò ipsam Confessionem Belgicam tot Martyrum sanguine obsignatam incestarent, eam recenseri voluerint, ejusque rei spem ante seculi sexti & decimi exitum obtinuerint. Inde *ficus* (c) hæc fatua, Pelagianismum, & Semipelagianismum dico, *toties præcisa, toties eradicata, toties combusta, incinerata & usque ad nihilum conculcata*, ab Ecclesia Dei semper repressa, semper tamen, se ei ingerens & invitæ obtrudens, *latè & densè*, ne Reformatâ quidem exceptâ, *non desinit germinare, & sua vitulamina vitiosa, quanto subtiliùs, tantò periculosiùs propagare.*

Copias toties profligatas, Serpens antiquus



(*a*) Thys. præf. in Matth. Eborac. explic. p. 2. (*b*) August. C. D. X. 23. (*c*) Bradvvard. Caus. Dei præf.

importuniſſimè reſtauravit ſub ſignis *Jacobi Hermanni*, qui *Arminius* dici maluit, Veteraquinatis Batavi, cui nihil arridebat, niſi quod novitatis ſpecie ſe commendaret. Huic *veritas, etiam Theologica, in puteo profundo adhuc demerſa videbatur.* Unde ſuſpirabat, *utinam Deus veritatis illam aliquando ad animi mei tranquillitatem invenire concedat!* (*d*) Hic doctrinas de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio ab Eccleſia *antiquiori*, in Pelagio, Maſſilianis, Syracuſanis, Fauſto, adverſariis Godeſchalci; à *Reformata* in Papiſtis, Eraſmo, Caſtalione, Bolſeco, Serveto, Hubero, damnatas, à Socinis interpolatas, ab ovo examinandas cenſuit, ſæviſſimæ tempeſtatis Synodo demum Dordracenâ temperatæ Aeolus.

Omnem hanc rem tribus ætatibus includere lubet. *Prima* monſtri hujus conceptionem & formationem, *Altera* nativitatem & firmationem: *Tertia* ejus ex Eccleſia proſcriptionem exhibebit. *Prima* ferè per decennium, ante Belgarum cum Hiſpano inducias proximum decurrit. *Altera*, decennium complectitur, quo Arminianorum primi pili novæ Reipublicæ habenas tractârunt. *Tertiâ*, Deus Eccleſiam Synodi Dordracenæ curâ & fide, à peſte hac liberavit.

*Primâ* ætate Arminius ævi ſui Sinon, variam perſonam geſſit, *Studioſi*, *Paſtoris*, *Profeſſoris*. Amſtelodamenſium enim liberalitate ad Aca-

(*d*) Epiſt. ad Utenbog. a. 1597.

Academias dimissus, *Genevæ* Bezâ, *Basileæ* Grynæo Præceptoribus usus est. Excursione in Italiam factâ, Præceptores ab illorum genio & ingenio diversissimos nactus videtur. Patavii certè Zabarellam audivit: Romæ Bellarminum compellasse scribitur. Eorum quæ à prioribus audiverat, non minùs immemor, quàm si Spongiâ aliquâ deleta fuissent, aut aquam ex fluvio Lethe hausisset.

Anno ætatis vicesimo octavo, ad Ecclesiæ Amstelodamẽsis *Pastoratum* evocatus, tanto hominum favore intumuit tumori audaciam addidit; publicè privatimque non tantùm Calvini, Martyris, aliòrum, cum quibus ipse collatus quintæ classis videri possit, nomina rodere: (*dd*) sed eorum, Reformatarumque Ecclesiarum doctrinam de prædestinatione, tanquam Stoicam & Manichaicam, quâ hominis libertas stranguletur, omne pietatis & bonorum operum studium extinguatur, blasphemare, eam execrabilem redditurus: Subinde Pelagianismum redolentia miscuit. Adorandam hic Vobis Dei pro Ecclesia sua, ejusq; peculio veritate, vigilantis providentiam sisterem, dum in Belgio à degeneribus Ecclesiæ Reformatæ membris, glorioſa illa & salutaris Dei gratia impiè incestatur, in Gallia & aliis Bel-



(*dd*) Quam mature antequam res in nervum erumperet, errorum suorum semina jam foverit ex illa epistola colligere est, quam primùm hujus Bibl. Cl. III. fasc. II. p. 384. vulgavimus. T. d. H.

Belgii provinciis Bajum, (e) Janſenium, aliosque celebres Eccleſiæ Romanæ Doctores eam etiam in pertinaci exilio defenſantes, excitantis: niſi ad alia properandum eſſet.

Arminio regiam viam faſtidiente, Presbyterium Amſtelodamenſe cauſæ Dei non defuit. Sed Arminius frænum mordere: ex utroque Ordine viros ſibi jungere quorum artibus & viribus ſe ſuſtineret. Ex *Eccleſiaſtico*, Joh. Utenbogardum, Paſtorem Hagienſem, facundum magis quàm doctum. Ex *Politico*, Johannem ab Oldenbarneveld, Hollandiæ Advocatum, aliosque, qui *aſſenſu auxilioque ſuo fecerunt, uti multæ opiniones novæ, formulisque initæ Concordiæ repugnantes, ac nunquam antea in Eccleſia Reformata approbatæ, excuſſæve, adverſus ſolennem ſacrorum ritum in Eccleſiis Reipublicæ Belgicæ inveherentur, atque illic defenderentur.* (f)

In horum clientelam receptus Arminius, poſt carecta latere pertæſus, cum præſtantiſſimis Germaniæ, Angliæ, Belgii, Theologis, cum aliis ſcripto, cum Franciſco Junio ore, in arenam deſcendit: Junio autem piè defuncto, anno ſuperioris ſec. tertio, (g) Cathedræ Leidenſi Theologicæ obtruditur. Quia prudentiores ipſaque Amſtelodamenſis Eccleſia exiſtimabant, *ingenium tantoperè luxurians*

(e) Pallavic. Hiſt. Trid. XV. 7:7. XXI. 7. (f) Illuſtr. ordd. ſentent. adv. Hogerbec. pag. 26. (g) d. 28. Aug.

*rians ac novaturiens, evidentiori cum periculo in Academia quàm in Ecclesia aliqua particulari esse versatarum*, (*b*) inter Arminium & futurum ejus Collegam Franciscum Gomarum, authoritate publica de præcipuis Doctrinæ capitibus, collatio instituitur, in qua Pelagianorum dogmata ab Arminio damnata, Augustino & Patribus cum eo facientibus albus adjectus calculus: fide datâ, se, si quas singulares haberet opiniones, non disseminaturum. (*i*) Sed fide Punicâ. Pectus monstris gravidum aliquandiu dissimulare: mox tamen per cuniculos doctrinam in Belgio receptam adoriri.

Ne malum invalesceret, Synodi & Presbyteria, primùm cum Arminio; eo dissensum fundamentalem esse inficiante; cum Academiæ Leydensis Curatoribus agitur: qui spem Synodi Nationalis fecerunt. Quod Pastoribus placuit, confisis antidotum quovis tempore, quibusvis etiam aliis erroribus; in primis gratiæ hostibus, Sec. V. in Oriente & Africâ, Pelagio: Seculo IX. in Gallia, Godeschalci adversariis oppositum, Arminii insultibus in Belgio compescendis opportunum fore.

At Novatores Synodum, ut noctua lucem perosi, (*k*) novis artibus se tuentur. *Primum*



(*b*) Act. Dordr. Ordd. jussu & autorit. publicat. præf. p. 2. (*i*) Præf. cit. (*k*) Similes lucifugæ & tergiver-

*mum* ad quod se converterunt, artificium fuit, quod nescio quæ Belgii provincia, non alia lege in Synodum consentire voluit, quàm ut à Synodo illa, non sola, ut illi pronuper urgebant, Confessio; sed Catechesis etiam, ut Novatores se deinceps explicabant in Remonstrantia, *recenserentur*, *resumerentur*, & *ad examen revocarentur*; *Nec enim liquere, eas initiò Reformationis, eâ quâ decuit religione expensas, & esse fortassis in eis aliquid, quod emendatione opus habeat.* (*l*)

ALTERUM Arminianorum artificium fuêre privati paucorum Theologorum confessus. *Prior* inter Gomarum & Arminium solos: præsentibus Supremæ Curiæ Consiliariis, nonnullis etiam Pastoribus. Delegati Ecclesiarum ostendebant causam hanc Ecclesiasticam à viris Ecclesiasticis harum rerum peritis, & ab Ecclesiis legitimè cum judicandi potestate Delegatis cognoscendam ac dijudicandam esse. Sed surdis fabulam. Gomarus in hoc congressu ex Arminii Autographo evicit, eum adversùs Verbum Dei & Con-

versatores erant Semipelagiani. Hinc Prosper Ep. ad Rufin. eis exprobrat. *Si rectè reprehendimur, cur non constanter* (Palam) *arguimur? si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione arguimur? Sed quis nescit cur ista privatim de stomacho garriant, & publicè de Consilio* (Concilium intelligit, cujus cognitionem Semi-Pelagiani declinabant) *conticescant?*

(*l*) Vid. Bertii script. adverſ. p. 4. 5.

Confessionem Belgicam, *Christi Justitiâ præteritâ, ipsam hominis fidem in justitiam quâ coram Deo justificamur non convertere, sed pervertere:* Consiliariosq; illos in Ordinum consessu sententiarum discrimen extenuantes monuit, tanti momenti discrepantiam esse, ut *ipse cum sententia Arminii coram Dei judicio comparere non auderet. Posteriori* cum Gomaro collatione, Arminius callidus dissimulator, & in nostris doctrinis cavillandis Fabio loquacior, nullâ ratione adduci potuit, ut causæ suæ arcem invaderet. Eo valetudinem sinistram causante, cœtus dimissus, humore crystallino ex utroque oculo emanante, hactenus mentis nunc etiam corporis lumine cassus & captus; di 19. Oct. A. supr. sec. IX. animam exhalavit: rationem hominibus, Dei nomine, & ex legum præscripto eam deposcentibus denegatam, Deo reddere coactus.

Scire avetis, unde Arminio ejusque pullis, tanti sub ista tempora animi! Agitatæ tunc induciæ cum Rege Hispaniarum & Archiducibus Brabantiæ, mense Aprili anni hujus noni transactæ: demùm sequenti decimo, vim habituræ. His Arminiani gnaviter in rem suam, parum abest ut dicam, tanquam peculio suo, sed præsentissimo Ecclesiæ & Reipublicæ damno, non tam usi quàm abusi. Nec defuit illo tempore, cui *Rex Hispaniarum nulla re magis inductus, ad inducias paciscendas assensum præbuisse visus, quam facta illi indubitata certissimaque*

*maque ſpe, antequam induciarum tempus expiret, univerſum Belgium inteſtinis odiis mutuisque cædibus dilaniatum levi negotio in poteſtatem ejus redactum iri.* (*m*) Quod augurium utinam homines ad res in Eccleſia & Republica miſcendas nati & facti, ante, ſub & poſt Synodum celebratam ſceleribus ſuis non confirmâſſent!

Quid ergo, inquies, quid Arminio his induciis ſerebatur vel metebatur ? Hollandiæ Advocatus, Numen Arminii tutelare, alienis Utenbogardi nervis, ligni alicujus ad inſtar in omnes partes mobilis, in induciis procurandis haud ignavus, ſi unquam, ab eo certè, (ut res ipſa loquitur) tempore, ſibi *ſummam Reipublicæ contra jus faſque vindicavit, & Majeſtatem atque ſupremum Dominatum* dictis, ductu, imperio, auſpicio ſuo *uſurpavit.* (*n*)

Hoc Patrono freti Paſtores qui in Arminii caſtra conceſſerunt, magno numero in Eccleſiæ fraudem, clandeſtinam confœderationem ineunt. (*o*) In Ultrajectina etiam Synodo novam Regiminis Eccleſiaſtici formam cudunt. Hoc præſidio fulti, & Conradum Vorſtium Pelagianiſmi, Sociniſmi, & quarum non hæreſium ? nidum, in Arminii locum Cathedræ Leydenſi intrudunt : & nonnulli eorum, *Remonſtrantiâ* Hollandiæ & Weſtfriſiæ

(*m*) Bodeck. Epl. in Hiſt. Dordr. Breitingeri Mſc. (*n*) Sentent. adv. Barnev pag. 2. & 12. (*o*) Celeſtin 1. p. tr. ad Conſtantinop. *Majore liganturglutino foedera vitiorum.*

siæ Ordines conveniunt, (p) in qua, infausta Lucina, *quinquarticulanus* ille fœtus primum in conspectum venit: & tum celebri *Collatione Hagiensi*, in qua hinc *Contra remonstrantia* exhibita, illinc Simon Episcopius, genuinus Arminii & Vorstii discipulus in Scenam primum prodiit, tum *Delfensi* congressu, pertinacem Synodo obicem posuere, suæ tolerantiæ (q) unice velificati; Tolerantiæ inquam, qua, dum ipsis quicquid libuit, licuit, dissentientem neminem, ne Magistratum quidem, nec tolerabant, nec toleraturi erant. Tantæ molis erat Synodum tam necessariam condere.

Ea tamen nunquam propior fuit, quam cum Remonstrantes eam longissime removisse sibi videbantur. Tunc enim veritatis Patroni animadverterunt, necessitatem sibi impositam, suas vicissim vires exerendi & exercendi: Deo conatus eorum ita secundante, ut bona tandem causa triumphaverit. Res maximas paucis expediam. Remonstrantes arte & Marte, satagente admodum *Hugone Grotio*, suorum quibusdam persuadent ut Ordi-

(p) M. Jun. Act. dordr. ordd. p. 15. M. Jul. in scriptis advers. Bert.

(q) Ita Pelagiani olim ad semipelagianos, adversarios suos vehementissimos, ap. Prosper. c. Ingrat. *Nosne sumus toto mundo quorum undique nobis sit suspecta fides? quos non tolerare queatis, si nostra à vestro vel Syllaba dissonet ore &c.*

dinum nomine decretum conderent, de Remonstrantibus eorumque doctrina tolerandis: quod ab Ordinibus nondum confirmatum Ecclesiis mittunt, ejusque observationem injungunt. Ubi rerum potiuntur, quosvis gratiæ defensores, inprimis ejus præcones, exauctorant, carceribus exiliisque multant, suggestum sibi ubique rapiunt, tribunitiis eum sermonibus implent, blasphemis convitiis suis segreges cœtus instituendi necessitatem, optimis quibusvis Auditorum suorum imponunt. Quod in ipsa Comitis Hagâ, ab ipsis Ordinibus aliisque Collegiis, ipsoque Illustrissimo Principe Arausicano MAURITIO, & generosissimo Comite GUILELMO LUDOVICO factum; majori cum Remonstrantium cordolio, quàm exprimere queam.

Jam ergo Remonstrantes eò Belgii res deduxerant, ut non tantum *Ecclesia in Ecclesia, sed inter Ordines essent alii Ordines, aliud in Regimine regimen, Provinciæ ad sui tutelam invalidæ fierent, ac ferme in hanc necessitatem venirent, ut ad dedecorosam aliquam pactionem descendere, aut etiam funditus interire cogerentur.* (r) Hæc omnia à Potentissimo Britonum Rege, ORDINIBUS ob oculos posita, adhibito stimulo, (s) ut *veram veteremque omnium Ecclesiarum Reformatarum consensu confirmatam, quam professi semper essent doctrinam, extirpatis erroribus, per Synodum*

(r) Sent. Barnev. p. 12. (s) Act. dordr. l. part. I. p. 329.

*dum Nationalem, quo medio Christiani ab omni ævo in ejusmodi malis usi essent, pristinæ sinceritati restituerent.* Ab his monitis, adhortationibus, obtestationibus pius REX non pius destitit, quàm locum reperissent. Eandem incudem Serenissimus MAURITIUS cum illustrissimo Nassoviæ Comite tundere non cessavit. Major Provinciarum pars, ORDINES inquam Zelandiæ, Geldriæ, Frisiæ, Groningæ & Omlandiæ, cum primariis potentissimisque Hollandiæ Westfrisiæque Civitatibus, ordinarium hoc a Spiritu S. propositum, & à Christianis semper usurpatum adminiculum tandem & ipsi ulceri hactenus incurabili admovere constituunt: & Hollandiæ & Westfrisiæ ORDINIBUS commendant: At nec dum persuadent. Non adeo ipsorum horum ORDINUM cunctatione, quâ intemperie nonnullorum, qui suo inter eos charactere abusi, in gratiam Novatorum, quò perderent Ecclesiam, nec Patriæ parcituri erant: qui *Theologis & Doctoribus male sanis* Ecclesiæ datis, ea corrupta perhibere ausi, *omnes Synodos supremæ Ordinum Jurisdictioni aliquid præjudicati afferre: in causa Synodi nullum esse locum suffragiorum multitudini: fore id adversus Majestatem, libertatem & jura Hollandiæ, si ejus provinciæ Ordinibus, aut majori eorum parti, sine plena assensione Synodus obtrudatur, Nationalis: jus hoc Majestatis, omnibus modis, etiam armis tutandum:* Qui cives insurgere in suos Magistratus edocuerunt:

Qui

Qui Magistratus concitârunt *ut præsidia sibi armatorum* militum, *præstolantes* (t) nuncupabantur, *legant*, jusjurandum non fœderatis in commune, sed ipsis solis præstituros, spretis aliorum jussibus : adversus quoslibet, etiam adversus potentissimos Ordines Generales, contraque Illustrissimum Principem & Ducem Generalem, non secus atque adversus Regem Hispaniæ, ejusque Præfectos arma, quibus nimirum Synodi conclusiones retorquerentur, sumturos. (u) Hujusmodi coitio in ipsius Utenbogardi ædibus aliquando (x) habita. Sed *Vos* citius audiendo, me loquendo delassabo, quam has Tolerantiæ Architectorum machinas, agnoscentibus ipsis, *violenta*, *extrema*, *tristia remedia* (y) addo tartarea, (à quo enim nisi illo qui homicida & mendax est ab initio, suggesta fuerint?) enarravero.

Dum isti Tyria maria concitant, Mauritii fortitudine opportuné compescenda, (z) Theologi ad Synodum Nationalem jam integros XIV. annos à Remonstrantibus sufflaminatam, ab Illustrissimis *Ordinibus* invitantur : Ecclesiis Synodi Provinciales decennio & amplius

(t) Læt. Hist. Univ. p. 510. (u) Sentent. in Barnev. p. 1. 3. 5. 11. in Ledenb. p. 14. ff. Hogenb. p. 25. Horn. Hist. Eccl. per 3. art. 2: 16. sqq. cum not. Leidekk. (x) Sentent. in Barnev. p. 8. Ledenb. p. 20. (y) In Barnev. p. 8. Ledenb. p. 19. (z) Læt. Hist. cit. p. 505. 510.

plius inhibitæ (*a*) reſtituuntur : Synodi auſpiciis, *Calendæ Majæ anni decimi Octavi*; ob nova impedimenta, *Calendæ Novembres* aſſignantur. Ita Deus, ut frequenter alias, deſperantes tempore levavit timore.

Locus illuſtri Conſeſſui deſtinatus, Urbs Hollandiæ primaria & Metropolis, olim Dureti forum, hodie *Dordrechtum* nuncupata. Ante annos ab hinc trecentos quatuor concurſu fluminum, quæ eam a continenti abroſerunt, Brabantiæ enim cohærebat, in Inſulam deducta: (*b*) Viros optimos ad Eccleſiam tranquillandam undique convocatos ubique excipere idonea, parata.

Medicam manum Eccleſiæ adhibere juſſi, certus Belgii Paſtorum & Seniorum ab ipſis Provincialibus Synodis deligendus numerus: præter Profeſſores Theologiæ celebriores. Et quia Remonſtrantes conſenſum cum exteris Eccleſiis jactabant, Theologi ex M. Britannia, Gallia, Palatinatu, Brandeburgo, Haſſia, Helvetia, Wetteravia, Brema, Emda convocati. Gallorum præſentiam Eccleſiæ Belgicæ admodum deſiderabant, ſed Remonſtrantium animula, advocatus & conjurati, Ordinum nomen ementiti, Chriſtianiſſimo Regi Epiſtolâ auctores ſunt, (*c*) *ne quen-*



(*a*) Act. dordr. I. 84. Coccej. orat. Funebr. Maccov: (*b*) Ven. Breitinger. Hiſt. Syn. dordr. Mſc. (*c*) Sentent. in Barnev. p. 2, Hogerb. p. 26. in Grot. p. 36. ſq.

*quam ex sua ditione ad Synodum venire fineret, sed Hollandis potius adversus cœterorum Belgarum factiones opem ferret.* Synodi enim Nationalis *convocatione id agi, ut Supremis Magistratibus, Nobilibusque & spectatissimis Provinciarum Vasallis jura Collationis & Patronatus adimerentur.* Quis non piaculare scelus abhorreat! Iidem *tentaverunt & exquisiverunt Episcoporum* Britannorum *judicia, ut si amplius obsisti non posset, saltem quidam eorum ad Synodum venirent, qui novitati opinionum non adversarentur.* Abfuerunt etiam Brandeburgici, sed idoneas absentiæ hujus rationes Sereniſſimus Elector ad Belgii Ordines perscripsit. (*d*)

Lite pendente, Remonstrantes Ecclesiarum Helveticarum, quidni & aliarum? sententiam scriptis ad eos literis (*e*) percontati sunt. Sed nostris consultius visum literas intempestivas silentio dissimulare. Invitati ad Synodum per literas, imo per Delegatum Ordinum Generalium. Mauritii etiam, Guilhelmi Ludovici, ipsiusque Electoris Palatini litteras. Synodi frequentatio res soliciti plena timoris eis visa: quippe qui ex ejusdem generis fluctibus Samuelis Huberi importunitate concitatis, vix enatâssent. (*f*) Quia tamen Belgæ Helveticam Ecclesiam Matrem suam profitebantur, jamque Doctrinam ab eis hausſtam per

(*d*) Act. dordr. I. 243. sq. (*e*) Minister. Tigur. rationes, cur Theologi Dordracum mittendi videantur? §. 5. in Actis dordr. Msc. Ven. Breiting. (*f*) Loc. cit. §. 2. 3.

per eosdem defendendi avebant: quia etiam utraque dissentientium pars, ad Confessionem Helveticam, & Helveticorum Theologorum, Bullingeri inprimis scripta provocabant, Tiguro Joh. Jacobus Breitingerus, Antistes: ab aliis Ecclesiis alii (ff) missi.

Haud multis ante Synodum diebus, (g) pio Ordinum decreto, universum Belgium solenni jejunii & precum die, Deo supplex fuit, ut per Synodum, benedicente Deo, Ecclesiæ tranquillitas, Civibus Concordia restituatur. Dum Romanus Clerus alia omnia in votis habens, sacerrima Missarum sacra passim demurmurat: Sed Deus horum, ut olim Bileami, Magistri & Pontificis eorum, susque deque habuit, incantationes.

E singulis Belgii Provinciis duo denominati, qui ordinum Generalium instructi auctoritate, continuò Synodo adessent, omnes ejus actiones moderaturi, quorum Princeps fuit *Martinus Gregorii* U. J. D. Ducatus Geldriæ ac Comitatus Zutphaniæ Consiliarius primarius. His inclutus *Daniel Heinsius* à secretis fuit.

Synodus ipsa, enixissimâ ad Deum prece præviâ, Idibus Novembr. Anni XVIII. *primam*



(ff) *Bernâ* D. Marcus Rütimeierus S. Th. D. & Eccles. Bern. diacon. *Basileâ*: d. Sebastianus Beckius S. Th. D. & N. T. Profess. & d. Wolfgangus Mejerus S. Th. D. & Pastor ad S. Albanum. *Schafusio*, D. Conr. Kochius, Decanus. (g) Act. dordr. I. 14. sqq.

manum operi admovit. *Ultimam* VII. Iduum Maji anni proximi, sessione quinquagesimâ quartâ supra centesimam imposuit. Synodi suffragiis potioribus ex Theologorum Ordine Præses electus est Joh. Bogermannus Leovardiensis Pastor. Maturé non pauci, sed tredecim; non gregarii milites, sed *primarii* Remonstrantium Theologorum, qui in *Causa hac maxime exercitati habebantur*, Simon Episcopius, Joh. Arnoldus Corvinus, & quotquot ad eorum aquilas stabant, à Synodo evocati, *sententiam* suam Synodo liberè *proposituri*, & *quantum possent ac necessarium judicarent defensuri.*

Comparuere illi quidem, non sine omni cunctatione tamen. Quoque studio hactenus ne Synodus convocaretur, obstrepebant; eadem contentione, ut Synodus vel disturbaretur, vel operam luderet, ab ea citati satagunt.

Primum atque in Synodi conspectum veniunt, quod Sessione XXII., octavo ante Idus Decembres contigit, *Collationem* à Synodo secum institui desiderârunt. Sed noluit Synodus solennem aliquam tanquam inter partes, aut pædagogicam quandam instituere disceptationem. Enim veró quis velitationum, exceptionum, instantiarum, erat futurus finis? Quis usus? Synodo ab Illustrissimis Ordinibus & Ecclesiis, judicum partes demandatæ erant; simul insinuatum, ne quid-

quam

quam, gloriâ *Dei*, *Eccleſiæ tranquillitate*, & *conſervatione puritatis doctrinæ antiquius haberet.* Id quò fieret, & liquidò appareret, Seſſione vigeſimâ quintâ, Deo, Ordinibus, Eccleſiæ ſolenni juramento promiſêre, (*b*) ſe in examine, judicio & deciſione notiſſimorum quinque controverſorum Articulorum, & difficultatum ex iisdem ortarum, *ſolum Dei verbum, non autem ulla humana ſcripta, pro certa atque indubitata fidei regula adhibituros.*

Illa tamen Collationis repulſa, veluti globus aliquis igneus, Remonſtrantium animos, quos iniquiſſimos attulêre, veluti ex pulvere pyrio conflati fuiſſent, ita incendit, ut nullis Synodi rationibus, precibus, authoritate, æquitate temperari potuerint : Omni eorum operâ, curâ, vigiliâ eò collatâ & collocatâ, ut Synodum miſcerent, domeſticos cum exteris, hos inter ſe committerent : patientiam Patrum frangerent, ſui dimiſſionem eis extorquerent, mundi fabulam redderent. Eis haud invitis rumor per urbem ſubinde ſparſus, Helvetios in Remonſtrantium caſtra tranſiiſſe. Rabulas imitati, lites ex litibus ſerebant, proteſtationes proteſtationibus cumulabant, quotidie conciones juvenili petulantiâ acerbas, & dira carmina adverſùs Venerabilem Synodi præſidem, Illuſtres Ordinum delegatos, perque eorum latus adverſus ipſos delegantes, univerſamque Synodum



(*b*) Act. dordr. I. 61.

pronuntiabant, haud ſemel in mendaciis deprehenſi, eoque nomine uno Synodiore palam reprehenſi. Eis Optatus, ut Donatiſtis, dixiſſet, *ad infigendum morſum honoribus alienis, dentes veſtros in ſagittas & arma vertiſtis: linguas in cote livoris acuiſtis in gladios.* Quin & Synodo leges dictârunt, *ſine quibus nullam Synodum legitimam agnoſcerent* (*i*) cum quibus tamen inde ab Apoſtolorum exceſſu, nullum Concilium celebrari potuit, nullum celebratum eſt, nullus Eccleſiæ judicio relinquitur locus, heteroclita capita, quò leges illæ tendebant, ſibi ipſis permittuntur, ſoli in Eccleſia regnant, ſoli Spiritu Dei pollent.

Hæc Cantilena Venerandæ Synodi aures, octo continuis Seſſionibus pupugit; triceſimâ aliam occinunt, non minus inſuavem de libertate ſe ſuamque ſententiam defendendi ipſis denegata: quaſi libertatem proſcribant, qui ordinis, modeſtiæ, obſequii officia præſcribunt: De *quinque articulis* interrogati, non ex ſolis prioribus, ſive in Collatione Hagienſi dictis, ſive adverſus Walachros ſcriptis, nec ex Conſiderationibus in Catecheſin & Confeſſionem Ordinibus exhibitis: ſed ex præſentibus judicari voluêre: plurima enim ſe ab eo tempore didiciſſe. Nonnulla importunis Synodi flagitationibus extorta eis ſcripta: ſed in iis vel ambiguitatibus ludunt, vel calumniis lædunt, vel Verboſitate inani moleſti

(*i*) Ib. p. 65. ſqq.

lesti sunt: in omnibus suavem de Electione doctrinam vix extremis digitis attingunt, in nostra de Reprobatione doctrina exagitanda, ut in Dei gloriam injuria, pietati noxia, Zizaniis à maligno Spiritu sparsis, toti. Vitium hoc, corrigere jussi muscas imitantur, quæ vomicis, quam sanis corporis partibus insidere malunt, de (*k*) Creatione maximæ partis hominum, ad interitum: necessitate lapsus: pugna voluntatis Dei revelatæ & arcanæ commentantur. Quin ad unum de Reprobatione Caput, omnem causam suam relegant; *in hoc articulo* præcipuum totius controversiæ Cardinem versari: de eo in omnibus articulis atque argumentis primo loco agendum: conscientiæ suæ religione, & iræ Dei metu, cur hunc ordinem omninò observari à Synodo velint, se detineri.

Quâ quidem re Synodo nihil molestius, nihil se indignius comminisci potuissent. Quidni molestum id Synodo fuerit? Minimè sanè, quòd, ut Vir doctus, (*l*) nuper admodùm satis inofficioſè, nostros suæ de Reprobatione doctrinæ *pudeat*. Pudeat nos didicisse, profiteri, & tueri mordicùs, quod a Spiritu S. sibi dictatum S. Paulus Ecclesiæ tam perspicuè, tam constanter, tam studioſè tradidit? & Deo glorioſum esse tam solidé demonstrat? Sed quia Paulina doctrina, Paulino Spiritu, & modo, modeste, prudenter, sanctè, suo lo-



(*k*) Ib. p. 119. 124. sqq. (*l*) in Hist. sec. XVII.

loco & ordine tradenda & tractanda est. Indignum verò Remonstrantibus fuit, propter Dei in reprobos judicium, carni tam invisum, intellectu adeò difficile, conscientias electorum turbare, Ecclesiam scrupulis & strepitu implere; hominum justo Dei judicio rejectorum causam ita agere, ac si ad patrocinium eorum suscipiendum, ab eorum capite & duce, mercede conducti essent. Verum salva res est. *Liberum arbitrium Helena illa est sola, quam obtinere contendebant Remonstrantes: minus de Reprobatione, quam Libero arbitrio soliciti.* (*m*)

Felicem Ecclesiam Reformatam, cui tales Advocati obtigêre! Obmutescite jam, quicunque hactenus maledico doctrinam ejus dente rosistis! Hos conscientiæ Medicos consulite, quoscunque cura ejus mordet! Horum Magistrorum disciplinæ Vos tradite, qui gloriæ Dei illustrandæ, seculive morum emendandorum studio ardetis! Si nescitis, hoc est Christianum esse, hoc est Ecclesiæ ex Antichristi regno ad Christum vocatæ membrum esse, ruptis superstitionis & idololatriæ laqueis, hominibus se jungere, ex omni genere Christum ore profitentium confluentibus: excepta doctrina de vera Dei gratia, cuivis nova prurienti, libertatem prophetandi, i. e. sentiendi, profitendi, docendi ore & scripto, impertiri, quicquid falsi figmento aliquo in-

cre-

(*m*) Breiting. Act. dordr. Mss. sess. 46.

eruſtare, quicquid veri eludere ſciat. Abominationes Babelis multas Templo Dei inferre : libertatis arbitrii tuendæ cauſa, liberationem gratioſam per ſanguinem filii Dei, à maledictione Legis; &, per omnipotentem Spiritus S. in nobis operationem, à ſervitute peccati, evertere : in hominis manu eſſe, non minus ſtare, quam cadere; eorum doctrinam, qui hæc gratiæ in acceptis referunt, tanquam jugum excutiendam eſſe; hæc humanis viribus vendicantes pietatis eſſe Magiſtros ! Hoc nimirum eſt ſapere! Cum hæc & ſimilia piæ M. Breitingeri menti obverſarentur, ad *Senatum Tigurinorum Eccleſiaſticum* Dordraco ſcripſit : *Modeſtiæ ſanè vel charitatis limites non tranſilire putantur ii, qui Arminianos & Arminium ipſum, Chriſti religionis profanos irriſores fuiſſe exiſtimant.* (n)

Remonſtrantes & Ordinum Generalium literis, & ore ampliſſimorum Delegatorum, qui Synodum Ordinum nomine dirigebant; vel centies, etiam ſub contumaciæ pœna moniti, ut obloqui ceſſarent, moderata conſilia agitarent, in rem præſentem irent. Cum autem antiquum obtinerent, multoque jam tempore æquitati, patientiæ, manſuetudini Synodi, meras calumnias, fraudes, mendacia opponerent, jubareque meridiano clarius appareret, Dordrechti nihil ab illis agi, niſi ut tempus protraheretur, & ſumtus in immenſum cre-



(n) 4. Mart. 1619.

scerent, Synodus declaravit tandem, eos indignos, cum quibus de his rebus diutiùs ageretur; sicque 17. Jan. Sessione septima supra quinquagesimam, Synodo exire jussi, & dimissi : Urbem tamen deserere prohibiti sunt.

Navigium Synodicum his turbinibus sopitis, & hâc saburrâ liberatum, secundo vento plenisque velis ad portum festinavit, eumque ex voto obtinuit. Id quî factum, ut narrem, & Vos, Auditores, à me expectare mihi videmini, & fides vobis data mihi imperat. Eam ut exolvam neque vobis, neque mihi molestum futurum confido; quia dum id agimus, sensim ad littus provehimur.

Contemplamini & veneramini mecum Patrum vel nullam deinceps, vel exiguam expertorum difficultatem, in provinciæ suæ administratione, solidam *justitiam*, solicitam *industriam*, piam *prudentiam*, judicii *integritatem*, *harmoniam suavissimam*.

*Justitiæ* erat, quòd Remonstrantium sententiam ad Lydium Scripturæ lapidem exigere convocati, prius nihil habuerunt, quam accusatos audirent, eorumque de Prædestinatione & annexis capitibus mentem explorato tenerent. *De quo* enim *futura est disputatio, debet inter utrumque convenire quem sensum habeat.* (o) Ne viri illi Dei hic impingerent, nullum non moverunt lapidem, nullam non de-

(o) Hieron. adv. Pelag. dial. I.

devorârunt moleſtiam. Multis aliis occupatiſſimi, ab ipſis Synodi auſpiciis, ſtimulante ejus Præſide, utriusque partis ſcriptorum lectione, ad controverſiarum examen ſe præparârunt. Præſentes adverſarios religioſé multaque cum longanimitate, ut animi ſenſa de tanti momenti rebus promerent, anquiſiverunt : tergiverſantes luciſugas, *induſtriâ* juſtitiam ſublevante, in libris ſuis loquentes domi audiverunt. Quid ! quod nulla dies abiit, quin ſemel iterumve ad collationes publicas coiverint. Animus eorum erat arcus ſemper intenſus, reique fidei ſuæ commiſſæ intentus,

*Pietatis* erat, quòd jejuniis cum Belgio fœderato celebratis, Synodum & inchoârunt & terminarunt : quòd ſingulos confeſſus precibus publicis, tanquam ſale condierunt : quòd fidei, quam jurati Deo dabant memores, in meditationibus, dictis etiam ſuis, unicè ab ore Dei pependerunt. Non quid de conſiliis & viis Dei Eraſmus, quid Calvinus, Arminius, Gomarus, ſed quid Deus, qui Veritas eſt, in verbo inquam ſuo, puta ſcripto, quod veritas eſt, dixerit, ſoliciti. Hæc Dei vox, anima eſt Canonum ab eis formatorum.

Nec minor *ſapientia* & *prudentia* in hoc eorum ſtudio emicuit. Nega ſapienter & prudenter in hac provincia verſatos, qui, quid *Spiritus* de capitibus in dubium vocatis *Eccleſiæ dixerit*, à *Scribis ad regnum cœlorum* promovendum *eruditis* & aptis, diligenter conſiderari, de-

demonstrari, in medium produci, ad Spiritus S. stateram exigi: ex S. litteris hausta, non ab uno, sed à pluribus in breves Canones, in quibus Veritas per theses & antitheses masculé asseritur, Novatorum fraudes nervosé stringuntur, Ecclesia laborans solidé juvatur, & turbis futuris commeatus prudenter obstruitur, digeri, digesta semel iterumque publicitus sub incudem revocari voluerunt, curârunt.

Addite τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος divitias simplicitatis, & niveum Patrum candorem in opere hoc Domini, Spiritus Christi eos animantis & dirigentis certissimum indicium. Ut animalia in Prophetico Hasmal, *quo erat ventus ut irent, ibant: cum ibant animalia ibant rotæ apud illa; quia spiritus animalis erat in rotis.* Animalia & rotæ uno agebantur Spiritu. (*oo*) Ita & nostri unum erant Corpus, unus in iis Spiritus, unum cor: Ad unam omnes contendebant metam: Unam omnes contingebant. Tam *harmonicus consensus* & concentus, in numeroso virorum ex tot gentibus confluentium cœtu, in argumento si quod vis aliud est, difficili, adversariorum vafritie calumniis & sophismatum præstigiis involuto & polluto, hostibus inexpectatus, musteis hæresibus fatalis, Ecclesiæ, instar roris Hermonem fœcundantis & recreantis, suavissimus, omnibus admirationi fuit!

Quid-

(*a*) Ezech. 1, 12.

Quidni admirationi? Sancta hæc Synodus enim, aliqua Ecclesiæ Belgicæ παλιγγενεσία, quantam ei Metamorphosin conciliabat? Cardines ejus à pluribus lustris impune concussi: Mysteria sanctissima, explosa sibilo, vix eis nomen relictum; & ut Christus, in impia ejus per Pilatum cum Barnaba contentione, à Judæis impie rejectus, ita sacrilegi pessimi, naturam cum Gratia: Spiritum Dei, cum Spiritu hominis: libertatem filiorum Dei, cum servitute arbitrii & peccati: Scripturam cum ratione: lucem cum tenebris: vitam cum morte, iniqua suspendentes lance: naturæ, homini, servituti, tenebris, morti, si non primas, saltem non inferiores partes concesserunt; At Dordraci gratiæ vita, Electioni, æternitas: sanguini Christi nitor: Spiritui Christi, efficacia: Vitæ Christi, immortalitas restituta, Ecclesia à gravissimis mortibus & pravissimis insultibus liberata. Eorum authores Ecclesia, omnique ejus Ministerio, donec ad frugem redirent, eliminati: Omnes Confessionis Belgicæ Articuli, omnes Catecheseos dialogismi Synodo prælecti, rigide probeque examinati, & consentientibus omnium exterorum, domesticorumque suffragiis, verbo Dei consentire declarati. (p) Masculè omnia; mature; nec sine labore, brevi tamen, quod admirationem supra modum auget, tempore. Synodus

(p) Act. Dordr. I. 301. 317.

dus enim Syrtes illas, eminus, & obiter quidem, a nobis indigitatas prætervecta, intra quadrimestre præter propter spatium, hæc & plura expedivit: & Deus, boni ominis ergo, durante adhuc Synodo, illustres Belgii Ecclesias, Remonstrantium fermento infectas, commovit, ut sponte illud expurgaverint, & Ministros sinceri commatis à Synodo sibi dari flagitarint. Nec *gratiæ* tantum præsentis pignus, Synodus bonis viris videbatur, sed etiam *spei fulcrum*, perfidiam Pelagianam nullum deinceps ad Ecclesias Reformatas nacturam accessum.

Hæc illa Synodus est à *Belgii Ecclesiis*, doctrinæ veritatis, quæ est secundum pietatem studiosis, *vix expectata: extraordinario atque mirabili Dei beneficio congregata*: (q) quâ delectus illius ævi Theologorum Ecclesiæ Reformatæ flos constituit; cui similem Ecclesia Reformata nunquam viderat, ab eo tempore non vidit, utinam nulla deinceps colligendæ necessitas ei imponatur! Innumeris quibus Belgium fœderatum inclutum est triumphis, potior! Adamas inter gemmas, quibus Reipublicæ illius, ipsiusque Ecclesiæ Reformatæ diadema nitet! Panegyris, quæ sive causſæ ab ea discussæ, momentum, sive personas in illustri Theatro conspicuas, sive animum quem ad causæ cognitionem attulerunt, sive modum & methodum medendi, qua usi sunt, si-

ve

(q) Joh. Polyand. in Orat. Act. Dordr. I. 166.

ve ſucceſſum quo illuſtris cœtus nobilis & notabilis eſt, ſpectes, ad præcipuas cujusvis ævi Synodos, quam proxime accedit.

Caninis eam dentibus mordeant, & lacerent, Eſavitæ : inprimis Remonſtrantes! Applaudant his illi ungues in ulcere, quos fratrum Proteſtantium iræ mutuæ delectant! Opponimus univerſis ( rumpantur ut Ilia invidis ) Acta Synodica Illuſtriſſimorum Ordinum nomine publicata, ipſos Eccleſiæ hoſtes, in quorum frequenti concurſu Synodus plurima geſſit, tanquam ἀυτηκόος καὶ ἀυτόπλας, non erubeſcentia : & quibus qui fidem denegaverit, videat qua fide ipſe dignus, aut qua demonſtratione ipſe aut quisquis alius, ſuis aſſertionibus fidem conciliaturus ſit!

Eſt ergo quod Dei manum, oculos, ſpiritum veneremur, qui novos gratiæ Dei prædones & proditores obſervavit, notavit, Eccleſiæ ſuæ, & ejus in Belgio, & qua late Eccleſia Reformata patet, Defenſorum, Regum, Principum, Rerum publicarum Spiritum alacrem reddidit, ut gloriæ & cauſæ Dei Zelo incenſi, eam à periculo in quo adducebatur, aſſererent. Memoria eorum, qui ex utroque Ordine fidem ſuam Deo & Eccleſiæ tam religioſe, tam magnifice comprobarunt, ſit in benedictione!

Ne illi oleum operamque perdiderint, cimelium ab eis tam feliciter vindicatum, Eccleſiæ vere Reformatæ, præ quibusvis aliis cœtibus

tibus Christi nomen præ se ferentibus, peculium, non sine insigni nostra apud posteros, & quos non bonos? infamia: non sine ingenti nostro aliorumque damno, id pro quo alii ad sanguinem usque decertarunt, nullis nobis Chrestologorum, agyrtarum, sophistatarum argutiis & nugis, manibus extorqueri patiamur! Obvios quosque libros, sine delectu legere & admirari, Canina fames & sitis est, quæ promiscue panem & toxicum deglutit ex fonte & ex palude lingit; cum illis quorum *cultus rationalis est*, etiam τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, *rationale sincerum lac* appetendum sit.

Valeant nasutuli qui proram & puppim sapientiæ esse statuunt. Rationi adversum veritates solis radiis in Scriptura pictas, parati agœdianti & debacchanti habenas laxare: merces suas suco majoris profectus, aut compendiosioris methodi illinere: Libertati imo licentiæ, quidvis sentiendi, loquendi, primùm in conventiculis; mox etiam publice docendi, scribendi, conscientiæ dictamen, imo aculeum obtendere. Quasi Ecclesia, quæ peste laborantes, suum venenum quibusvis affricare prohiberet, aut quorum errores tamdiu moratur, donec ipsi confiteantur, conscientiæ suæ jam satis esse factum, non sit Libera. Ecclesia Lugdunensis in Gallia olim eheu! Reformata, in ipsis fere adhuc cunis vagiens, nonnullis Semipelagianismo gravidis, eam tentantibus graviter

viter, *ea* inquiebat *occasio si semel admittitur, ut liberum sit cuique quod volet & sentire, & defendere, difficile, imo impossibile postea fuerit à majoribus momenti scandalis aream domini repurgare.*

Fuit itaque Synodus Dordracena, estque etiamnum Illustrissimis Belgii Ordinibus, simul inexpugnabile adversus hostes utriusque libertatis, novos insultus minitantes, munimentum, & omni ære perennius pietatis eorum monumentum; *Hanc autem* gloriam, *Magnificentissimi, Amplissimi Viri,* Ordines potentia & sapientia præfulgidi, Antecessoribus, Avisque Vestris, quorum quidem anima in cœlo triumphat, nomen autem in terra immortale est, hactenus communem esse voluere, quod illos, ut Joabus fratrem suum, in victoriæ ad quam aspirabant consortium, invitarunt, & facile pertraxerunt. Horum æmuli *Patres* vestri, quanto in pretio Dordracenos Canones haberent, declaraturi, *consilio divinitus dictato*, (r) satagentibus pariter reliquis Helvetiæ Reformatæ Amplissimis Magistratibus, etiam Genevensi, *Formulam Consensus*, concinnari curarunt & receperunt, *sacrum & efficax futurum repagulum, ne quæ alibi, inprimis in doctrina de gratiæ amplitudine invaluere, opiniones sequiores, nostram quoque teneram juventutem, atque inde ipsas etiam Ecclesias nostras*



(r) ὁ μακαρ. P. Werenfels. parentat. Gl. Gernlero dict. p. 41.

*ſucceſſu temporis inficerent*, & vitiarent, quocirca & verbi divini in Patria Præconibus, & Naziræis *hanc ſerio legem dictam eſſe volunt*, *ne quisquam eorum animum inducat*, *ſive publice ſive privatim proponere dubium vel novum aliquod dogma fidei in Eccleſiis noſtris inauditum*, *verbo Dei*, *Confeſſioni Helveticæ*, *libris noſtris Symbolicis*, & *Synodo Dordracenæ repugnans*, *impugnans*, *in publica ἐπισυναγωγῇ fratrum ex Dei verbo non evictum atque ſancitum.* (s) Haud minus notoria univerſum orbem pietatis veſtræ laude, tanquam *εὐωδίᾳ* ſuaviſſima implentia, ſecundas faciente Deo, veritatis & pacis in Eccleſia, tutelæ veſtræ à Chriſto commiſſa conſervandæ ſpecimina, *Patres Conſcripti*, hodieque ipſi editis, vosque non minus veritatis quam Juſtitiæ Antiſtites præſtatis. Verbum enim Dei & cultum inde delineatum pius Magiſtratus non minus defendit, quam Mœnia. Quandoquidem Religio & Mœnia pari paſſu ambulantetia una ſorte utuntur: illa ſtante vel nutante, etiam mœnia vel ſtant, vel nutant.

Huc *Venerabiles*, *Clariſſimi*, *Excellentiſſimi Viri*, vota, huc conſilia veſtra, huc labores, otia, vigiliæ, ſponte feruntur, ut ſanctorum in ſacra veſtra provincia Anteceſſorum, & eorum qui vos in Chriſto genuerunt, memores, imitatores eorum ſitis, quemadmodum & ipſi Chriſti erant. Quantum Patribus ubique ſplendorem, quantam apud pios poſteros ve-

ne-

(s) Conſenſ. form. §. 26.

nerationem, conciliavit, quod inter tot aliarum Ecclesiarum, vel concussiones, vel etiam minas, nostra Ecclesia ad hæc usque tempora doctrinæ sinceritate gaudet. (*t*) Pridem & ipsi eo nomine hacatombas eo nomine Deo obtulerunt, & exteri Dei in nos beneficium altis tibiis deprædicaverunt. Utinam Deus hanc laudem sibi etiam præparet in Natis Natorum & qui nascentur ab ipsis! Ob operam hanc non soli Patriæ, sed reliquæ Ecclesiæ navatam, encomium nostrum meretur, magnus & in Doctorum Ecclesiæ nostræ choro, quod in Philosophorum corona Plato fuit, *Breitingerus* ille, tota vita de Ecclesia præclare meritus, seipso tamen major, cum inter Sidera illa Dordracena, ut primæ magnitudinis stella micaret, & in Theatro illo quotidianæ prudentiæ, moderationis, pietatis, vigilantiæ documenta daret: Collegii Helvetici illic moderator dexterrimus; & Bullingeri, cujus venerabili nomine Novatores vanissimè in rem suam sine modo abutebantur, integerrimus, ex Autographis, providentia Dei, pridie demum sui in Belgium discessus, inter alias Ecclesiæ Tigurinæ Archivi chartas, repertis, vindex. (*u*) Dignus qui redux & ab Amplissimo Magistratu, & à Venerandis Collegis aureo honoraretur munere: suoque tempore doctam



(*t*) Stukii verba p. 613. exterorum p. 650. Hottingeri 904. in hujus Hist. Eccl. Tom. 8. (*u*) Hotting. Hist. Eccl. Tom. 8. p. 918. sqq. 964.

de Fœderati Belgii παλιγγενεσία Orationem ex Cl. Collegæ ore audiret. Hujus, Anteceſſorum Collegarũ, ſucceſſorum ejus, cum Domino ſuo in cœlo piorum Doctorum gloria jam coruſcantium pietatem, ſcio, colitis. Si Spiritus, qui hos animavit, nos dum in hac militia ſpiramus, eorundemque coronam ſperamus, vegetat & movet, noſtrum quisque à S. Paulo ſibi dictum exiſtimabit: *Tu ô homo Dei, proſequere juſtitiam, fidem, charitatem, patientiam, &c. certa bonum certamen fidei &c. Denuntio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, ut ſerves præceptum* (non inquam in ſolo ore, ut piſcis didrachma, ſed vel maxime *in bona conſcientia.* Nam cum didrachma illud aliis profuerit, ad piſcem ipſum nullus inde redundavit fructus. Ita ſi præceptum Chriſti ore confeſſus fueris, non etiam credideris: ſi ſoli ori, non etiam cordi propinquum fuerit, etiamſi aliis fortaſſe utcunque utile fuerit, tibi tamen proderit nihil, imo plurimum oberit) *ut, inquam, præceptum ſerves, absque macula, absque reprehenſione, usque ad apparitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Etiam vos volo, qui in Eccleſiæ, Reive publicæ ſpem feliciter ſurgitis. Aetati veſtræ vanitas potiſſimum inſidiatur: aliis ſubtilitatis & ſapientiæ; aliis voluptatis, aliis alia ſpecie fucum faciens: omnibus inanitate ſua deluſura. Solidis opus eſt. Aditus ad ea nullis patet ſe ipſos admirantibus, ſuo inge-

nio

nio nitentibus, sed prudentibus, Deo se in disciplinam tradentibus. *Sic dixit Jehovah tuus, Sanctus Israëlis, ego Jehovah Deus tuus qui te condocefacio ad utilitatem qui te facio incedere in via in qua ibis.* (x) Sapientiæ nectar sititis? Oceanus ejus sunt S. literæ. Terque, quaterque beatum, quem, ut Paulus Timotheum suum compellare licet; *A puero S. literas nosti, quæ Te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.* Qui harum literarum lectionem meditationemque fastidiunt, amant more scarabæorum ἀπολείπειν τὸ μύρον, καὶ τὸ δυσώδη διώκειν, *suave olentibus neglectis fœtida sectari.* Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam corporis partem inchoatam reliquit. Studia & paginas S. rite tractantium, prima cura est, ut Christus in ipsis formetur. Nihil hic picturis, ne quidem politissimis; nihil fragmentis datur. Nec ingenium his opibus fœcundari sufficit. Totus Spiritus & anima & corpus, Christum & Spiritum Christi exhibere debent.

Denique meminisse convenit, quoties Dei gloria, Ecclesiæ peculium, animæ salus, conscientiæ tranquillitas in discrimen vocatur, omnibus Ecclesiæ civibus accurrendum esse: cum gratia Dei in controversiam vocatur, nemini bono manus in sinu gerendæ: nullus Ecclesiæ civis rude donatur. Præcipuum te-

 lum

(x) Es. 48: 17.

lum quod hoſtes ejus in eam intorquent, petitum eſt ab eorum, qui Pauli de Prædeſtinatione & capitibus ei affinibus doctrinam profitentur, moribus. Hos clamare, eam pietatis eſſe novercam, timoris amorisque Dei ſterilem, vel miſeræ deſperationis vel ſolutæ vitæ matrem, & nutriculam; non ergo bonam arborem, ſed ſenticetum eſſe. Si Dei filii ſumus, ſi Patrem cœleſtem amamus, ad has injurias, ejus verbo intentatas, nec ſurdi nec muti ſimus oportet. Si Chriſtum ἐν ἀφθαρσία *ſincere* diligimus, ora blasphemis obſtruemus; non caſtris Pauli deſertis in caſtra oppoſita concedendo; *Maneamus in eis, quæ didicimus, & de quibus nobis fides facta eſt, ſcientes à quo didicerimus.* (y) Nec ſatis eſt veritates has ex Paulinis aliisque divinis ſcriptis demonſtrari à nobis poſſe. Sed innocentia & integritate morum, & doctrinæ & conſcientiæ noſtræ conſulemus: ſimul illius puritatem hujusque tranquillitatem aliorum oculis ſubjecturi. Hac clava & calumniarum & errorum monſtra, & lupos caula Dei propellemus; Ita *ſanctificabitur nomen Dei, adveniet regnum ejus: voluntas ejus in terra fiet, quemadmodum in cœlo.* Cumque piæ aſſiduæque preces clavis illa ſint, qua hæc noſtra, cujuscunque Ordinis & ætatis ſimus, gaza reſeratur, palmas mentemque ad Te Regem Regum, gratiæ omnis fontem & Ocea-

(y) 2. Tim. 3: 13.

Oceanum, hæreditatem noſtram, nos convertimus: Tu ante jacta mundi fundamenta nomina noſtra libro vitæ agni, manu Tua gratioſe inſcripſiſti: Tu nos operum tuorum Colophonem, ad imaginem tuam finxiſti; à Te aberrantes Verbo gratiæ Tuæ ut gallina pullos ſuos evocas; ſervos Satanæ brachio Tuo in libertatem Dei aſſeris: Refinge magis magisque corda noſtra ad imaginem tuam eisque legem Tuam inſcribe, ut nunquam à Tui amore & timore recedamus. A paſcuis Tuis deviantes, magne ovium Paſtor, humeris tuis impoſitos, in communionem Tui reſtitue. Vindica Eccleſiam Tuam, ſponſam, corpus, turturem tuum, inprimis Palatinum ex unguibus & faucibus deglutientium eum. Sit almus Magiſtratus noſter, porro nutritius Eccleſiæ, pergat gloriam ſuam omnem Civitati Tuæ inferre; hujusque ſplendore viciſſim in eam redundante, regni Tui gloria & univerſa decora, magis magisque intra Patriæ fines niteant. Sint Patriæ Patres totidem *Iſraëles*, qui ſive tecum per preces, ſive cum hominibus per decreta & conſilia ſua certent, in omnibus ὑπερνικῶσι *ſemper victorioſi exiſtant*, Tuo præſidio adverſus omnes hoſtes tecti & tuti: Tua benedictione omnis boni cornucopiæ, & promptuarium, exulum aſylum, Tuæ deliciæ! Sint noſtri Doctores *Jeremiæ*, columna ferrea & murus æneus adverſus quosvis gloriæ, veri-

„veritatis, ſanctitatis Tuæ aggreſſores. Tuum „in eorum ore verbum, malleus ſit ad adver„ſarios ejus contundendos: & ignis ad pa„leas, vepres, ſtipulas conſumendas. Sint „*Eſaiæ*, quorum labia pruna ab altari Tuo „ſanctificata ſint; *Pauli*, qui omnia omnibus „fiant, & per quos omnium, ad quos eos mit„tis, oculi & corda aperiantur, ut illumi„nati & converſi *remiſſionem peccatorum*, & „*ſortem inter ſanctificatos accipiant, quæ eſt per fidem „in Te!* (z) Sint Collegia, Claſſes, familiæ Ti„gurinæ univerſæ, officinæ veritatis, tuguria „ſanctitatis, paradiſus charitatis! Omnis po„pulus tuum ſit peculium: ſanctus ſit; pupil„la tua ſit; Terra noſtra Templum ſit, cujus „extremitates fimbria tua impleas! ſanctifices! „vivifices! *Habita, ô ſancte! gloriationes Iſraëlis!* „(a) *Totam terram gloria tua impleat!* (b)

Dixi.

(z) Act. 26: 18. (a) Pſ. 22: 4. (b) Eſ. 6: 3.

II.

# GERHARDI OUTHOVII,

## ad locum JACOBI V: 16.

### *Observatio.*

### ARGUMENTUM.

Δεησις notat *deprecationem* §. 1. vi vocis, petitionem rei, qua *indigemus* §. 2. Vel potius generaliter *preces* in S. Script. §. 3. Apud scriptores ecclesiasticos §. 4. & profanos §. 5. Unde male semper vertitur *deprecatio* §. 6. Quid sit homo δικαιος. Locus Prov. XV: 8. §. 7. 8. Vox ἐνεργουμενη an vertenda sit *efficax*. §. 9. & quo sensu ita oratio justi dici possit §. 10. an *continuata* & ardens §. 11. Sed vertenda *passivè*; Ενεργειν quid sit. Locus Gal. II: 8. §. 12. Ενεργεισθαι semper *passive* sumitur §. 13. Quod probatur per inductionem locorum, quae illustrantur Rom. VII: 5. 2. Cor. IV: 12. §. 14. 1. Thess. II: 13. 2. Thess. II: 7. §. 15. Ut & vox Ενεργουμενη, ut patet ex 2. Cor. I, 6. Gal. V, 6. §. 16. Eph. III, 20. Col. I, 29. §. 17. 18. Ενεργουμενοι: Ενεργημα §. 19. Oratio ἐνεργουμενη est precatio à Sp. S. formata. Ille auctor precum. Locus Rom. VIII, 26. §. 20. Quomodo de oratione dicatur πολυ ισχυειν; §. 21. Vis & efficacia precum, Jac. V, 17. illustratur §. 22.

Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίε ἐνεργεμένη.

§. 1.

Quatuor ad hunc obſervo Locum.

1. quid ſit δέησις *oratio.*
2. quid ſit δέησις δικαίε, *oratio juſti.*
3. quid additum participium ἐνεργεμένη notet.
4. Prædicatum, πολὺ ἰσχύει, *multum valet.*

VOx Δέησις a multis vertitur *deprecatio*, Belgice, *afbiddinge*, adhibita ad avertenda mala, ſeu qua rogamus liberari malis urgentibus. Sic ſumitur a Theodoreto *in* 1. *ad Timoth. cap.* 2. δέησις ἐστιν, ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινῶν λυπηρῶν ἱκετεία προσφερομένη, i. e. *deprecatio eſt ad malorum quorumpiam depulſionem oblata ſupplicatio.* Sic quoque Theophylactus ad eundem loeum, δέησις ἐστιν ἱκετηρία προσφερομένη ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινῶν λυπηρῶν, i. e. *deprecatio eſt ſupplicatio oblata pro liberatione a rebus triſtibus*, quam ſignificationem Beza approbat, ac derivat verbum δέομαι, παρὰ τὸ δέος, id eſt, a *timore* in *not.* ad *Act.* 1: 14.

§. 2. Verum ita Δέησις in ſacra ſcriptura, uti & verbum δέομαι, aliquando quidem occurrit, ſed rarius. Et, ſi vim vocis ſpectemus, ſignificatur per δέησιν talis *oratio*, vel *precatio* qua noſtram apud Deum teſtamur *indigentiam*, ſeu *egeſtatem*: ἀπὸ τῦ δεῖσθαι, *indigere*, *opus habere*, uti ſic apud Herodianum δεῖσθαι τινος, *opus habere re aliqua*, δεῖσθαι ὅπλων, *indigere armis*,

*mis*, occurrit, *l.* 2. *c.* 8. *com.* 15. *lib.* 8. *c.* 2. *com.* 11. ſic apud Ælianum lib. 13. c. 1. v. h. & lib. 13. c. 28. pro *opus habere*, *indigere* & ſic paſſim apud alios græcos ſcriptores, apud quos δέησις quoque notat *indigentiam*, *egeſtatem*, unde & ἔνδεια *indigentia*, ἐνδεὴς, *indigus*, *cui aliquid deeſt*, ἔνδεια, *penuria*, ἐνδεῖ, *opus eſt*, *deeſt*, & quæ ſunt alia. Quare Harpocration in libro περὶ τῶν λέξεων *pag.* 43. ait, δεήσεις, ἀντὶ τῦ ἐνδείας. Eſt ergo δέησις *petitio ejus* ἃ δεόμεθα, *qua indigemus*: uti Gregorius Nazianzenus carmine Jambico 15. ait, δέησιν ὅιε, τὴν αἴτησιν ἐνδεῶν, i. e. *exiſtima* δέησιν *eſſe petitionem eorum*, *quæ tibi deſunt*..

§. 3. At ſi uſum vocabuli δεήσεως, & verbi δεῖσθαι, ſequamur, comperiemus, δέησιν tá apud Sacros ſcriptores, quam apud eccleſiaſticos ac profanos, in genere notare petitionem aut precationem quamlibet, etiam αἴτησιν ἀγαθῶν *petitionem boni*, *æque ac* προσευχὴ ex gr. *Luc.* 1:13. ubi Angelus Zachariæ pro filio oranti reſpondit, μὴ φοβῦ Ζαχαρία διότι εἰσηκόσθη ἡ δέησις σε καὶ ἡ γυνή σε Ἐλισάβετ γεννήσει υἱόν σοι, ſic 1. *Pet.* 3:12. *nam oculi domini ſunt intenti in juſtos*, & *aures ejus* (εἰς δέησιν) *in precationem eorum*: qui locus deſumptus eſt ex pſalmo 34: 16. ubi in Hebræo textu eſt שועה i. e. *clamor*, *vociferatio*, *quiritatio*, qua ſalus petitur, à שוע *vociferari*, & ubi á LXX. interpretibus adhibetur δέησις uti etiam Pſ. 40:2. a quibus hæc vox δέησις quoque ſumitur pro תחנה i. e. *ſupplicatio*, *qua aliquid ab immerito favore ob*

*indi-*

*indigentiam boni petimus*, ut Coccejus ait ad *Pſ.* 55: 2. vide etiam *Pſ.* 130: 2. nam תחנה *ſupplicatio favoris*, eſt ad rad. חנן *gratiam fecit, gratioſe largitus eſt*, & ſic תחנה eſt *ſupplicatio favoris ab eo, qui dives eſt gratia, ad condonandum & donandum*, ut Witſius ait, *exercit.* 1. §. 10. *de oratione.* Et hanc ſupplicationem LXX. interpretes etiam per δέησιν exprimunt, quam vocem ſacri ſcriptores ſæpe pro precatione in genere uſurpantur, & Belgæ aliquando *een gebedt*, aliquando *eene ſmeekinge* uti & δέεσθαι per *bidden ſmeeken*, interpretantur, vide *Luc.* 10: 2. *Act.* 1: 14. 21: 39. 26: 3. 2. *Cor.* 5: 20. *Gal.* 4: 12. *Luc.* 1: 13. 2. *Cor.* 1: 11. 9: 14. *Philip.* 1: 19. 4: 6. *Eph.* 6: 18. 1. *Timoth.* 2: 1. 5: 5. & alibi.

§. 4. Sic ſumitur à ſcriptoribus eccleſiaſticis, ut à Chryſoſtomo *homil.* 134. *t.* 5. δέησις λέγεται, ὅταν τὶς τὸν θεὸν ἀξιοῖ εἰς πρᾶγμα, *petitio dicitur, quando Deum aliquis rogat rei cujusdam gratia.* Sic idem *in Pſalm.* 102. δέησις δηλοῖ τὴν αἴτησιν τὴν περὶ ὧν βούλεται ὁ προσευχόμενος αὐτῷ δεομένῳ παρασχεθῆναι, i. e. δέησις *indicat petitionem eorum, quæ is, qui precatur, ſibi petenti dari petit.* Hinc δέησις eſt non tantum *deprecatio*, ſed etiam, & ſæpius, *precatio, oratio, petitio, obſecratio, ſupplicatio*, & pl. δεήσεις ſunt *preces* ut Suicerus notat, ex gloſſis optimis, *in obſerv. ſacr. cap.* 6.

§. 5. Et ſic δέησις quoque apud ſcriptores græcos profanos ſumitur pro *precatione*, aut ora-

*oratione*, ubi & δεήσεις pro *precibus* & δέεσθαι, pro *orare*, *rogare*, *petere*, *precari*, *ſupplicare* &c. Sic ex. gr. apud Iſocratem *in Plutaic. p. m.* 586. *edit.* 1609. legitur, δεόμεθα οὖν ἡμῶν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετ' εὐνοίας ἀκροάσασθαι &c. *oramus igitur, Athenienſes, ut cum benevolentia nos audiatis.* & *pag.* 604. *in eadem oratione*, dicit, καὶ τοι πολὺ περὶ μειζόνων καὶ δικαιοτέρων ἥκομεν τὰς δεήσεις ποιησόμενοι, *præſertim quum nos propter res multo majores & æquiores vobis ſupplicemus*, ubi δεήσεις ποιεῖσθαι, *preces facere*, eſt pro δέεσθαι, *precari*, *orare*, ut ἱκεσίας ποιεῖσθαι, *ſupplicationes facere*, *in orat. de permutat.* eſt, pro ἱκετεύειν *ſupplicare* qua locutione δεήσεις ποιεῖσθαι, Lucas quoque utitur *Luc.* 5:33. ubi de diſcipulis Johannis dicitur, quod νηστεύουσι πυκνὰ καὶ δεήσεις ποιοῦνται, *crebro*, ſeu *frequenter*, ſeu ut quidam exponunt *prudenter*, *jejunant*, & *precationes faciunt.* Sic etiam Paulus *Philip.* 1: 4. *Semper in omni* (δεήσει) *precatione mea*, ſeu *in cunctis orationibus meis*, *pro omnibus vobis*, *cum gaudio* (δεήσιν) *precationem faciens*, i. e. *orans.* Et ſic δέησις ſæpe ſumitur a Demoſthene, pro *precatione*, ſeu *petitione*, ut δέεσθαι pro *orare*, *rogare* ſeu *petere*, ſic *orat. in Aphob.* 3. *pag.* 560. c. δέομαι δὲ ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, δικαίαν δέησιν, ἐξ ἴσου ἡμῶν ἀμφοτέρων ἀκοῦσαι, *peto autem, Judices, æquam petitionem a vobis, ut ex æquo utrumque noſtrum audiatis.* Sic *in orat. adv. Macaſtat. pag.* 660. a. & *in Evergum. pag.* 685. a. eadem occurrit locutio. Sic πολλαὶ δεήσεις, *multæ preces*

ces

ces, apud eundem *in Midiam. pag.* 385. Sic γίνεσθαι δέησιν παρά τινος, *fieri preces ab aliquo de falsa legat. pag.* 200. b. Sic περὶ πλείονος ποιεῖσθαι τὰς δεήσεις τινὸς, *pluris facere preces alicujus, orat. in Aphob. I. pag.* 556. *a.* Et sic δέεσθαι sæpissime pro *orare, rogare, petere,* imo *supplicare,* apud eundem occurrit. Et ut δέεσθαι est *rogare,* seu *aliquid petere,* sic ὑπηρετεῖν τῷ δεηθέντι, *concedere aliquid petenti,* occurrit *in orat. adv. Timoth. pag.* 701. *a.* Et sic passim apud alios scriptores Græcos. Sic Ælianus *Var. hist. lib.* 3. *c.* 12. αὐτοὶ γοῦν δέονται τῶν ἐραστῶν ἐσπνεῖν αὐτοῖς, *ipsi ergo rogant amatores,* vel *ab amatoribus petunt, ut sese ament.* Vide etiam *lib.* 7. *cap.* 20. & *lib.* 2. *cap.* 32. in quo ultimo loco occurrit de interrogante, seu consulente oraculum, διά τινα αἰτίαν δεόμενον χρησμοῦ *quadam de causa oraculum interrogasse,* seu *consuluisse.* Et uti δέεσθαι sic etiam sæpius ab Herodiano sumitur pro *orare, rogare, implorare, orare* μετὰ δακρύων *lachrimis,* δέεσθαι συγγνώμης, *rogare veniam,* δέεσθαι ὑπὲρ σωτηρίας *pro salute rogare,* vide *l.* 2. *c.* 14. *com.* 4. *l.* 1. *c.* 3. *com.* 7. *lib.* 7. *c.* 5. *com.* 8. *lib.* 3. *c.* 2. *com.* 7. sic δεήσεις etiam pro *precibus,* aut *obsecrationibus* sumit idem auctor *lib.* 8. *cap.* 4. *com.* 25. ubi de Maximino Thrace, Aquilejam omni vi frustra oppugnante, ait, ὑποσχέσεσί τε οὖν δωρεῶν καὶ δεήσεσιν αὐτός τε καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὃν πεποιήκει καίσαρα, περιθέοντες ἵπποις ἐποχούμενοι, τὸν στρατὸν ἀνέπειθον λιποῦσι, εἰς προθυμίαν τε ἐγείροντες,

quem

quem locum interpres Angelus Politianus ita vertit, *Quocirca multa pollicentes atque ostentantes, ipse cum filio, quem Cæsarem fecerat, obequitabant militibus, eosque ad pugnandum acriter adhortabantur.* ubi forsan pro δεήσεσι, *precibus*, legit δείξεσι, *ostentationibus*, quia vertit, *ostentantes*, ut B. Scheidius in indice quoque observat, at cujus Lectionis nullam video rationem, ita igitur hunc Locum verto, *promissionibus igitur munerum & precibus ipse & filius ejus, quem Cæsarem fecerat, equis vecti circumcurrentes*, vel *obequitantes*, *exercitui persuadebant supplicantes, & ad pugnam excitantes.* Sic enim ὑποσχέσεσι δωρεῶν μεγάλαις, *promissionibus munerum magnis*, apud eundem Herodianum occurrit, *lib. 1. cap. 10. com. 2.* quibus *promissionibus munerum* ut & δεήσεσι *precibus*, exercitui supplicantes persuadebant ad acriter pugnandum in hac molestissima obsidione, & sic ἐλιπάρει καὶ ἐδέετο, *supplicabat & orabat*, conjunctim legitur *lib. 3. c. 12. com. 20.* uti & ὑποσχέσεσι καὶ ἐλπίσιν ἀναπείθων *promissionibus & spe alliciens*, vel *persuadens*, *lib. 2. cap. 9. com. 17.*

§. 6. Miror igitur, quare multi interpretes hanc vocem δέησιν fere ubique in Novo Test. vertunt *deprecationem*, (a) *in qua*, ut Cicero lo-

(a) Puto autem illâ haud aptiorem vocem ab Interpretibus potuisse adhiberi, quod ex usu Latinissimorum scriptorum *deprecari* dicantur, non solum illi qui recusant aliquid, ne habeant, sed & qui expetunt,

loquitur, *non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur, de invent. l. 2. cap. 34.* Nam ex dictis patet quod δέησις magis *petitionem boni*, aut in genere, *petitionem, precationem* quamlibet, imo *supplicationem* notet, quam *deprecationem*, qua rogamus depulsionem mali. Quare Ulpianus Rhetor *enarrat. in orat. Demosth. de corona, pag. 67. b.* ad hæc Demosthenis verba, ἀξιῶ καὶ δέομαι πάντων, *peto & oro vos omnes*, ita loquitur, τὸ μὲν ἀξιῶ, τὸ δίκαιον νομίζω, ὑπολάβοι ἄν τις: τὸ δὲ δέομαι, σαφῶς τὸ ἱκετεύω δηλοῖ *nam* ἀξιῶ, *pro justum censeo, possit accipi:* δέομαι *autem perspicuè significat supplico.*

§. 7. Sed pergamus. Loquitur Apostolus hic de precatione *justi*, δέησις δικαίου, scil. ἀνθρώπου, *hominis.* Lato sensu ἄνθρωπος δίκαιος dicitur *homo bonus, probus, sincerus, integer vitæ ac morum*, qualem Hebræi etiam vocant יָשָׁר *rectum, quique*, ut Augustinus ait, *dirigit* cor

tunt, ut habeant. Vide, quae in hanc rem notata sunt a doctissimo Fratre meo praecedenti fasc. p. 358, 359. Locis ibi adductis addimus Cicer. ep. 7. L. IV. ad fam. *Te multae & assiduae lacrymae C. Marcelli deprecantur.* Cum hoc loco confert aliam P. Manutius ex Or. Cic. pro Marcello. *Cum M. Marcellum deprecantibus vobis conservavit.* Sed nescio, num illa significatio huic loco conveniat, cum *deprecantibus vobis* melius videatur verti posse; Da ihr für mich eine Fürbitte einlegetet. Clarior est locus ex Or. ad Quir. post red. c. 6. *Italia semper a vobis me deprecata est.* Recte itaque δέησιν transferunt *deprecationem*, cum utraque vox preces notet, quibus tam ad averruncanda mala, quam impetranda bona utimur. T. d. H.

*cor ſuum ad voluntatem Dei*, & cujus oratio Deo dicitur grata, *Prov.* 15: 8. *oratio rectorum beneplacitum ejus.* Ubi tamen per יְשָׁרִים intelligerem tales *rectos*, qui vere pii ſunt, quique, ut regeniti Spiritu Sancto, ac fide ſincera in Meſſiam Chriſtum, Deum rectè amant, diligunt ac colunt, quorum oratio opponitur ſacrificiis ſumptuoſis impiorum, ut Lavaterus recte obſervat, addens, *ſi pii aliquid a Deo petant, vel pro acceptis beneficiis ei gratias agant, gratius eſt Deo, quam ſi impii hecatombas ei offerant. Si pii exiguum munus Deo afferant, pluris facit, quam ſi impii ingentes theſauros offerant.* Imo addo cum Gejero, *Etiam ſi Ethnicus ſuo quoque more preces profuderit efflictim, etiam ſi infinitis* βαττολογίαις *Turca unum ſollicitaverit Deum, non tamen meliori eædem loco habentur, quam impiorum ſacrificia, cum neſciant tales, quid adorent, Joh. 4: 22. inanemque ſtrepitum verba illa efficiant, non veram orationem.* Quia vera oratio, quæ Deo placebit, a nemine poteſt fundi, niſi qui יָשָׁר *rectus*, i.e. vere pius eſt: & quia absque fide in Chriſto nemo vere pius dici poteſt, ſequitur quod is vere pius eſt, qui fide in Chriſtum purificatum poſſidet cor, quo Deum rectè ſecundum ſuam voluntatem colit, amat, ac diligit.

§. 8. Et ut ex hac deſcriptione יָשָׁר concludi poſſet, quod talis pius idem ſit ac δίκαιος, quia nemo pius eſſe poteſt, niſi qui prius juſtificatus eſt coram Deo: ſic hoc loco per

δίκαιον, *justum*, intelligo non talem, qui perfectè justus est, qualis datur nemo in hac vita, Jac. 3, 2. 1. Joh. 1, 8. Ps. 143, 2. sed verum fidelem, qui ob merita Christi justificatus est coram Dei tribunali, qui hæc Christi merita vera fide amplectitur, & qui sic purificatam justamque habet conscientiam per fidem, imo qui regeneratus per Spiritum Sanctum universam suam vitam secundum præcepta Dei sanctissima instituit, & indies magis ac magis instituere satagit.

§. 9. Hujus oratio Deo displicere non potest si modo rectè instituatur, vel formata sit, idcirco additur, quomodo *oratio justi*, si multum valebit, debet esse, nempe ἐνεργουμένη. Quod participium Calvinus, Beza aliique varii interpretes vertunt *efficax*, uti & Belgæ habent, *een kragtig gebedt*. Fateor, quod hoc participium, sensu tamen admodum remotiori, ita quidem verti posset, quatenus omne id, quod Deus per Spiritum Sanctum in fidelibus suis operatur, efficax & firmum est. Hinc ἐνεργουμένη, notante Knatchbul ex Hesychio, explicatur ἐνεργὴς, ἰσχυρὸς, δυνατὸς *efficax, potens, validus, fortis, potenter operans*. Uti & Joh. Cameron *in Myroth. Evangel.* ad hunc locum dicit, δέησις δικαίου ἐνεργουμένη hoc est, *oratio facta in fide, quæ constans est & firma, nam quod validum & firmum est, illud in scriptura dici solet* ἐνεργούμενον. Hoc ultimum dicitur, sed non probatur, nec ἀποδεικτικῶς probari potest, quia

quia hoc participium ἐνεργουμένη tantum quinquies in toto Novo Teſt. in fœminino genere occurrit, & ubique paſſivè poteſt exponi, ut ſtatim oſtendam : adeo ut hoc ita abſolutè dici non poſſit, quod omne id, *quod validum & firmum eſt, in ſcriptura dici ſolet* ἐνεργουμένον: quia hoc participium nullibi ſic in neutro genere occurrit. Qui activè exponunt, dicunt quidem, quod ἐνεργοῦμαι ſit mediæ ſignificationis, quare ἐνεργουμένη tum quoque active vertitur, *operans*, *agens*, *efficax*, &c. At vero, ſi ſic interpreteris, vel ſuperfluum videtur illud πολὺ ἰσχύει *multum valet*, vel hoc participium ἐνεργουμένη *efficax*; quia quod *multum valet*, illud eſt *efficax*, & quod *efficax* eſt, id etiam *multum valet*; imo quia multum valet, ideo eſt efficax, & quia eſt efficax ideo etiam multum valet : eſſet igitur, quaſi diceretur, *oratio juſti efficax, eſt efficax*, & ſecundum Belgas, *een kragtig gebedt des regtveerdigen is kragtig*. Quod idem per idem eſſet dictum.

§. 10. Quis ergo non videt, hoc participium ἐνεργουμένη hoc loco aliter eſſe reddendum ? Viderant hoc etiam interpretes, ideo quidam ut Pareus & alii ſic exponunt, ut illud epitheton *efficax non tam ſubjectum Limitet, quam attributum augeat, quaſi dicat, multum valet, quia nunquam otioſa vel irrita eſt, ſed ſemper efficax, a Deo impetrans, quod petit.* Sed & illud quoque ſatis indicatur per πολὺ ἰσχύει, mul-

*multum valet*, in eo enim *multum valet oratio justi*, quia *oratio justi* Deo est grata, quâ semper impetratur, quod petitur : uti ipse Salvator noster dicit *Joh.* 16. 23. *quæcunque petieritis a Patre meo in nomine meo, dabit vobis.* Sic *Matt.* 7: 8. πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει, dicens ideo, *petite & accipietis. Joh.* 16: 24. verum est, quod multi petunt, qui non accipiunt, sed ratio est, quia non rectè, sed malè petunt, uti Jacobus ait cap. 4: 3. *petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* At cujus oratio, est oratio *justi*, ille semper impetrat, quod petit: uti David dicit, Ps. 4: 4. *Jehova audit, quum clamo ad illum.* Et quare Deus Ps. 65: 3. quoque dicitur *auditor precum*, scil. justorum, quorum preces semper audit, ut David dicit Ps. 34: 16. *oculi Jehovæ ad justos, & aures ejus ad implorationem eorum*, seu ut LXX. ibi habent εἰς δέησιν αὐτῶν, *in preces eorum*, nempe attendunt, ut exaudiat eos. Patet ergo, quod *oratio justi multum valet.*

§. 11. In Vulgata versione ἐνεργουμένη vertitur *assidua.* Aliis *constans*, *operans*, *operosa*, *firma*, *actuosa*, *importuna* &c. Elias Hutterus in hebraica sua versione totum hunc Locum ita vertit, נירב כח בתפלת הצדיק שהיא לנצח : i. e. *quia multum valet*, *vel magni roboris est*, *oratio justi*, *quæ in æternum* vel in perpetuum. Ita enim נצח, per ellipsin ל, pro לנצח occurrit Ps. 16: 11. & plenè לנצח 2. Sam. 2: 26. *perpetuò*, *in perpetuum*, a rad. inusit. נצה

נצח in pihel נצח *vicit, superavit, præfuit, urſit, ſolicitavit.* Et ut נצח, *æternitas*, etiam ſumitur pro *potentia*, vel *robore*, *Thren.* 3, 18. aliis etiam pro *fortitudine continuante*, ſic תפלה שהיא לנצח ſumi poſſet pro *oratione*, *aut precatione*, quæ *continua*, vel *continuans* vel *indeſinens*, & ſic *victrix* eſt, vel quæ *aſſidua*, *urgens*, aut *fortitudinis continuantis* eſt, belgice, *welke van eene aanhoudende kragt is.* Cui explicationi convenit Eraſmi expoſitio, *deprecatio ex animo profuſa*, *intenta*, & *inſtans*, *ut aſſequatur quod petit.* *Qualis fuit*, ut doctiſſimus Baro N. Knatchbull porro annotat, *Annæ*, *cum profudit animam coram Deo*, *1. Sam. 1: 15. vel Jacobi cum luctabatur cum Angelo*, *Gen. 32: 24. vel Moſis cum adeo inſtaret*, *ut diceret ei Dominus*, *dimitte me*, &c. *Exod.* 32: 10. 11. à Piſcatore vertitur *ardens*, & in Scholiis ſuis dicit, *ad verb. Operoſa*, *ſeu actuoſa*, *Germanicè Eynbrünſtig*, *ve-Emſig.* Certè ſi accommodatior & vi participii aptior expoſitio dari non poſſet, mihi interpretatio, *continuans*, *inſtans*, vel *ardens* placeret, vel ut Belgæ noſtri in notis dicunt, *vierig en oprecht*, *of ſterkaanhoudende.*

§. 12. Verum magis mihi placet, ut participium ἐνεργουμένη paſſivè exponatur. Notum enim eſt, quod activum eſt ἐνεργεῖν, *operari*, *efficere*, belgicè, *werken*, vel *kragtig werken efficaciter operari*, imo *inoperari*, ſi ita Latinè loqui liceret, utiHilarius nomen ἐνέργειαν, vertit *inoperationem*: novo quidem, dicit Beza ad

1. Cor. 12:6. sed non infeliciter novato vocabulo, nam ἐνεργὸς, qui in opere est, quasi ἐν ἔργῳ ὤν, i. e. *actuosus*. Unde etiam Belgæ sic loquuntur *Gal.* 2:8. quando ibi bis vertunt *kragtelyk inwerken*, ὁ γὰρ ἐνεργήσας πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς, ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη, *want die in Petrus kragtelyk wrogt tot het Apostelschap der beschnydenisse, die wrogt ook kragtelyk in my onder de Heidenen.* Quem locum Beza sic vertit, *nam qui efficax fuit per Petrum, ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuerat etiam per me apud Gentes*, considerat enim Petrum, non ut subjectum, sed ut causam instrumentalem, forsan, quia alibi, quando subjectum indicatur, additur præpositio ἐν, quæ hic non est. Ut *Marc.* 6: 14. καὶ διὰ τοῦτο ἐνεργοῦσιν αἱ δυνάμεις ἐν αὐτῷ, *propterea virtutes agunt vel operantur in eo* sic *Eph.* 1: 20. ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, *quam*, scil. ἐνέργειαν, *operatus est in Christo*, sic Philip. 2: 13. ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν &c. *Deus enim est, qui operatur in nobis &c.* sic Eph. 2: 2. ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Potest tamen subjectum indicari absque præpositione ἐν, quia multa verba dativum postulant vi præpositionis, cum qua composita sunt, ut sunt ἐν, ἐπι, παρὰ, πρὸς, σὺν, ὑπὸ, sic ex. gr. Damascenus *orthod. fidei l.* 1. c. 1. ait, πᾶσιν ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν, ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται, *cunctis cognitio, Deum esse, ab ipso naturaliter insita est*, sic Græci dicunt, τοῦτο σοι ἐγγίνεται, *hoc tibi inest*, vel *insitum est*, ut Aristoteles ait,

ἔδειμεν

ἕξεμία τῶν ἀρετῶν ἠθικῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεσθαι, *nulla virtutum moralium nobis ineſt natura.* Et ſic hoc loco ἐνεργήσας Πέτρῳ, ἐνήργησε καὶ ἐμοί, aptè reddi poteſt, *qui efficax in Petro fuerat,* nempe ad functionem Apoſtolici muneris apud circumciſos, idem *in me* quoque *efficax fuit*, vel *operatus eſt etiam in me*, nempe apud Gentes. Occurrit porro hoc verbum activum ἐνεργεῖν *Matt.* 14: 2. 1. *Cor.* 12: 6. *Gal.* 3: 5. *Eph.* 1: 11. 1. *Cor.* 12: 11. *Philip.* 2: 13. in totum ergo duodecies.

§. 13. At paſſivum ἐνεργεῖσθαι, *effici*, *agi*, *moveri* &c. In toto novo Teſt. occurrit novies. ſcil. *Rom.* 7: 5. 2. *Cor.* 4: 12. 1. *Theſſ.* 2: 13. 2. *Theſſ.* 2: 7. 2. *Cor.* 1: 6. *Gal.* 5: 6. *Eph.* 3: 20. *Col.* 1: 29. & *Jac.* 5: 16. Quod ut paſſivum male a quibusdam redditur per *operari*, quia *operari* non eſt paſſivum, ſed activum, ut Cameron rectè obſervat ad *Gal.* 5: 6. ubi addit, non neceſſe eſſe, ut ἐνεργουμένη paſſivè ſumatur, concedens tamen paſſivè poſſe ſumi. Imo Scapula in Lexico pag. 501 dicit, quod ἐνεργεῖσθαι occurrit in activa ſignificatione pro ἐνεργεῖν, 1. Theſſ. 2: & ἐνεργουμένη πίστις *Gal.* 5: 6.

§. 14. Ego puto in omnibus hiſce allegatis locis, quæ hic cum brevi aliqua elucidatione adſcribam, verbum ἐνεργεῖσθαι ut & participium ἐνεργουμένη paſive poſſe exponi. Nam quando Paulus dicit *Rom.* 7: 5. ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου

μὴ ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ. Quæ verba Beza sic vertit, *cum enim essemus in carne affectus peccatorum per legem* (existentes) *agebant in membris nostris, ad fructum ferendum morti*, mihi ἐμφατικώτερον videtur, ut imperfectum passivum ἐνηργεῖτο etiam passivè vertatur, *agebantur*, *efficiebantur*, *movebantur*; quod affectibus quoque magis convenit: & sic apud Polybium etiam passivè sumitur *hist. lib.* 1. *cap.* 13. κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὁ κλεομενικὸς καλούμενος ἐνηργεῖτο πόλεμος, id est, ut Casaubonus interpretatur, *eodem tempore isto apud Græcos bellum gerebatur, quod Cleomenicum vocant.* Et sic 2. *Cor.* 4: 12. ὥστε ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, ἡ δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν, non activè, sed passivè verto, *itaque mors quidem in nobis fit, producitur*, aut *exercetur*, *vita vero in vobis.* Quasi diceret Paulus, nobis quidem ob prædicationem Evangelii afficitur mors; at per nostram mortem vobis gignitur, augetur & perficitur vita spiritualis, & salus æterna: adeo ut nostræ afflictiones, imo θάνατοι, κίνδυνοι &c. 1. *Cor.* 11: 23, 26. vestra commoda sint; unde vere dicitur, quod martyrum mors est vita ecclesiæ. Non ignoro, hunc locum aliter etiam exponi; nam Doct. Biermannus putat, Paulum hic loqui de morte Christi, quæ efficax in ipso facta erat, ut vetus homo indies magis crucifigeretur, & ut fideles spiritualiter vivi fierent, ac regenerarentur:

non

non impedit tamen ut ἐνεργεῖται passivè sumatur : sed prior explicatio mihi magis placet, quia Apostolus de persecutionibus ac afflictionibus, quas propter Jesum passi erant, in præcedentibus commatibus loquutus erat.

§. 15. Sequitur tertius locus, 1. *Thess.* 2: 13. ubi loquitur Apostolus de *verbo Dei*, quod fideles *acceperant*, *non ut verbum hominum*, sed *ut verbum Dei*, ὅς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, i. e. *quod perficitur in vobis qui creditis.* Nullus enim dubito, quin ἐνεργεῖται hic passivè debeat reddi, uti hoc etiam passivè vertitur a nostris Belgis in quarto citato loco 2. *Thess.* 2:7. ubi Paulus ait, τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, & quæ verba Belgæ nostri sic vertunt, *want de verborgendheidt der ongeregtigheyt wordt alrede gewrogt.* Uti & passivè vertitur a Piscatore, *jam enim peragitur mysterium impietatis hujus.*

§. 16. Sequuntur jam quinque Loca, in quibus participium fœmin. ἐνεργουμένη occurrit, quod etiam ubique absque ulla difficultate passivè potest verti, & a multis etiam vertitur. ut 2. *Cor.* 1: 6. *sive affligimur*, (premimur) *pro vestra consolatione ac salute*, (τῆς ἐνεργουμένης) *quæ efficitur*, Belgæ hic etiam, *die gewrogt wordt*) *per tolerantiam earumdem perpessionum, quas & nos perpetimur &c.* Alium horum verborum ordinem vide apud Bezam, qui tamen hoc participium etiam passivè, per *efficitur*, vertit, uti etiam Piscator & alii. Sic

Gal. 5: 6. *nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem* (ἐνεργουμένη) *acta*, aut *mota*, aut *animata*, vel *incita* ad opus, ut Hammondus meo judicio hic optime loquitur, quamvis sic etiam aptè possit verti, *sed fides quæ per Charitatem perficitur* non more Pontificiorum, quasi fides a charitate generaretur, minimè; hinc Cameron, qui activè exponit, rectè addit, *etsi passivè sumeretur, nihil tamen inde concludi posset adversus nos, esset enim locutio illi similis, ac quum dicitur, 2. Cor. 12: 9. virtus Dei perfici in infirmitate, hoc est, eam se tum vel maximè exerere, & prodere, atque ostendere, quanta sit, quamque summè potens.*

§. 17. Porrò Eph. 3: 20. dicit Paulus, *ei autem qui potens est omnia facere superabundanter*, vel *copiosius*, vel *multis partibus*, (uti ἐκ πλεοσσῶ sic usurpatur a Platone de legib.) *supra ea, quæ petimus aut mente concipimus, pro vi illa,* (τὴν ἐνεργουμένην) *quæ efficitur*, vel *perficitur*, *in nobis*, scil. potenti vel efficaci operatione Spiritus Sancti. Quis illam δύναμιν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν fere aliter, quam passivè posset exponere? præsertim cum Paulus dicit 2. Cor. 12: 9. quod Dei δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειῶται, ubi τελειῶται idem est ac ἐνεργεῖται, κατασκευάζεται. Sic iterum Col. 1: 29. cum Paulus ibi dicit, εἰς ὃ καὶ κοπιῶ, ἀγωνιζόμενος κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. Quis hæc verba ferè aliter, vel melius posset interpretari,

tari quam sic, *ad quod etiam enitor*, vel *laboro*, *decertans secundum efficacitatem ejus in me potenter effectam*, vel *actam*, vel, *quæ potenter in me efficitur*, imo *perficitur*. Christi enim virtus est, quæ operatione Spiritus ejus in nobis efficitur, & quâ laboramus, ac decertamus. Tandem restat locus Jac. 5: 16. de quo statim.

§. 18. Et sic enumeravi omnia loca, in quibus hoc verbum ἐνεργεῖσθαι, uti & participium ἐνεργουμένη, occurrit: Sanè si quis hæc omnia rectè pensitaverit, non dubito, quin mecum facilè dixerit, & verbum ἐνεργεῖσθαι & participium ἐνεργουμένη ubique passivè debere exponi. Quare Hammondus dicit, quod hoc participium ἐνεργουμένη semper passivè sumitur, tum apud profanos scriptores, tum in sacra scriptura. Uti & Hesychio ἐνεργουμένη exponitur πλουμένη, vel πλειουμένη.

§. 19. Sed videamus, quomodo tandem hic noster Locus, Jac. 5: 16. sit intelligendus, seu quid sit δέησις ἐνεργουμένη. Ut igitur activum ἐνεργεῖν notat *agere*, *operari*, & participium activum ἐνεργῶν, *agens*, *operans*, *Philip.* 2: 13. sic infinitivus passivus ἐνεργεῖσθαι est *agi*, *moveri*, cujus participium ἐνεργούμενος est, *actus*, qui *agitur*, aut *movetur*, unde ἐνεργούμενοι dicuntur, qui numine, aut dæmone aliquo, afflantur, aguntur, moventur, corripiuntur, aut vexantur. Unde Matt. Martinius in Lexi-

co

co philolog. ait, *energumenus*, gr. ἐνεργούμενος, *qui agitur. Per Synecdochen autem, qui agitur a Spiritu sive bono, sive (ut fere in theologorum scriptis) a malo spiritu* ἐνεργεῖσθαι *speciali significatione est, agi, agitari, moveri, correptum esse a dæmonio.* Sic apud Aretam *in Apoc. 6.* προφῆτις ἐνεργουμένη πονηρῷ πνεύματι, i. e. *prophetissa acta* vel *agitata a malo spiritu.* Quales Energumeni in veteri ecclesia pavimenta domorum Dei quidem intrabant; Sed cum Sacra Mysteria celebranda essent, clamabat Diaconus, *ite Energumeni.* Stabant enim hi energumeni, seu χειμαζόμενοι in loco templi, qui ναρθηξ dicebatur. Et uti Spiritus Sancti vis erat operatrix prophetiæ, ut Tertullianus loquitur, *de anima c. 11.* imo uti Petrus dicit, quod *Sancti Dei homines loquuti sunt* φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, *acti a Spiritu Sancto, 2. Pet. 1:21.* sic ἐνεργούμενοι non tantum dicuntur agitati aut correpti a malo dæmone, aut obsessi spiritu malo; sed etiam in bonam partem sancti Dei prophetæ sic dicuntur afflati divino spiritu Dei, ut apud Nazianzenum legitur, ὅιδεν ὁ τῶν προφητῶν θεὸς καὶ οἱ τὰ τοιαῦτα ἐνεργούμενοι, *novit ipse Prophetarum Deus, & si qui eo divini numinis afflatu provehuntur.* Unde ἐνέργημα, *effectus, vis, efficacia.* accipitur & pro vexatione aut agitatione dæmonum, vel in bonam partem pro afflatione, aut efficaci operatione Spiritus Dei. 1. *Cor.* 12:6, 10.

§. 20.

§. 20. Est igitur, meo Judicio, δέησις ἐνεργουμένη, talis oratio, quam operatus est Spiritus Sanctus in nobis, vel, quæ a Sancto Dei Spiritu nos intus agente dictata & formata est in cordibus nostris, ut Doctiss. Joh. Arrowsmith loquitur, *tact. sacr. lib. 3. c. 1. sect. 14.* Cujus expositionis has duas porro rationes do, 1. Quia non valet oratio, nec multum valere potest apud Deum, quæ caret hac energeia, seu efficaci operatione Spiritus Sancti, ut optimè Chrysostomus dicebat, ἀμήχανον ἀνθρώπῳ δυνηθῆναι θείαν ἐνεγκεῖν ὁμιλίαν, ἄνευ τῆς ἐνεργείας τοῦ Πνεύματος, *non potest homo cum Deo ferre colloquium absque energeia*, seu, *efficaci operatione*, *Spiritus*, vel ut alii etiam vertunt, *nisi adsit vis & actus Sancti Spiritus.* 2. Quia Spiritus Sanctus est, qui preces in nobis formare debet, & cujus instinctu ac inflatu Deum orare debemus, ut Paulus docet, quando dicit, Rom. 8: 26. *quid enim precemur, ut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus Sanctus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus*, vel, ut Cel. Coccejus vertit, *gemitibus, qui sermone non explicantur, eloquio carentibus*, vel potius, ut Eruditissimus L. Bos in Ex. phil. p. 111. demonstrat, *occultis suspiriis*: quia non dicitur στεναγμοῖς ἀνεκλαλήτοις, *suspiriis ineffabilibus*, ut Piscator hic vertit, sed ἀλαλήτοις, i. e. *suspiriis, quæ ex imo pectore fiunt, quæ non audiuntur, non proferuntur voce sonove audiuntur.* Spiritus Sanctus igitur est, qui nos excitare debet ad Deum precan-

candum, qui materiam precationis nobis suggerit, suppeditat, ac ingerit, imo qui nos instruit, ac docet quomodo, & quibus verbis, aut suspiriis Deum decenter alloqui, eique supplicare possimus. Et hoc est, quod Paulus hoc loco verbo ὑπερεντυγχάνει indicat. Unde Beza rectè dicit, *Spiritus Sanctus pro nobis interpellare dicitur, non quod apud Patrem vel Filium, ut perverse docent Arriani, ipse sit Mediator; sed quia nos ad preces instigat, atque adeo ipsa verba & suspiria nobis intus dictat.* Sic dicitur *clamare*, Gal. 4: 6. *quoniam facit ut clamemus*, ut *supra vs.* 15. *ipsemet Apostolus exposuit*, ubi dicebat, *accepistis Spiritum adoptionis* ἐν ᾧ per *quem clamamus Abba, id est, Pater.* Uti & Piscator etiam dicebat, *facit ut nos interpellemus seu appellemus Deum. Nam ipse Spiritus Sanctus Deum non invocat; quum non gerat officium Mediatoris.* Gerit tamen etiam officium advocati, qui clientes instruit, quomodo libellus supplex sit offerendus judici. Hinc Cel. Coccejus breviter & optimè dicit, *Advocati est* 1. *intercedere, ut & Christus* 15. 34. & 1. *Joh.* 2: 22. 2. *alicujus causam agere contra adversarios, unde Spiritui attribuitur* τὸ ἐλέγχειν, *convincere, Joh.* 14: 16. 3. *instruere clientes. Joh.* 16: 13. 14. 15. Et hi clientes nos sumus, qui multa apud Deum dicenda habemus; verum quid oremus, ut decet, ignoramus, ideo Spiritus Sanctus omnia quæ & quomodo petenda sint suggerit, instigans ac aptans nos, ut Deum decenter ac ardenter aptisque verbis oremus,

mus, & si verbis non semper possimus, ut ea tum occultis, tacitis ac imis suspiriis, & ex intimis animi penetralibus, supplicemus. Ecce, sic orare Deum debemus *per Spiritum* Eph. 6: 18. id est, per Spiritum Sanctum, a quo preces proficiscí debent, ut rectæ, ac vere sanctæ sint, ratæque, alias Deo gratæ non possunt esse, si ab illo non sint profectæ. Homines ψυχικοὶ, *animales*, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *qui Spiritum* (Sanctum) *non habent*, Deum rectè orare non possunt, quia carent Spiritu illo Sancto, qui *Spiritus gratiæ & precationum* est *Zach.* 12: 10. at vere fideles sunt, ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσευχόμενοι, id est, qui Deum orant *per Spiritum Sanctum*, ut Apostolus Judas docet *epist.* vs. 19. 20. Ex his omnibus concludo, quod δέησις δικαίου ἐνεργουμένη, sit oratio justi instinctu ac inflatu Spiritus Sancti dictata, ejusque operatione formata, ac prolata: Quare textum nostrum sic belgicè exprimerem, *een, (namentlyk door den H. Geest,) wel of kragtig gewrogt gebedt eenes regtveerdigen vermag veel.*

§. 21. Sic enim Apostolus de tali precatione justi jam dicit, quod πολὺ ἰσχύει *multum valet*, vel *multum potest*, nempe παρὰ τῷ Θεῷ *apud Deum.* Verbum enim ἰσχύειν notat, *posse, valere aliquid, vim habere.* Et sic loquuntur Græci μεῖζον vel πλέον ἰσχύειν, παρά τινι, *plus posse*, aut *valere* apud aliquem, uti & πλεῖσον ἰσχύειν παρά τινι, *plurimum apud aliquem valere*, etiam μᾶλλον ἰσχύειν παρά τινι, *plus apud*

*ali-*

*aliquem posse*, & ἰσχύειν τὶ, *aliquid posse*, vel *valere*. Attribuitur hoc verbum quoque precibus a Chrysostomo, cum dicit, ὅπερ δὲ οὐκ ἴσχυσε φόβος, τοῦτο δέησις ἴσχυσε, *quod non potuit metus, id potuerunt preces*. Hic Apostolus ait, quod oratio justi dictata a Spiritu Sancto ac profusa ex animo, πολὺ ἰσχύει, *multum valet, multum potest*, vel *magnam vim habet* nempe apud Deum, ut exauditionem obtineat, ut iram avertat, ac liberationem è periculis obtineat. Hinc Rabbini dicebant, ut Buxtorfius annotat, *ex Cad hakkemach fol. 79. col. 4. in Lexico Rabbin. pag. 1745.* גדול כח התפלה אפילו לשנות חטבע ולהנצל מן הסכנה ולבטל הגזר *magna est vis precationis etiam ad mutandam naturam, ad Liberationem è periculis, & ad avertendas pœnas divinas.* Sic etiam legitur *Jevam. fol. 64. col. 1.* למה נמשלה תפלתן של צדיקים לעתר מה עתר זה שמהפך התבואה ממקום למקום כך תפלתן של צדיקים מהפכת מדתיושל הקבה ממדת רגזנות למדת רחמים: *Quare assimilantur preces justorum palæ ideo, quod sicut pala vertit frumentum de loco in locum, sic oratio justorum vertat proprietates Sancti benedicti illius, (i. e. Dei) proprietatem scil. iræ in proprietatem misericordiæ.* Unde Isaacus vocatus fuit עתרא דהפיך ארעא *pala vertens granarium*, quod precibus suis verterit fatum divinum, juxta illud ויעתר *Gen. 25: 21. in Bereschith. rab. sect. 63. Buxt. Lex. Rabbin. pag. 1688.* ita enim dicit Moses

Moſes Gen. 25:21. *& exoravit Iſaac Jehovam pro uxore ſua, quoniam ſterilis erat ipſa, & exoratus eſt ei Jehova, & concepit Rebecca uxor ejus.*

§. 22. Piorum enim preces nunquam negligit Deus, aut ſurda præterit aure, ſed audit, & explet cumulatiſſimè. Vide *Gen.* 17:20. imo uti Apoſtolus Jacobus in præcedentibus verſic. dicebat, *infirmatur quis in vobis? accerſat Seniores eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſervabit laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi peccata commiſerit, remittentur ei, confitemini invicem peccata, & orate pro invicem, ut ſanemini.* Sic optima morborum medicina ſunt preces ad Deum, tum noſtræ, tum piorum pro nobis: non quod pharmaca excludantur, ſed cumprimis Deus eſt implorandus, qui nos percutit, & qui exaudit noſtras preces, quique liberat nos ex omnibus periculis. Imo ſi *oratio juſti ſit fidelis, humilis, & fervens*, dicit Bernardus, *ſine dubio cœlum penetrabit, unde certum eſt, quod vacua redire non poterit. de quadrages. ſerm. 4. fol. 27.* Penetrant etiam ſuſpiria cœlum, & *oratio juſti clavis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit liberatio*, dicebat Joh. Gerardus *meditat. Sacr. 25.* ubi & vim precum piorum optimè oſtendit. Sed quam *multum valet precatio juſti*, ipſe Apoſto-

lus Jacobus demonstrat exemplo prophetæ Eliæ, versu sequenti. Ubi Belgæ προσευχῇ προσηύξατο malè vertunt, *hy badt een gebed* uti & Lutherus, *er betet ein gebet*, quia non dicitur in accusativo casu, προσευχὴν προσηύξατο, sed προσευχῇ in tertio vel sexto casu, uti *Matt.* 15: 4. & alibi. Vide Bezam ad hunc Locum rectè annotántem in hac repetitione notari ardorem precum cordisque attentionem, ac si diceret, *ardentissimè precatus est*. Non tamen est *repetitio hebraica*, ut Beza ait, multo minus in hac & similibus Locutionibus datur hebraismus, ut Vorstius, Leusdenius, aliique viri docti volunt, sed est purissima locutio Græca, uti fusius demonstravi ad *Joh.* 3: 29.

III.

III.

# C. A. HEUMANNI DISSERTATIO DE THEOPHILO, CUI LUCAS HISTORIAM SACRAM INSCRIPSIT.

## ARGUMENTUM.

Disquisitio de Theophilo non caret fructu §. 1. An generaliter per eum notatur Vir Deum amans §. 2. An certus quidam Vir, sed qui sub hoc nomine voluerit latere. Fuit hoc nomen vulgatum §. 3. An Theophilus fuerit Antiochenus. Vel ille, cujus Tacitus meminit §. 4. Non fuit Antiochenus §. 5. Sed fuit (a) vir primariae dignitatis. Quod probatur ex titulo Κρατιστος. §. 6. Datur ille Viris primariis & magistratibus §. 7. Veteres Viros summos sine titulis alloquebantur §. 8. Fuit (b) ethnicus: §. 9. De phrasi κατηχεισθαι §. 10. Lucae Euangelium est Apologia Christianae religionis §. 11.

## §. 1.

NUlla levis habenda est opera, quæ sacro illustrando Codici impenditur. Sæpe unius verbuli exactior interpretatio multum lucis infert vel historiæ vel doctrinæ cuipiam fru-

fructuosissimae. Nec raro unius vulgo neglectæ personæ interior cognitio viam aperit ad observationes haud pœnitendas. Dum igitur in eo sum, ut, quis fuerit *Theophilus* ille, cui *Historiam* suam *sacram*, duos distributam in libros, inscribere dignatus est *Lucas*, scriptor θεόπνευστος, curatius inquiram, nihil moror audaciorem *Heideggeri* (*a*) sententiam: *Quis*, inquientis, & *cujas fuerit hic Theophilus*, *incertum est*, *nec scire refert*. Imo vero ex iis, quæ dicturus sum, apparebit, non penitus obscurum esse, quis fuerit ille *Theophilus*, nec nullum ad nos redundare hujus investigationis fructum. Ubi enim ostendero, *Theophilum* illum fuisse amplissimæ dignationis virum, eundemque ethnicæ addictum religioni, hinc concludere licebit, eo consilio a *Luca* historiam Christi & Apostolorum fuisse literis mandatam, ut ethnicis magistratibus mendaces de religione Christiana opiniones excuteret, mandatoque *Petri* satisfaceret, hunc in modum (*b*) praecipientis: Ἕτοιμοι (ἔστε) ἀεὶ πρὸς ΑΠΟΛΟΓΙΑΝ παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος. Sane quam magni referat, scire, quo tempore & quo consilio quemque proprie in finem liber quisque Biblicus fuerit conscriptus, nemo nescit, nisi qui sacras nescit literas, nec theologorum novit labores in eo occupatissimorum, ut, quæ

(*a*) *Enchirid. Bibl. III. cap. 4. §. 5. p. 479.* (*b*) *1. Petri III. 15.*

quæ proxima cauſa prophetam quemque & apoſtolum permoverit ad ſuam epiſtolam ſcribendam concionemve habendam, perſpiciant. Quocirca non gravabor, tum quid alii de Theophilo illo ſenſerint, tum quid de ipſo pro comperto debeat haberi, paucis edifſerere.

§. 2. Primo loco ii videntur audiendi, quibus in mentem venit ſtatuere, non fuiſſe quendam *Theophilum* nomine, cui libros ſuos inſcriberet *Lucas*, ſed *Theophili* titulo ab eo inſigniri Chriſtianum quemque, neque adeo certum quempiam hominem a *Luca* appellari, ſed quicquid eſt eritque in orbe Chriſtianorum. Primus, (*bb*) quod ſciam, iſtam ſententiam in medium protulit *Ambroſius*, *Scriptum eſt*, inquiens in *Explanatione prooemiali in Evangelium Lucæ*, *Evangelium ad Theophilum, hoc eſt, ad eum, quem* (c) *Deus diligit. Si Deum diligis, ad te ſcriptum eſt.*



(*bb*) Ante tamen Ambroſium jam in ea fuit Origenes, ut in ejus in D. Lucam comment. patet. T. d. H.

(c) *Non alienum fuerit animadvertere, nomen* Θεόφιλος *ab* Ambroſio *confundi cum* Θεοφιλής, Θεόφιλος *idem eſt, ac* φιλόθεος. 2. *Tim.* III. 4. *& ſignat eum, qui* DEVM *amat. Sed* Θεοφιλής *dicitur is, qui a* DEO *amatur, qui* DEO *carus eſt atque dilectus. De voce* Θεοφιλής *copioſe ac erudite diſputat Cl.* Majus *F. Obſ. ſacr. lib. I. cap. 38. p. 103. ſqq. Sic, ſi* Suidae *credimus,* Θεομισης *ſignificat eum, qui Deum odit, at* Θεομισής *eum, quem* DEVS *odit. Pulchre diſcrimen hoc*

*Ambrosii* vestigiis incedit *Salvianus*, hæc ad Salonium perscribens in epistola libris suis sub *Timothei* nomine editis præfixa : *Evangelista* (Lucas) *in utroque divini operis exordio Theophili nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem Dei scripsit, hoc scilicet dignissimum esse judicans, ut ad ipsum affectum Dei scripta dirigeret, a quo ad scribendum impulsus esset.* Hæc eadem sententia nec *Epiphanio* (*d*) displicet, quanquam non plane ei subscribit, sed rem in medio relinquit. Cæterum in triumviris his ejus farinæ interpretatio fortasse ferri debet, eo quippe ævo viventibus, quo allegorica sacros libros interpretandi ratio in laude & admiratione erat. Sed Hammondo merito vitio damus, quod doctiore sæculo tam imbecillam sequens sententiam non timuit ita (*e*) scribere : *Incertum est, an hoc nomen fuerit alicujus viri proprium, an vero fictitium, ad quemlibet Christianum* Dei amantem *significandum, quem Lucas alloquatur.* Fortasse *Erasmi* auctoritas oculos præstrinxit *Hammondo.* Is enim in annotationibus ad exordium *Lucæ* : *Theophilus*, inquit *utrum sit proprium nomen, an epitheton pii lectoris, alii disputent.* Pro acumine tamen suo statim hæc addit : *Ego proprium hominis vocabulum esse puto.* Ac priorem

*hoc perspexit* Philo, *libri tertii* de vita Mosis *initio sic scribens*: Erat Moses φιλόθεός τε καὶ θεοφιλής.

(*d*) *Hæres. LI. p. 429.* (*e*) *Annot. ad Luc. I. 3.*

rem ſententiam optime *Daniel Heinſius* (*f*) confutavit, eam ſcribens *vel ſolo attributo dilui. Quid enim* (ita pergit,) *opus, dici* κράτιϛον, *quem attributo jam alio a cæteris diſtinxeris?*

§. 3. Altera ſententia majorem habet veri ſpeciem, ſed diligentius eam ubi excuſſeris, nec ipſi calculum, mi lector, adieceris tuum. Sunt (*g*) enim, qui largientes, inſcriptos eſſe *Lucæ* libros certo cuipiam viro, negant, eum iſto nomine uti conſueviſſe, ſed iſtis de cauſis a *Luca* obumbrari nomine *Theophili*, hoc eſt, amatoris Dei verique Chriſtiani. Sane non tam levi tibicine nititur hæc ſententia, quam ſuperior. Erant enim illis temporibus plures Nicodemi, qui Chriſtianæ religionis divinam agnoſcentes originem, non tamen ſuſtinebant cum præſentiſſimo vitæ periculo, nomen ſuum inter Chriſtianos profiteri. Ipſe *Paulus* apoſtolus (*h*) docet, fuiſſe in Neronis Imp. aula, qui Chriſtianæ religioni eſſent addicti: quorum nomina ideo videri poteſt prætermiſiſſe, ne fratres iſtos infirmos objiceret periculo non ſolum amittendi honores, opes & vitam, verum etiam ſanctiſſimam abdicandi religionem. Sunt etiam viri doctiſſimi, qui in ſecunda *Joannis* epiſtola nomen



(*f*) *Exercit. ſacr. lib. III. cap. 1. p. 134.* (*g*) *Equidem neminem novi, qui hanc tueatur ſententiam. Fidem tamen habeo* Caſp. Sanctio, *qui Comment. in Act. I. 1. teſtatur, fuiſſe aliquos hujus ſententiæ patronos.* (*h*) *Phil. IV. 22.*

*Electæ* non habent pro nomine proprio: ut & hic apostolus primariæ fœminæ nomen subtraxisse consulto videatur, quod ea mallet esse Christiana, quam haberi. Sed nos & hanc repudiamus de *Theophilo* sententiam, non solum, quod in eorum sumus numero, qui *Electæ* nomen in Joannea epistola pro nomine habent proprio; sed & eam ob causam, quod ad istam interpretandi rationem confugere non licet, ubi præter vanam conjecturam nullum ea fundamentum habet, ac præterea nihil obstat, quo minus maxime obvium sequamur sensum, credentes, hoc viro fuisse nomen proprium. Certe *Theophili* nomen erat vetere illo ævo usitatissimum. Plures *Theophilos* e priscis monumentis produxit Celeb. ille *Fabricius* in *Græca* sua (*i*) *Bibliotheca*: quibus addo *Theophilum*, Marcelli libertum, *Ciceroni* (*k*) memoratum; *Theophilam*, mulierem ob eruditionem singularem a *Martiale* (*l*) laudatam; *Theophilum*, duodecimi sæculi virum, quem in opere *de scriptoribus ecclesiasticis* (*m*) memorat *Trithemius*. Tres quoque *Theophilos* commemorari videas in duabus pervetustis Græcis Inscriptionibus, quas in *Itinerario* suo (*n*) exhibet *Jacobus Sponius*. Abunde hinc discimus, pervulgatum in Græcia fuisse nomen *Theophili*, atque adeo non esse,

(*i*) *Lib. V. cap. 1. §. 20. p. 94. sqq.* (*k*) *Lib. IV. ad Famil. epist. 9. & 10.* (*l*) *Lib. VII. epigr. 68.* (*m*) *Cap. 383.* (*n*) *P. II. p. 111. & 112. edit. Germ.*

esse, cur suspicemur, effictum fuisse hoc nomen a Luca, & impositum ei, qui non vocabatur *Theophilus*, at ob Christianam pietatem hoc nomine dignus erat.

§. 4. Summo itaque jure eorum (*nn*) approbamus sententiam, qui persuasum habent, eum, ad quem *Lucas* scripsit, gessisse a parentibus inditum nomen *Theophili*: quanquam & inter hos quidam longius, quam par erat, progressi sunt. Fuerunt enim, qui crederent, *Theophilum*, Antiochiæ episcopum, cujus ad *Autolycum* libri supersunt, a *Luca* innui, cum tamen satis constet, illum *Theophilum* secundo demum sæculo Christiano eoque ad exitum vergente floruisse. Ac merito notatus hic error fuit a (o) *Tenzelio*, (p) *Caueo*, (q) *Fabricio*, & copiosius a S. R. Abbate *Schmidio* in *Historia* (r) *sæculi II. fabulis maculata*. Pari jure dissensimus ab *Alexandro Moro*, qui (s) illum a *Luca* innui suspicatur *Theophilum*, cujus *Tacitus* meminit in (t) *Annalibus*. Etsi enim temporis rationem conjecturæ huic non repugnare, *Tenzelius* (u) docet, tamen merito hac sententia nihil nobis videtur audacius, cum præter nomen ne levissima quidem ratio



(*nn*) *Inter eos ex veteribus eminent Augustin. de cons. Evangel. L. IV. c. 8. & Chrysost. in Act. c. 1.* (o) *Miscell. Eccl. P. I. Diss. V. p. 35.* (p) *Hist. lit. script. eccl. p. 41.* (q) *Bibl. Graec. lib. V. cap. 1. p. 94. sq.* (r) *p. 44. sqq.* (s) *In Notis ad Luc. I. 1.* (t) *Lib. II. cap. 55. n. 2.* (u) *Loc. cit. p. 209.*

ſubſit, quæ ſuſpicioni Mori patrocinetur. Imo ipſe *Tacitus*, de obſcuriſſimo homine ſe loqui innuens, cum *Lucæ Theophilus* fuerit vir illuſtris, huic opinioni adverſatur, recte id & acute obſervante (*x*) *Jacobo Haſæo*, viro eruditiſſimo mihique amiciſſimo.

§. 5. Alius ergo fuerit neceſſe eſt *Theophilus* ille, ad quem *Lucas* ſcripſit : de quo ante, quam proferamus, quæ certa eſſe nulli dubitamus, vanas producemus veterum quorundam fabulas. Relatum ſcilicet legimus in Pſeudo-*Clementis* (*y*) *Recognitionibus*, *Petrum* apoſtolum Antiochiæ juxta cum aliis plurimis etiam hunc *Theophilum*, virum *cunctis potentibus in civitate ſublimiorem*, in Chriſti caſtra perduxiſſe : quo facto neophytum hunc *domus ſuæ ingentem baſilicam Eccleſiæ nomine conſecraſſe, in eaque Petro apoſtolo conſtitutam eſſe ab omni populo cathedram.* Ac non videtur hæc relatio rejicienda (*z*) *Baronio* : eâdemque haud dubie nixus *Platina* (*a*) ſcriptum reliquit, *Theophilum* hunc æque, ac *Lucam*, ortu Antiochenum fuiſſe. Etiam *Caſp. Sanctius* (*b*) iſtam *Clementis* narrationem pro veroſimili habet, & hinc, eum Antiochiæ præſidem fuiſſe, conjicit. Verum nos Voluſianis iſtis falſi *Clementis* chartis merito fidem habemus nul-

(*x*) *Hiſt. Crit. de la Rep. des lettres* T. XII. *p.* 52. *ſq.* (*y*) *Lib. X. cap.* 71. (*z*) T. I. *Annal. Eccl. ad A. C.* 58. (*a*) *In vita Vrbani II. f. m.* 184. *b.* (*b*) *Loc. cit.*

nullam. Nec magis creduli ſumus Lexicographo cuidam Syro, cujus verba hæc ex *Edmundi Caſtelli Lexico Heptaglotto* adducit (c) *Tenzelius*: *Theophilus primus credentium & celeberrimus apud Alexandrienſes, qui cum aliis Ægyptiis S. Lucam rogabat, ut eis Evangelium ſcriberet.* Equidem Celeb. *Haſæus*, quem modo laudavi, hujus ſcriptoris auctoritate nos ſtare poſſe (d) cenſet, usque dum argumentis inde dimoveamur. Sed nonne hoc ipſum ſatis argumenti eſt, quod plane non conſtat, quis quaque fide dignus ſit ille Lexicographus. Nemini certe credendum eſt cœca fide, ſed exploratum eſſe debet, & voluiſſe auctorem & potuiſſe vera dicere. Atqui neutrum de Syro illo compertum habemus. Cumque accedat mos priſcæ ætatis, totam hiſtoriam eccleſiaſticam fictis conſpurcandi narratiunculis, merito fabulis his iſtam narrationem aggregamus, donec confirmandæ ei idonea teſtimonia in apricum proferantur: id quod unquam futurum eſſe, juſtiſſimæ ſunt nobis deſperandi cauſæ.

§. 6. Miſſis igitur fabulis ſolus *Lucas* (nam præter eum, ut recte monent Magdeburgici hiſtoriæ eccleſiaſticæ (e) conditores, *de hoc Theophilo nihil uspiam exſtat, ex quo, quis aut ubi fuerit, conjectura ſaltim conſequi liceat,*) nos doceat, quis *Theophilus* ſuus fuerit. Fuit nimirum

(c) *Loc. cit. p. 208.* (d) *Loc. cit. p. 52.* (e) *Cent. I. lib. 2. c. 10. p. 621.*

mirum vir ampliſſimus, magiſtratum gerens ſummæ poteſtati proximum: (ee) id quod manifeſtiſſimum facit *Lucas*, appellans (f) eum his verbis: Κράτιστε Θεόφιλε. Scilicet hunc principum virorum titulum eſſe, vel ex ipſo *Luca* facile confirmatur. In ejus enim *Actis Apoſtolorum* præſes provinciæ (ὁ ἡγεμών) ter (g) ſalutatur κράτιστος, & ut *Lucas* dixit: Κράτιστε Θεόφιλε, ſic *Paulus*: Κράτιστε Φῆστε, inquit. Ac ne quis τὸ Κράτιστε Θεόφιλε reddendum putet *Optime Theophile*: quem in modum Latinis (h) mos eſt, eos, quos amant magnique faciunt, vocare *viros optimos*; obſervamus non ſolum, *optimos viros* frequentius a Græcis dici (i) ἄριστος & (k) βέλτιστος (etſi κρά-

(ee) Graeci id ſane crediderunt, qui in Menologio ſuo ad d. XVIII. Oct. vocant Ηγεμονα, quae vox vel belli ducem vel Praeſidem provinciae vel ſaltem in magiſtratu conſtitutum denotat. T. d. H.

(f) *Luc. I.* 3. (g) *Cap. XXIII.* 26. *XXIV.* 3. & *XXVI.* 25. *Vide* & Er. Schmidium *Comment. ad primum horum locorum.* (h) *Sic* Cicero lib. de ſenect. cap. VI. *honoris gratia filium Catonis appellat* virum optimum, & *cap.* XII. *Catonem inducit ita alloquentem natu minores Scipionem ac Laelium*: Optimi adoleſcentes. *Laelius quoque apud Ciceronem* de amic. *cap. X.* Audite ergo, optimi viri. *Eadem appellatio occurrit in* Quintiliani *Dialogo cap. V.* 2. *XIV.* 4. *XLI.* 7. *Sed quid attinet, plura proferre teſtimonia in re ſatis nota?* (i) *Ab* Æliano Var. hiſt. *lib. II. cap.* 13. *Socrates vocatur* ὁ ἄριστος τῶν Ἑλλήνων, *idemque iterum* cap. 43. *ejusdem libri Socratem annu-*

me-

κράτιστον vocari talem, non plane (*l*) insolitum est,) sed etiam, titulum κρατίστε illo ævo fuisse proprium magistratuum eminentiorum. Respicitur enim ad originem vocabuli, κρά-

τος,

merat τοῖς ἀρίστοις τῶν Ἑλλήνων. *Sic* & Aristoteles *in præfatione libri* de mundo (*si modo Stagirita illius libelli auctor est,*) *Alexandrum M. nominat* ἄριστον ἡγεμόνων. (*k*) Longinus cap. 39. p. 155. *Terentianum suum affatur:* ὦ βέλτιστε. Ælianus *Romanorum illud modo memoratum*, Viri optimi, *hunc reddit in modum lib. II. cap. 34:* ὦ βέλτιστοι. (*l*) *Sic* πόλις κρατίστη, urbs optima, & κρατίστη ἀγωγή, educatio optima, *apud* Plutarchum pædag. X. 2. & XI. 11. *Ostendit etiam* Paulus Leopardus Emendat. *lib. I. cap.* 21. *multis exemplis*, Græcos *eodem sensu dixisse* ἀπὸ τῆς κρατίστης & ἀπὸ τῆς βελτίστης, *hoc est*, sincerè & optimo animo. Nec *dubito* Longini *illud ad Terentianum cap.* 34. p. 135: ὦ κράλιστε, *sic reddere:* ô optime, *vel*, optime adolescens. *Memini quidem*, *Cl.* Fabricio *Bibl. Græc. lib. IV. cap.* 31. §. XI. *p.* 442. *ex hac appellatione concludendum videri, quod Terentianus ille remp. gesserit splendidoque præfuerit muneri. Sed hoc quidem loco* τὸ ὦ κράλιστε *nihil aliud significare, quam* cap. 39. p. 155. ὦ βέλτιστε, *hoc est*, o optime, *non solum hic ipse* παραλληλισμὸς *fidem facit, sed & cæteræ formulæ confirmant, quibus Terentianum alibi locorum appellat* Longinus. *Nam ita eum affatur statim in exordio libri:* Τερεντιανὲ φίλτατε, *ac paulo post p.* 5. *rursus eum appellat* φίλτατον, dilectissimum, *itemque p.* 21. 51. 103. & 153. *Porro p.* 7. & 15. (*utor editione* Langbænii, *Oxon.* 1638.) *ita eum affatur:* Τερεντιανὲ ἥδι-

στε,

τος, vnde & *aristocratia*, *democratia*, gynæcocratia, & hujus generis alia nominantur, & ipse

στε, dulcissime, suavissime; *et p.* 21. ὦ φίλος, *vel, ut alii rectius ediderunt,* ὦ φιλότης. *Ex quibus formulis manifestum est, verba facere* Longinum *non ad virum dignitate conspicuum, sed ad familiarem, quem habebat in deliciis. Quid? cum cap.* 13. p. 59. *eum ita alloquatur:* ὦ νεανία, o adolescens, *ac cap.* 1. *p.* 5. *fateatur, se Terentiani in gratiam hunc* de altitudine styli (*Sic enim Græcam inscriptionem* περὶ ὕψους *converto ex Quintiliani dial. cap. XVIII.* 3. *XXI.* 7. *& XXXI.* 8.) *libellum composuisse, præterea eundem subinde sic affetur;* ἑταῖρε, amice, *p.* 5. 33. *& 35. hinc non absurde colligo, Terentianum fuisse* Longini *discipulum. Certe a doctoribus olim discipulos appellatos fuisse* ἑταίρους, *constat inter doctos, & exemplis confirmatur a* Scheffero *lib. de philos. Ital. cap. XI. p.* 98. *&* 99. *Cl.* Majo F. *Obs. sacr. lib. I. cap.* 4. Lamb. Bosio in Animadversionibus ad scriptores aliquot Græcos *cap.* 24. *p.* 99. *Probatum jam satis, opinor, est,* τὸ κράτιστος *nonnunquam exponi debere per* optimus. *Eodem hoc sensu exponi debere existimo, cum* Hermogenes *initio libri tertii* περὶ εὑρέσεων *sive* de inventione oratoria *M. Julium sic alloquitur:* ὦ κράτιστε Ἰούλιε Μάρκε, *item cum apud* Epiphanium T. I. *p.* 540. *&* 560. *dicitur:* ὦ κράτιστε Θεόφιλε, (*non* κράτιστε *sine* ἵνα ὦ,) *ad quem eundem hoc p.* 590. *exstat alloquium:* ὦ Θεόφιλε. *Cæterum esse hunc eundem Theophilum, cui* Hippolytus *inscripsit suum* de Antichristo *librum, suspicatur* Fabricius *in not. ad Hippolytum p.* 4. *&* in Addendis *ad Bibl. Græc. lib. V. cap. I. p.* 337. *Quæ conjectura quan-*

ipse DEVS a veteribus vocatur (*m*) κρείττων, imo in universum *potentes* in civitate dicuntur (*n*) οἱ κρείττονες. (*nn*) Quod dixi de titulo primaquanti *sit habenda, viderint alii. Redeo ad vocem* κράτιστος, *quatenus ea signat* virum optimum, *adjicioque unum hujus notionis exemplum idque memoratu dignissimum. Scilicet* Arrianus *lib.* VII. *testis est, Alexandrum morti proximum quærentibus*, cui relinqueret regnum, *respondisse :* τῷ κρατίστῳ. *Hoc ita* Curtius *X. 5. 5. reddidit :* ei, qui est optimus. *Recte. Nam* Diodorus Siculus *idem narrans lib. XVII. cap.* 117. *& lib. XVIII. cap.* 1. *destinatum a rege successorem hic* τὸν κράτιστον *vocat, illic* τὸν ἄριστον, *atque ita luculente docet, eandem hic utriusque vocis vim esse. Ac huc respexisse* Plinius *videtur, cum in Panegyrico cap. VII.* (*al. cap. X. n. 7.*) *scribit, eum debere successorem Imperatoris constitui, qui sit* optimus ac diis simillimus. *Ac nugas agit profecto* Jac. Nicolaus Loënsis, *cum* Miscell. Epiphyll. *lib. V. cap.* 18. *contendit, ultimam Alexandri vocem non debere reddi* optimo. *sed* potentissimo.

(*m*) *Sic* Ælianus *Var. Hist.* III. 1. Numen supremum *vocat* τὸ κρεῖττον, *quod &* Athanasius *facit, cujus locum producit* Suicerus *in* Thesauro eccl. *v.* κρείττων. *Pluribus veterum locis hoc loquendi genus confirmat* Lamb. Bosius *lib. cit. cap. XV. p. 67. & cap. XVI. p. 72.*

(*n*) *Ab* Herodiano VII. 3. 11. οἱ κρείττονες, potentiores, *opponuntur plebi & vulgo civium. Sic &* Plutarchus *de educ. lib. cap. XIX. 4. vetat nos ducere uxores* κρείττονας ἡμῶν, *hoc est,* nobis nobiliores & potentiori ortas familia. *Nec rara haec est notio in monumentis scriptorum ecclesiasticorum, e quibus* exem-

mariis magistratibus tribui solito, id illustribus confirmari oportet exemplis.

§. 7. Quæ mihi (o) observata sunt, hæc habe, amice lector. Exstat in *Sponii Itinerario* (p) vetusta Græca Inscriptio, in qua *Senatus civitatis Thyatiræ* vocatur ἡ κρατίστη Θυατειρηνῶν βουλὴ der hochmögende Rath zu Thyatira. Eundem titulum consulibus Romanis inditum fuisse, ex *Dioscoridis* medici præfatione librorum *de natura medica* discimus, quippe in qua consulis Licinnii Bassi meminit his verbis: ἡ τοῦ περιβλέπτου Λικιννίου Βάσσου διάθεσις. Quid? quod Imperatores Romani hoc insigniti titulo sunt, ut augustam esse hanc appellationem, dubitari non possit. Certe *Cyrillus Alexandrinus* initio ope-

*exempla plura exhibet* Suicerus *loc. cit. Etiam* Plautus *Cap. III. 4. 51.* miserae plebi *opponit* bonos, *id est, fortunatos homines, qui opibus ac honoribus florent. Et quis nescit*, optimates *a Romanis dictos esse, qui potentia nobilitateque in civitate eminebant?*

(nn) Jam olim ita Reges dicti, ut patet ex Homero Il. ὰ vs. 80. Κρεισσων γαρ βασιλευς, ὁτε χωσεται ἀνδρι χερηι. Et ἀρειος notat potentissimum apud eundem Il. α. vs. 91. Ὁς νυν πολλον ἀ'ρειος ἐνι στρατῳ ἐυχεται ἐιναι. Ita bonum atque ἀ'γαθον significare hominem divitem & potentem annotavit in Parergis p. 204. Cl. Hombergius. T. d. H.

(o) *A* Menagio *in* Amoenit. Jur. civ. cap. XVI. *idem pluribus confirmari exemplis, itemque a* Pancirollo *in* Variis Lectionibus, *legere me memini.* (p) *P. I. p.* 104.

operis contra Julianum Imp. Chriſtomaſtigem editi his uſus eſt (q) verbis : ἔχων εὐφυᾶ τὴν γλῶτταν ὁ κράτιστος Ἰουλιανὸς, κατέθηξεν αὐτὴν κατὰ τῶν πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ. Parimodo *Pilatus* in ſubditicia ad Tiberium epiſtola, quam Cl. *Fabricius* exhibet in *Codice N. T. apocrypho*, Imperatorem hunc in exordio bis appellat κράτιστον, quod recte Latinus interpres vertit *potentiſſimum*. Sic & *Dio Chryſoſtomus Orat. XLVIII.* Varinum, quem ἡγεμόνα fuiſſe p. 535. indicat, p. 530. appellat κράτιστον. Etiam in fragmento *Pſeudo-Democriti*, quod primus edidit (s) laudatus modo *Fabricius*, hoc (t) legitur alloquium : Κράτιστε καὶ μέγιστε ἀυτοκράτορ, quod recte interpretatus eſt *Rendtorfius : Potentiſſime & maxime Imperator*. Sic & *Joſephus* in fine Ἀρχαιολογίας, itemque in præfatione librorum *contra Apionem* ſcriptorum, Epaphroditum, principem amicorum utriusque Neronis, (nam & Domitianus dictus fuit *alter Nero*,) κράτιστον appellat, hoc eſt, vt hodie loquiuur, *virum illuſtriſſimum atque excellentiſſimum*. *Artemidorus* (u) quoque Caſſium Maximum, virum illuſtrem, appellat τὸν κράτιστον Κάσσιον Μάξιμον. Nec inepte proinde ſuſpicamur, etiam Diognetum fuiſſe virum maxima dignitate effulgentem, ad quem *Juſtini Martyris* adhuc exſtat epiſtola, in qua eum



(q) *p. 3. edit. Lipſ.* (r) *P. III. p. 456. ſqq.* (s) *Bibl. Gr. lib. IV. cap. 29.* (t) *p. 334.* (u) *Lib. IV. de ſomniis p. 197.*

eum salutat κράτιστον. Vides, lector erudite, satis firmo niti fundamento sententiam nostram, quae & *Bezæ* est, *Grotii*, *Erasmi Schmidii*, *Jo.* (α) *Gerhardi*, (β) *Dorschei*, *Sanctii*, (χ) *Cavei*, (γ) *Fabricii*, aliorumque, iamque olim *Theophylacti*, in procœmio in Lucam (ζ) *Theophilum* nostrum vocantis συγκλητικὸν ἄνδρα καὶ ἄρχοντα ἴσως, *virum senatorium ac fortasse magistratu fungentem*, adjicientisque, titulum κρατίστε usurpari ἐπὶ τῶν ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων. Quare *Vulgatus interpres*, *Erasmus*, ac *Vatablus* minus recte verba *Lucæ*: Κράτιστε Θεόφιλε, sic reddiderunt: *Optime Theophile*, quibus *Lutherum* adjungimus, qui sic vertit: Mein guter Theophile. Rectius *Versio Belgica*: Voortreflycke Theophile. Rectissime *Versiones Gallica & Anglica* reddiderunt per *virum excellentissimum*, Eure Excellenz. Illa enim: *Trés-excellent Theophile*; hæc: *Most excellent* (α) *Theophilus*.

§. 8. Cæterum non præteribo, quod unum obstare huic sententiæ videri possit, ac probare, τὸν κράτιστε hic non transferri debere *Vir Excellentissime*, sed *vir optime*. Scilicet & altero loco, *Historiæ apostolicæ* (a) initio, *Lucas* vide-

(α) *Comm. in Acta Apost. p.* 6. (β) *Comment. in Lucam p.* 579. (χ) *Hist. lit. script. eccl. p.* 17. (γ) *Bibl. Gr. lib. IV. cap.* 3. *p.* 90. *not. & cap.* 5. §. 4. *p.* 135. (ζ) *p.* 293. (α) *Angli etiam Regem suum salutant* the most excellent Monarch. *Vid. Miegii* Groß-Britannischer Staat *P. I. cap.* 25. *p.* 849. *edit. Lipsi.* (a) *Act.* 1. 1.

detur *Theophilum* ſuum hoc titulo inſigniturus fuiſſe, ſi is fuiſſet priore loco titulus honoris. Eoque minus is omittendus fuiſſe videtur a longe inferioris vel potius nullius in civitate dignitatis ſcriptore, quod *Paulus* (*b*) hoc dedit præceptum : Ἀπόδοτε πᾶσι τὰς ὀφειλάς, τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν. Certe non eſt mihi dubium, quin hac re permotus *Sanctius* Jeſuita (*c*) ex eo, quod *Theophilo* titulus κράτιστε non iterum fuit tributus a *Luca* in *Actis apoſtolorum*, concluſerit, *Theophilum* poſt ſuſcepta Chriſtianorum ſacra munere ſe ſuo abdicaſſe, adeoque ſplendido illo titulo non amplius potuiſſe decorari. Nec alia fortaſſe de cauſa ſuſpicatus eſt (*d*) *Auguſtinus*, alium eſſe *Theophilum* in *Actis* memoratum ab eo, cui inſcriptum eſt *Evangelium*. Verum enimvero non eſt ſtylus illius ætatis judicandus ex noſtri ævi moribus. Vel ex *Ciceronis epiſtolis* cognoſci poteſt, illo tempore vel ſummos in rep. viros appellatos fuiſſe ſolo ſuo nomine. Idem *Cicero* in orationibus Cæſarianis, quas vocant veteres Grammatici, hoc eſt, in tribus illis, quas *pro Marcello*, *Ligario*, ac *Deiotaro* habuit, prope centies *Julium Cæſarem* appellat, nec unquam tamen, nullo licet adulandi genere omiſſo erga eum, ſumma, id eſt, regia tum poteſtate orbem Romanum regentem, aliter eum affatur, quam hoc modo : *Cæſar*,



(*b*) *Rom.* XIII. 7. (*c*) *Comm. in Act.* I 1,
(*d*) *Lib. IV. de conſ. Evang. cap.* 8.

vel *C. Cæsar*. Unum exemplum producam ex *oratione* pro *Deiotaro*, in cujus quarto capite hæc exstant : *Ignosce, Cæsar, si ejus viri auctoritati rex Deiotarus cessit* : pro quibus hodie ita diceremus : *Ignoscat Majestas tua, Augustissime atque Invictissime Cæsar, quod Serenissimus ac Potentissimus Rex Deiotarus*, cætera. Scilicet non eadem omnibus temporibus sunt honesta atque turpia, decora atque inurbana. Ipse *Lucas* noster (*e*) testatur, regem Agrippam & a præside Festo & ab apostolo Paulo pro illius ævi simplicitate sic fuisse appellatum: Αγεῖππα βασιλεῦ. Ac in *Xenophontis* libro *de regno* Simonides regem Hieronem nunquam affatur aliter, (affatur autem persæpe,) quam hoc modo : ὦ Ἱερων, *mi Hiero*. Pariter apud *Ciceronem* (*α*) Lysander regem Persarum, Cyrum, sic compellat : *Recte vero te, Cyre, beatum ferunt*, cætera. Nolo coacervare plura, ne molestus sim iis, quibus hæc sunt e lectione veterum notissima.

§. 9. Hactenus pluribus confirmavimus, *Theophilum* fuisse virum in eminenti dignitatis gradu positum, sive virum consularem, sive præsidem provinciæ, sive magistratum alium. Ubi autem is vixerit, non est, unde ostendamus. Quod enim fabula vulgi eum Antiochenum fecit, ejus rei hæc esse causa videtur, quod *Lucam* ejus civitatis fuisse

(*e*) *Act.* XXV. 24. & XXVI. 2.

(*α*) *lib. de Senect. cap.* 17.

isse, vetus (*f*) nec forsitan falsa fama est. Æquum igitur judicabatur, historiam sacram à *Luca* inscribi suæ civitatis rectori & patriæ patri. Sed quam lubricum hoc sit fundamentum, qui non videt, is nihil omnino videt. Duo tamen supersunt, quæ mihi videntur comperta habenda esse de *Theophilo*, quia satis perspicue deduci possunt ex nostro *Lucæ* loco, nempe, *Theophilum* fuisse ethnicum, adeoque Historiam sacram ideo esse ad eum a *Luca* missam, ut vicem præstaret apologiæ, demonstraretque, non esse falsam religionem, quam profiteantur Christiani, sed esse eam irrefragabilibus munitam divinitatis argumentis. Fuisse autem *Theophilum* nostrum ethnicum, haud difficulter evinci posse puto. Nam præsides provinciarum, cæterosque magistratus, Imperatorum, a quibus constituti erant, religioni addictos fuisse, in confesso est apud omnes. Quare cum & *Theophilus* noster haud dubie fuerit ethnicus, cum ad hunc dignitatis gradum promotus fuit, eum ethnicis sacris abjectis factum esse Christianum, non temere credi debet, sed exacta affirmatione probandum est. Primo enim per se difficillimum est, ex avitæ religionis tenebris in lucem veritatis emergere. Deinde quo quis splendore opum honorumque majori circumfunditur, eo minus solet de religionis veritate philosophari, sed majorum



(*f*) *Hieronymus Catal. script. eccl. cap. 7.*

placita ſecure retinet ac fortiter propugnat. Denique ſi vel maxime *Theophilus* ſenſiſſet ſecum, religionem Chriſtianorum eſſe religionem vere divinam, tamen non palam videtur diſceſſurus fuiſſe a patrio deorum cultu, cum profeſſio religionis Chriſtianæ eſſet conjuncta cum præſentiſſimo periculo vitam pariter cum dignitate bonisque omnibus amittendi. Iterum igitur dico, non credi debere, *Theophilum* fuiſſe vere Θεόφιλον, hoc eſt, Chriſtianum, niſi id perſpicuo oſtendatur argumento. Atqui tale nullo pacto poteſt afferri. Præter Lucam enim nemo ſcriptor exſtat, qui de *Theophilo* noſtro quicquam memoriæ prodiderit. *Lucas* vero haud ſane dicit, eum fuiſſe Chriſtianum, imo tacens dicit, Chriſtianum non fuiſſe. Quippe nec in alloquiis ad eum ſuis mentionem facit ejus ad Chriſtianorum ſacra tranſitus, (quod tamen fieri par erat, & facere ſolet in epiſtolis ſuis *Paulus*, *Lucæ* doctor,) nec ei apprecatur divinam gratiam ad ſubinde capienda in fide virtuteque Chriſtianâ incrementa.

§. 10. Videor quidem mihi objicientes audire, quod *Lucas* (g) ſcribit, *Theophilum doctrinas Chriſtianas edoctum eſſe*. Ἵνα ἐπιγνῷς, inquit, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν Equidem fateor, τὸ κατηχεῖν perfrequenter uſurpari de doctoribus alios in religione Chriſtiana inſtituentibus, ac hujus generis tirones vocitari *catechumenos*. Sic Apollo ille in *Actis*

(g) Luc. I. 4.

*Actis Apostolorum* (*h*) dicitur fuisse κατηχημένος τὴν ὁδὸν Κυρίου, hoc est, a doctoribus apostolis vel evangelistis traductus ad religionem Christianam. Eodem modo *Paulus auditoribus sacram habere concionem* vocat (*i*) κατηχεῖν ἄλλους. Nec vero propria hæc notio est ac perpetua. Ipse *Lucas* noster nos doceat, generaliori sensu τὸ κατηχεῖσθαι interdum capi, &, cum sequitur vox περὶ, signare *famâ aliquid cognoscere*. Quem igitur in modum *Actor.* XXI. 21. hæc verba: κατηχήθησαν περὶ σοῦ, ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως, recte sic interpretati sunt *Vetus interpres* & *Vatablus*: *audierunt de te, quod defectionem doceas a Mose*: eodem loco *v.* 24. ista verba: ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ, οὐδέν ἐστιν, hunc in modum fuere reddita: *quæ de te audierunt, falsa sunt*; sic hæc exordii *Evangelii Lucæ* verba: ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν, hunc omnino sensum habent: *ut cognoscas veritatem eorum, quæ de Christo ejusque miraculis, itemque de Christianis, pervenerunt ad aures tuas.* Quod si quis veri similius existimet, *Lucam* opus suum sacrum inscripsisse homini Christiano, is velim recordetur, & alios priscæ ecclesiæ doctores de religione Christiana commentarios exarasse ad magistratus ethnicos, eosque veram Christianæ religionis originem & indolem edoce-



(*h*) *Cap.* XVIII. 25. *Conf. Suicerus Thes. eccl. v.* κατηχέω.

(*i*) 1. *Corinth.* XIV. 19. & *Gal.* VI. 6.

re conatos esse. Sic *Quadratus* & *Aristides* (k) ad Imp. Hadrianum, *Justinus* Martyr ad Antoninum Imp. *Cyprianus* ad Donatum, *Theophilus* Antiochenus ad Autolycum, omnes ethnicos, scripserunt apologeticos libros, in quibus veriora docuerunt eos, qui fœdissimis mendaciis de Christo Christicolisque fuerant onerati.

§. 11. Cum igitur nulla causa nobis sit credendi, *Theophilum* fuisse Christianum, sed veri simillimum sit, eum magistratum fuisse ethnicum, hinc prono sequitur alveo, ei traditam a *Luca* esse historiam Christi & apostolorum tanquam apologiam Christianæ religionis. Ac videtur *Theophilus* non fuisse cœcus Christiani populi hostis, sed, quam laudem Sergio Paulo tribuit (l) *Lucas*, ἀνὴρ συνετὸς, judex æquus, utrique parti æquas præbens aures. Comparaverim eum haud immerito *Plinio* juniori, qui, etsi ethnicus nec unquam Christianus, tamen benignius sensit de Christianis, nec omnem cæterorum ethnicorum more in eos expromisit crudelitatem. Nec vero omnium prima solum hæc est (m) apologia

(k) *Testis est Hieronymus Catal. script. eccl. cap.* 19. & 20. (l) *Act. XIII.* 7.

(m) Apologiam Sanctissimae fidei nostrae hoc Lucae scriptum esse observavit quoque pulcherrimæ Harmoniæ Evangelicæ scriptor Fr. *Burmannus* p. 260.

logia pro Christiana religione, quam *Theophilo* inscriptam edidit *Lucas*, sed etiam omnium optima ac sapientissima. Quomodo enim melius defendi tum poterat Christiana religio, quam simpliciter enarrando facta Christi & apostolorum, quæ illo tempore innumeris testibus αὐτόπταις & ὑπηρέταις confirmare promtissimum erat? Atque hæc dicta sunt de *Theophilo*.



260. Et meo quidem judicio recte, eum, sive Theophilus fuerit Judæus, sive Christianus, sive ethnicus ad eum percommode tanquam Virum Illustrem, tale scriptum apologeticum potuerit allegari. T. d. H.

IV.

# THEODORI HASAEI,

## ad praecedentem de THEOPHILO,

## *dissertationem*

## SICILIMENTUM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Theophili nomen vulgare fuit. Id docetur ex inscriptionibus §. 1. Alii Theophili inter ethnicos §. 2. Inter Christianos, praecipue Graecos §. 3. 4. 5. Inter Judaeos. Quorum in numero est Theophilus, Pont. Max. §. 6. Hunc esse Theophilum Lucae non improbabile est. Convenit enim (α) nomen (β) Titulus κρατιστος, (γ) Tempus. §. 7. (δ) Locus. Hierosolymis Lucas Evangelium suum scripsit. §. 8. 9. *Occasio*, quae data est illi ut hoc inscriberet Theophilo. §. 10. Phrasis, κατηχεισθαι περι τινος illustratur. Locus Plutarchi. Catechumeni sunt *Audientes* §. 11. Illa (ε) quae Lucas habet reliquis Evangelistis intacta idem videntur indicare §. 12. 13. Κρατιστος an recte vertatur *Optimus* §. 14. Datum hoc nomen provinciarum Praesidibus, quales erant Felix & Festus §. 15. Qui καθ' ἐξοχην a S. P. Q. R. ita dicti §. 16. Non tamen inde sequitur Theophilum non potuisse esse Christianum. Lucae enim aetate com-

plu-

plures primariae dignitatis homines Christiani erant §. 17. Inter illos quoque fuit *Pomponia Graecina*, memorata Tacito. Christiana religio habebatur *superstitio* §. 18. & quidem *externa* §. 19. Probatur id ulterius §. 20. Conclusio §. 21.

## §. 1.

REcte observatur antecedentis disquisitionis elegantissimae paragrapho tertio nomen *Theophili* usu tritum fuisse. Liceat nobis Catalogum eorum, qui illo insigniti fuere, quem J.A. *Fabricius* atque *Heumannus*, summi Viri, exhibuere, aliquantum locupletare. Ordiemur a Romanis atque ethnicis, tum progressuri ad Christianos, praecipue, Graecos, denique, num & tales inter Judaeos fuerint, investigaturi. Inter illos, qui a vero Dei amore, cultuque alieni erant, multos tamen Dei amantes, i.e. Theophilos dictos vel solae abunde docent veterum lapidum inscriptiones. Ita apud Gruterum fit mentio Q. Cornelii *Theophili* pag. 41. n. 1. P. Rubrii *Theophili* Paedagogi p. 585. n. 12. M. Cincii M. L. *Theophili* p. 650. n. 8. Julii *Theophili* peculiaris pag. 706. n. 16. J. Julii *Theophili* p. 795. n. 5. Q. Sex. Avidi Sex. L. *Theophili* p. 962. n. 12. Q. Calidii Q. Q. Q. *Theophili* p. 966. n. 5. L. Domitii *Theophili* p. 994. n. 4. M. Terentii A. L. *Theophili* p. 997. n. 6. Apud Reinesium occurrit A. Cardicius *Theophilus* Cl. 1. n. 106. *Theophiletis*

*letis* medici meminit inscriptio apud Gruterum p. 635. n. 6. Feminis quoque hoc nomen datum esse ex ἐπιγραφαις apud eundem colligimus, ubi Pactumeja *Theophila* pag. 883. n. 7. & Fabia *Theophila* pag. 871. n. 1, commemorantur.

§. 2. Praeterea inter Archontes Athenienses Olympiadis CVIII. anno primo numeratur Theophilus. *Theophilum* Consularem Syriae à Gallo Caesare furenti populo Antiochensi objectum, ab eoque discerptum narrat Ammianus L. XIV: c. 7. *Theophili* Philosophi opus περι καταρχων πολεμικων Graece extare Romae in Bibliotheca Pontificia testatur Gesnerus. Ex *Theophili* cujusdam libro περι λιθων quaedam adducit Plutarchus in libro de fluminibus, editionis Tolosanae p. 84. *Theophilo* cuidam epistolas inscripsit Libanius, quae inter illas, quas edidit Franciscus Zambicarius locum 9. & 24 obtinent. *Theophili* cujusdam commentarium in Hippocratem in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi MSStum latere, ex Montfauconii diario Italico p. 16. didici. Non dubito quin ille sit notus ille medicus hujus nominis, cujus opuscula de urinis & pulsibus passim exstant. Fortassis quoque ab hoc haud alius est, ille Theophilus, qui βραχυλογωτατος dicitur in Codice MSSto quem possidet, illustris Uffenbachius, ut ex ejus Bibliothecae MSStorum Indice p. 536. disco quique

que in Hippocratis aphorismos scripsit Commentarios.

§. 3. Sed magis hoc nomen invaluit inter religionis Christianae confessores, quorum praecipuos, prout se in adversariis meis offerunt, nulla temporis habita ratione, veluti per saturam exhibebo. *Theophilus* primus Gothorum episcopus, Ulphilae decessor adfuit Concilio magno Nicaeno. *Theophilus*, Episcopus Beneventanus, interfuit concilio Romano habito a. 313. Alteri concilio Romae quoque habito a. 761. nomen suum subscripsit *Theophilus*. S. R. E. humilis presbyter tituli S. Sabinae. *Theophilus*, Trajanopolitanus sacrorum Praesul in exilium missus fuit post concilium Sardicense a. 348. De *Theophilo*, scholastico, Cappadoce, martyrium passo sub Diocletiano vide Martyrol. Rom. ad d. VI. Febr. & Surii acta sanctorum T. 1. De *Theophila*, virgine Nicomediensi miris modis e tyrannide Maximiani erepta acta martyrum passim loquuntur. *Theophilus* Comes S. consistorii ab imperatore Justiniano ad Theodosianum Codicem compingendum ordinatus fuit. *Theophili*, Zacynthi Episcopi, a Michaele Imp. Constantinopolitano Romam ad Papam Nicolaum missi in ejus vita meminit Anastasius. Idem in vita Constantini Papae mentionem facit *Theophili*, Patritii extratici caravisianorum, vel ut Baronius legit, strategi Curavisianorum, qui in insula Caea

Con-

Constantino iter Byzantium facienti occurrerit. *Theophili*, monachi, qui tempore Leonis Isaurici imaginum cultum defendit, neque pauca ob eundem passus est, memoriam Graeci colunt postr. Kal. Octobris. Magnus earundem patronus fuit *Theophilus* Ephesinorum Episcopus, de quo consule Baronium ad a. C. 816. c. 41. Ex adverso earum cultui restitit fortiter *Theophilus* alius, Metropolita Nacoliae, de quo ad annum C. 727. vide Baronium.

§. 4. Quis porro nescit *Theophilum*, Michaelis Balbi filium, Michaelis Patrem, qui inde ab a. Christi 829. ad a. 842. imperio Constantinopolitano praefuit? *Theophili* Calligraphi, ejusque librorum contra Severum scriptorum meminit Photius in Bibliotheca cod. 231. Hic Photius a. 859. *Theophilum*, Amorii Episcopum una cum aliis ad Nicolaum Papam ablegavit auctore Niceta. Idem quoque refert *Theophilum*, Protospatharium, impurum hominem, ludibrii causa ad sedem Patriarchalem Constantinopolitanam a. 862. ab Imp. Michaele evectum. *Theophili* τὸ πρεσβυτε ingravescente aetate martyrii coronam sub Decio adepti meminit Nicephorus L. V. c. 21. & Euseb. Hist. eccl. L. VI. c. 33. & G. Syncellus in Chronogr. p. m. 369. De *Theophilo* Indo, Adiabeno, miraculis etiam claro, a Constantio Imp. in Indiam atque ad Æthiopes misso consule Suidam, Nicephorum Hist. Eccl. L. IX. c. 18. & 19. & Philostorgium

gium in Hist. E. L. II. c. 6. L. III. c. 4. L. IV. c. 7. & 8. & L. VIII. c. 2. & Sand. in hist. eccl. L. II. p. 193. Alius *Theophili* Episcopi Libyae ab Imp. Constantio multati exilio, quod Synodo Constantinop. a. 359. nollet subscribere, mentionem facit Philostorgius L. VII. c. 6. & L. V. c. 4. *Theophili* τε σοφωτατε dicti meminit Chronicon Paschale sive Alexandrinum. *Theophilum* της ἐν Καισαβαλοις ἐκκλησιας προεσαντα ab Arianis sede sua remotum fuisse narrat Niceph. L. IX. c. 45. Ejus quoque meminit Theophanes in Chronogr. p. 48. & Socr. Soz. L. IV. c. 11. de *Theophilo* Cilice, adversario suo conqueritur Basilius in Epist. ad Theodotum ep. 196. qui & *Theophilo* Episcopo inscripsit epistolam. 309. Inter episcopos Alexandrinos non solum *Theophilus*, qui sub initio saeculi quinti floruit, illustris est, sed & alius ejus nominis eandem cathedram ab a. 1002. ad a. 1032. tenuit, qui & Philotheus dictus est. Solent & Æthiopes diem XVIII. Octobris celebrare dicatum memoriae *Theophili*, Patriarchae Alexandrini, quem numero vicesimum tertium facit, & *cycli Paschalis compositorem* appellat Kircherus in supplem. Prodr. Copt. p. 520 quamquam ejus Wanslebius in catalogo Patriarcharum Alexandriæ non meminit. *Theophili* patricii martyris Theophanes in Chronogr. meminit p. 456.

§. 5. *Theophilum* aliquem, quem κρατιστον vocant, commemorant Methodius & Proclus

clus apud Epiphanium Opp. T. I. L. II. contra haer. pag. 540. 560. 590. Hunc non alium esse ab illo Theophilo, cui suum de Antichristo librum inscripsit Hippolytus, suspicatur praestantissimus ejus editor J. A. Fabricius. *Theophili* Adanensis Oeconomi poenitentiam & conversionem a. C. 835. scriptam ab Eutychiano ejus famulo & clerico Adanensi MS. memoratur apud Lambecium VIII. p. 75. Latine quoque exstat apud Surium & Bollandum cum paraphrasi metrica Marbodi episcopi Redonensis, cujus quoque operibus cum Hildeberto Par. 1708. editis adjuncta est. Vide Bibl. Gr. Fabricii T. IX. p. 149. In MSStis Bibliothecae Bodlejanae. n. 3781. occurrit S. *Macarii itinerarium usque ad Paradisum terrestrem, s. de vita ejus & conversatione per* THEOPHILUM, Serginum, Chiinum (lege Hyginum) monachos. Auguror hunc librum esse eundem, qui sub nomine *Vitae S. Macarii* exstat apud Rosweydum in vitis Patrum p. 224. Inter Codices manu exaratos Bibliothecae Cottonianae occurrit *actus* Theophili, *qui Christum negavit & recuperavit.* Gesnerus in Bibliotheca videtur hujus libri alium titulum exhibere, quem in membrana exstare scribit. THEOPHILI *publica poenitentiae satisfactio, qui Christum abnegavit & veniam S. Mariae virginis impetrare promeruit.* Idem *Theophilum* quendam pulcherrimum de vitrificatoria librum conscripsisse auctore H. Cornelio Agrip-

grippa refert. Adducit quoque *Theophili* monachi L. III. primum de *temperamentis colorum*, ſecundum de *ratione vitri*, tertium de *fuſoria & metallica*, qui apud G. Agricolam in pergamenis exſtet, ut & Lipſiae, quo ex Bibliotheca (*a*) Cellae, veteris monaſterii fuerint translati. THEOPHILI Palaeologi inſignem virtutem, quam in obſidione atque expugnatione Conſtantinopoleos exhibuit, paſſim celebrant, qui illius hiſtoriam memoriae prodiderunt. Sed de his ſatis. Uberior ac luculenta magis Theophilorum exſtaret hiſtoria, ſi illam, promiſſis ſuis ſtantes ſingularibus diſſertationibus illuſtratam exhibuiſſent clariſſimi Viri Humfredus Hodius, νυν εν μαχαιροις, & Wilh. *Schelguigius*, in Athenaeo Gedanenſi Profeſſor meritiſſimus, quem, ut fidem ſuam quam primum liberet, rogamus publice.

§. 6. Neque inter (*b*) Judaeos hoc no-



(*a*) Hujus coenobii inclyti, in Miſnia hiſtoriam ſingulari volumine illuſtravit Antiquitatum ruſpator ſolertiſſimus Chriſt. *Schlegelius*, edito Dresdae. 1703. 4. ut monui in ſupplem. ad Sagittarium p. 543.

(*b*) Judaei hoc nomine videntur expreſſiſſe τὸ יְדִידְיָה, ex 2. Sam. XII: 25. petitum. Quamvis haec vox potius ſignificet Θεοφιλην, *a Deo amatam*, quam Θεόφιλον *Dei amatorem*; ſicut eadem etiam vulgo interpretari ſolent nomen celebris inter eos

men prorsus ignotum fuit. Josephus hujus nominis Viros tres illustres exhibet. Nempe A. J. L. XVII. narrat Herodem magnum in locum soceri ejus Simonis Boethi filii suffeciſſe Matthiam, Hierosolymitanum genere, paulo tamen ante mortem ab eodem officio suo depulsum. Hunc autem scribit filium fuiſſe THEOPHILI. Hic cum aetatem Salvatoris nostri antevertit, non is potuit esse, cui librum suum inscripsit Lucas. Distinguendus autem probe est ab alio Matthia, pariter THEOPHILI filio, qui in summo pontificatu surrogatus est JEsu Gamalielis filio, ab Agrippa rege, & quo Pontifice triste illud bellum Judaicum exarsit, cujus meminit Jos. A. J. L. XX. c. 8. §. 17. Num hic Theophilus, Matthiae Pater, fuerit idem cum THEOPHILO, Ananis sive Hannae filio, Cajaphae affine,

eos PHILONIS. Illud autem Jedidia Judaei Germani reddiderunt גוטליף vel גאטליב Gottlieb / i. e. Theophilus, quamquam in R. Simchae ben Gerson ס' שמות, cujus excerpta exhibet in Bibliotheca sua Ebraica celeberrimus J. C. Wolfius, pag. 32. vocem hanc explicent אוהב טוב, amans bonum. Patet id ex exemplo R. Jedidiae filii Abrahami, alias filii Israelis, Lembergensis, cujus extat שיר ידידות qui se vocat גוטליב, ut & ידידיה המכונה גוטליפא *Jedidia cognomine Gottlieb*, cujus mentio fit in Catalogo incomparabilis Bibliothecae Uffenbachianae, insigni bono publico nuper admodum edito p. I. pag. 2. Ex quo simul colligas recentiori etiam aetate nomen Theophilorum inter Iudaeos non evanuisse prorsus. T. d. H.

ne, (ejus enim sororem hic habuit in matrimonio) cui Vitellius Pontificatum fratri ejus Jonathae ademtum, obtulerat, narrante Josepho L. XVIII. c. 7. quod factum circa annum c. 39. non habeo dicere, quamquam praefracte negare non ausim. Hoc certius est, eum Pontificatum non diu tenuisse, cùm quadriennio circiter elapso circa a. 43. imperante Claudio ab Agrippa pontificatu illo rursus esse dejectum, successore ipsi dato Simone Boethi filio, testetur idem Josephus L. XIX. c. 5.

§. 7. Quid si vero hunc *Theophilum*, summum Judaeorum sacerdotem diceremus illum esse, ad quem libros suos divinos allegavit D. Lucas. Venit illa suspicio mihi his diebus in mentem. *Nomen* enim (α) idem est. *Titulus* (β) τὸ κράτιστε, qui Viris in dignitate atque honoribus positis magistratumque gerentibus dabatur, cui conveniret aptius, quam summo sacrorum inter Judaeos praefecto, dignitate atque auctoritate inter illos maxime eminenti? Neque (γ) *tempus* abludit, Imperante enim Claudio vixit hic Theophilus, pontificatumque adeptus est, ast eodem tempore, anno sc. post Christi mortem XV. Lucam Evangelium suum consignasse literis, vulgaris maxime opinio est. Quamquam autem ego non in ea quidem sententia sim, sed id factum esse anno Neroniano circiter IV. aerae Christianae LVIII. putem, tamen

unusquisque videt hunc annum vivendo adtingere potuisse Theophilum nostrum, cum plurimorum sit opinio diu adhuc postea imminente excidio Hierosolymae superasse Hannam Theophili Patrem.

§. 8. Quod adtinet (δ) *locum*, in quo uterque vixit, constat non Theophilum hunc solum, sed & Lucam in Judaea fuisse commoratos : Praeterea valde mihi fit verosimile, Evangelistam Hierosolymis Evangelium suum consignasse literis, illo tempore, quo in hac urbe & Caesareae in vinculis detinebatur ejus Achates D. Paulus. Idque ante primam hujus ad urbem Romam profectionem; quae historia describitur Act. XXIV: 7. Interea autem Lucam adhaesisse Paulo, colligimus ex eo, quod immediate ante illam captivitatem cum Paulo erat Hierosolymis, ut patet ex Act. XXI. 15-18. deinde autem se tacite quasi eidem adjungit comitem in itinere illo, & navigatione Act. XXVII: 1. & XXVIII: 1-16. Tum autem suum Evangelium in urbe sancta vel saltem in ejus vicinia, scripsisse paene colligo, ex documentis illis Genealogiae Christi, quae affert, quorum vix alibi, quam Hierosolymis vel Bethlehemi potuisset fieri compos.

§. 9. Non quidem ignarus sum, celeberrimum Franciscum Burmannum, F. in harmonia Evangel. in prolegom. ad Lucam conjicere, non esse simile vero isto tempore Lucam hi-

hiſtoriam Evangelicam mandaſſe literis, quod captivo Paulo non ea potuerit gaudere ac frui animi tranquillitate, quae quidem ad ejusmodi conficiendum opus requirebatur. Sed, quisquis cogitat, illam captivitatem per ὁλην διετιαν fuiſſe continuatam, Lucâ interea temporis plena fruente libertate, facile perſpiciet, cujus ponderis illa praeclariſſimi viri cogitatio ſit. Certe, ſi deinceps Pauli cuſtodia in urbe Roma, non praepedire potuit, quo minus interim Lucas ad conſignandos fideliter actus Apoſtolicos animum adjungeret, eamque profligaret fideliter, quod factum eſſe Romae recte probat Burmannus, non video, quid obſtet, quo minus idem, Paulo in Judaea in vincula conjecto, cum ipſe interea neque itineribus neque aliis negotiis impediretur, hiſtoriae ſuae Evangelicae contexendae vacare potuerit quam commodiſſime? Praeſertim cum operâ Jacobi Apoſtoli, agnati Domini, & illorum Presbyterorum, a quibus tam humaniter adveniens exceptus erat Act. XXI. 17. 18. vel etiam ſacerdotum converſorum, Act. VI: 7. tam egregie in illo opere conficiendo potuit adjuvari. Hoc autem tempus ſcripti Evangelii Lucae, quisquis comparaverit cum illis verbis Joſephi, quae leguntur L. XX. c. 8. ιησυς τον ιυ γαμαλιηλυ την ἀρχιεροσυνην ἀφειλομενος ἐδωκεν ματθια του Θεοφιλυ, καθ' ὁν καιρον ὁ προς Ρωμαιους πολεμος Ιουδαιοις ἐλαβε την ἀρχην, deprehendet, haud lon-

longo intervallo eam epocham distare a temporibus Theophili, si vel etiam posteriora verba, *quo Pontifice bellum Romanorum cum Judaeis gestum initium coepit*, non ad Theophilum, sed Matthiam velis referre.

§. 10. In illa vero urbe Hierosolyma suppeditari potuit optima (ε) *occasio* Lucae, Commentarios de Christo mandandi monimentis, quae offerret isti Theophilo. Honorato enim huic Viro, qui ipso defunctus erat summo sacerdotio, non poterant ea, quae de gestis, miraculis, morte ac resuscitatione DOMINI narrabantur, ignota esse. Quid ni enim illi tum summo jure illud objici potuisset, quod apud Lucam nostram Cleophas respondebat Christo; Συ μονος παροικεις ἐν Ιερουσαλημ, και ουκ ἐγνως τα γενομενα ἐν αὐτη ἐν ταις ἡμεραις ταυταις; Luc. XXIV: 18. Idque eo minus, quod Hannae, patris sui & Cajaphae, affinis sui, non exiguae in toto illo negotio fuerint partes. Neque credibile est, eum rerum gestarum tanti momenti, a quibus totius reipublicae Judaicae, populique salus & fata dependebant, tam fuisse incuriosum, ut non circumstantias omnes illarum sollicite investigaret, excuteret, ponderaret. Et, cum cordati, sapientisque Viri omnino sit, non prius cogitationum facere summam, quam accurate subductis rationibus omnibus, alterique etiam parti accommodatis auribus, valde est probabile, apostolos reliquosque Chri-

Christi sectatores ab eo auditos diligenter, ut de rei veritate edoceretur melius. Quibus consideratis, facile animadvertis, quae dari potuerit occasio Lucae, istos de vita Christi commentarios perficiendi, eosque offerendi Theophilo, nimirum, vel ut ipse confirmaretur in ea disciplina, cui argumentorum victus pondere praebere coeperat vacivas aurium aedes, vel, ut, si istam Lucae phrasin, περὶ ὧν κατηχήθης λογων, cum eruditissimo Heumanno de rumore solum, qui in ejus quoque aures penetraverat, velis sumere, de auspiciis Christianae religionis isto libro apologetico, instrueretur felicius, quo de illa mollius benigniusque, quam quidem a reliquis sacri ordinis Viris fiebat, sentire inciperet.

§. 11. Et quod quidem illam a D. Lucano, (hoc enim genuinum Viri sanctissimi nomen fuit) usurpatam phrasin adtinet, illa apud veteres auctores vix occurrit. Neque Hesychius, neque Julius Pollux, neque Harpocration, neque Etymologus, neque Eustathius eam explicant. Luciani quidem & Porphyrii loca adduxit Henricus Stephanus, in quibus ea vox reperitur, sed tamen non illa constructione, quali in hoc loco, & in Actis Apostolicis cap. XXI. vs. 21. & 24. usus est D. Lucas. Unicum tamen locum indagare licuit, in quo parilis reperitur constructio, apud Plutarchum nimirum, qui de flumi-

nibus scripsit: Ille enim scribit Capite de Pactolo, editionis, quae Tolosae a. 1618. in 8. prodiit, pag. 24. Παχτωλος ἐν τοις ΑΦροδιτης μυστηριοις Δημοδικην την ἀδελφην κατ' ἀγνοιαν βιασαμενος, καὶ περι των συμβεβηκοτων κατηχηθεις, δια λυπης ὑπερβολην ἑαυτον ἐρριψεν εἰς ποταμον, &c. τ. λ. Phil. Jac. Mausacus, qui primùm librum illum suis illustratum notis edidit, verba illa καὶ περι των συμβεβηκοτων Κατηχηθεις, ita vertit. *Et superatus a casu*; nullo sensu, vel saltem alieno. Ita enim transferri debent, *& postquam de iis, quae contigerant, erat certior factus*, ut sensus sit, Pactolum inscium in ΑΦροδισιους vim intulisse sorori suae Demodicae, deinceps autem, cum *rem illam inaudivisset, quae contigerat*, tristitia nimia oppressum se conjecisse in fluvium. Videlicet κατηχεισθαι περι τινος est aliquid percipere auribus. Unde in veteri ecclesia nomen Catechumenorum ortum est. Quamvis enim οἱ Κατηχουμενοι ἀ τοις Ἀκροωμενοις subinde distinguantur, saepissime tamen quoque dicuntur *audientes*, id quod innumeris Veterum scriptorum locis comprobari posset, si id nunc ageretur. Unum alterumve tantum nunc adducam. Isidorus Orig. L. VII. c. 4. *Catechumenus dictus, pro eo quod adhuc doctrinam fidei AUDIT, nam* κατηχουμενος *Graece AUDITOR dicitur.* Quae verba paene eadem habet Rabanus Maurus de instit. Cleric L. I. c. 26. August. de verbis Dom. serm. 46. *Qui autem inter*

ter

ter eos Catechumeni *vel* Audientes *vocantur*, *potuerunt esse* Audientes, *nunquid & intelligentes*: Et paulo post. *Tu autem* Catechumenus *diceris* AUDIENS *& surdus*. Et Cyprianus L. III. ep. 17. & 22. Optatum scribit a se constitutum Doctorem AUDIENTIUM. i. e. Catechumenorum. Sed haec in re nota plus satis. Vides κατηχεισθαι esse *audire*. Latine omnium optime vocis vim exprimit το *Circumsonare*, qua utitur Cic. de off. in proœmio L. III. *Condœcere arbitrortalibus vocibus aureis tuas undique* circumsonare, *nec eas, si fieri posset quidquam aliud* AUDIRE. Aut potius *circumsonari*, quae vox apud Ovid. in trist. L. V. el. 3. vs. 11. occurrit.

*Nam procul a patria Geticis* circumsoner *armis.*

Circumsonari armis Graecè phrasi Lucae diceres κατηχεισθαι περι των οπλων. Rectissime itaque observat Cl. Heumannus ex phrasi, qua usus est Evangelista, non sequi eum Christianorum sacris fuisse imbutum, sed eorum tantum rumorem ad ejus aures perveniisse.

§. 12. Illa autem (ζ) conjectura nostra de hoc Theophilo non parum inde videtur contrahere roboris, quod pleraque, quae Lucas adtulit reliquis sacris scriptoribus intacta, vel *Sacerdotes*, vel res in *Templo* gestas respiciant. Huc pertinent, quae statim in ipso limine de Zacharia sacerdote ex tribu Abia, ejusque uxore Elisabetha, rebusque quae in

ipso templo contigerunt, de Christi in illo oblatione, de decantatis à Simeone juxta & Anna in templo hymnis ac vaticiniis, de Christo duodecenni in eodem inter doctores considente, omniumque cum admiratione verba faciente capitibus I. & II. narrantur. Ut nunc reliqua taceam; Sane, haec omnia ad illum, qui Sacerdotis maximi munere functus erat, scripta videntur ut, cum ei minime omnium ignota esse possent, revocarentur in memoriam, quò de veritate religionis Christianae vel persuaderetur fortius vel in ea confirmaretur amplius. Eum in finem quoque diceres monitum esse, cum se accingeret Evangelista ad recensendam historiam Christi, ejusque prodromi Johannis, ea facta esse ἐπ Ἀρχιερεων Αννα και Καϊαφα, *Sacerdotibus summis Hanna & Caipha* Luc. III: 3. quorum ille Theophili pater, hic ejus affinis erat. Porro cum Christus praedicit instantes passiones suas, solus Lucas annotat, earum auctores fore τȣς Αρχιερεις Lur. IX: 22. Nemo est, qui de obsidione Hierosolymae futura Christi praedictionem secundum omnes circumstantias tam accurate enarravit, quam Lucas. XIX: 41. 42. 43. XXI: 6 7. Et quae ejus generis plura sunt; Cujus rei rationes non melius perspexeris, quam si Theophilo nostro, των ἀρχιερεων quondam Principi, templique praefecto hunc librum inscriptum memineris.

§. 13.

§. 13. Porro si Actus Apostolicos contuleris, videbis non solum, ea quae publice in templo Hierosolymitano contigere, plene narrari, sed & toties illorum Ἀρχιερεων mentionem fieri, qui Theophilum nostrum propinqua cognatione adtingebant, eosque auctores supplicii Christo irrogati, molestiarumque Apostolis inflictarum considerari. Ita ut ad illius quasi conscientiam rerum harum omnium provocetur. Quae totum librum perlustranti obvia erunt & expedita. Haec omnia apud animum meum perpendens, vero mihi fit simile *Theophilum*, ex sacerdotali ortum genere, illum esse, ad quem divinus scriptor Evangelium suum allegavit. Saltim, nunquam Theophilus alius a quoquam est indicatus, in quem omnia accuratius quadrent, quam quadrant in hunc, quem produximus. Si quis tamen sit, qui putet sibi causas esse, cur nobis pollicem nequeat premere, is sciat, nos non alio loco haec à quoquam velle haberi, quam quo conjecturae probabiliores habendae sunt. Tantum abest, ut cum aliquo velimus super hoc negotio altercari.

§. 14. Sub finem §. 7. Cl. Heumannus, minus recte το κρατιστος a Vulgato interprete, atque aliis eum secutis, redditum esse *Optimus* monet, cum potius vox ea vertenda sit *excellentissimus*. At Vulgati partes olim Pricaeus & nuper admodum erudite, ut solet,

solet, tuendas suscepit Frater meus Jacobus HASAEUS, in dissertatione, quae antecedenti fasciculo septimum locum occupat, ubi ostendit titulum *optimi* non solum datum illustribus dignitate viris, apud Romanos quoque, sed & ab his demum morem hunc loquendi derivatum esse ad Graecos. Digna sunt omnino, quae ibi adtulit, ut cum his conferas. Et sine viris quibuscunque virtute eximiis, maxime tamen in honoribus ac dignitate positis hoc ἀξίωμα *optimi* inpositum cum innumera veterum scriptorum loca tum veteres inscriptiones satis docent. Ita illo insigniuntur apud Gruterum p. 444. n. 2. Cn. GAJUS PUDENS *Senator*, & p. 445. n. 5. C. OPPIUS, multis dignitatibus aliis illustris, *omnibusque officiis in caliga functus* dicitur *optimus dignissimusque*.

§. 15. Provinciarum inprimis Praefecti & Praesides ita audiunt. Sic JVLIVS *praetor & Curator civitatis Interamnatium*, *Proconsul provinciae Achajae* caetera, PRAESES OPTIMVS apud Gruterum p. 422. num. 7. & T. CLAVDIVS CANDIDVS, Cos. XV. vir *S. f. leg. Augg. Pr. Pr. provinc. h. c. & in ea terra marique dux*, caetera. p. 389. num. 2. & M. NONIVS M. F. Cos. XV. vir *sacris fac. leg. Aug. leg. Aug. Pr. Pr. prov. Pannoniae inferioris* ut & T. VARIVS *Clemens, proconsul provinciarum Belgicae, & utriusque Germaniae, Raetiae, Maureta niæ, Lusitaniæ, Ciliciae*, & quae sequuntur, isto titulo

OPTI-

OPTIMORVM PRAESIDVM superbiunt. Sic Aemilianus Strabo, vir consularis & Asiae Proconsul ab Apulejo Flor. L. III. p. m. 236. *Vir inter* OPTIMOS *clarissimus, & inter clarissimos* OPTIMVS dicitur. Ex qua observatione patet, quo jure olim vel Lysias vel Tertullus Felicem, vel Paulus Festum, utrosque Ηγεμονας sive *Praesides* Act. XXIII: 26. XXIV: 3. & XXVI: 27. Κρατιστε sive *optimos* appellaverint. De his autem epithetis prae aliis digna sunt, ut conferantur, quae Johannes PRICAEVS in notis cum ad Luc. I: 4. tum ad Act. XXIII. 26. adduxit.

§. 16. Alias, quod obiter observo, titulum *optimi* singularem ob virtutem singularibus Viris à Romanis datum accepimus. Ita auctor libri de Viris illustribus cap. 44. & 46. Publico Scipioni Nasicae id contigisse testatur. Ex Imperatoribus autem a S. P. Q. R. id concessum primo omnium Trajano auctores sunt Plinius in Paneg. & Dio in ejus vita. Unde ille toties in inscriptionibus tam lapidum, quam nummorum dicitur PRINCEPS OPTIMVS. Vide Gruterum pag. 190. n. 7. p. 246. n. 8. & 9. p. 247. n. 3. Omnesque paene nummorum, qui Trajani imaginem ostentant, descriptores. Et quidem fere solus; cum enim reliqui dicantur aliquando *principes optimi, maximi, optimi & fortissimi, optimi & providentissimi* & quae hujus generis plura sunt, vix alium tamen deprehendo *optimum καὶ ἐξοχην* dici, nisi hunc

hunc & Aurelianum in inscriptione apud Grut. p. 276. n. 7. Idem tamen encomium M. Antonino Philosopho & Alexandro Severo tributum esse, a Julio Capitolino & Lampridio annotatum me legisse memini, quamquam ipsa loca nunc invenire non liceat.

§. 17. Ex quibus omnibus cum quidem constet, optimi sive κρατιστε nomen Viris principibus atq; in summa dignitate constitutis datum esse, ita, num, quod Theophilus κεφαλαιος dicatur, honoribusque eminuerit, inde liquido sequatur, eum fuisse ethnicum, atque à religione Christiana alienum, quod inde elicere sibi posse eruditissimus Heumannus §. 9. putabat, de eo quidem putem dubitari posse; quod complures fuere viri κεφαλαιοι, eo tempore, & tamen Christiani. Quid enim? Anne vel ante illam aetatem, qua scribebat Lucas, SERGIVS PAVLVS, & summo ortus genere, (erat enim ex splendidissima & primaria Romanorum familia natus) & amplissima dignitate fulgens, (nimirum constitutus ἀνθυπατος Cypri, i. e. Praetor vel Proconsul,) desiderio cognoscendi veritatem Christianam tactus, &, ministerio Pauli ad eam amplectendam traductus fuit? ipso haec narrante Luca nostro actorum Apostolicorum C. XIII: 7-12. Et quis nescit ἐν ὁλῳ πεφαιλωειῳ *Caesaris*, *vincula Pauli*, Lucae comitis, *fuisse illustria facta*, & sanctos numeratos fuisse inter illos, qui ex της Καισαρος οἰκιας

οἰκίας erant, teſtante Paulo Phil. I: 13. 14. & IV: 22. Ne nunc de Torpete, *Evellio*, *Poppaea Sabbina*, *Epaphrodito*, *Pudente*, *Pudentiana*, *aliisque*, quos ad familiam pertinuiſſe Neronis Chriſtoque dediſſe nomen martyrologia veterum teſtantur, loquar. Flavium Clementem, neceſſitudine junctum tum imperanti Veſpaſianorum familiae, Domitiani in Conſulatu collegam, ejusque uxorem Flaviam Domitillam, & neptem ejusdem nominis, ut & *M. Anicium Glabrionem*, Virum conſularem, a Domitiano capite multatos & Chriſtiani & gentiles memoriae prodiderunt. Meretur ſane de his, aliisque hujus Ordinis Viris, feminisque conferri elegantiſſima & luculenta celeberrimi ſacrorum Antiſtitis Halenſis J. Michaelis HEINECCII, de *Miniſtris Caeſarum gentilium Chriſtianis, eorumque in eccleſiam meritis* diſſertatio, quæ ante hos octo annos Halae Venedorum edita eſt. Tertulliani ſane aevo complures Viros κεκλησθαι inter Chriſtianos nomina ſua profeſſos eſſe ex ejus verbis colligimus, quae leguntur in Apolog. c. XXXVII. *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias*, PALATIUM, SENATUM, *forum, ſola vobis relinquimus templa*, ut &, quando Scapulam, Proconſulem Africae, hoc argumento a caede Chriſtianorum avertere conatur, *quod verendum ſit, ne ſi ſaevire pergat, inter Chriſtianos repertu-*

rus

*rus sit* SVI *etiam* ORDINIS VIROS, *& matronas*, & PRINCIPALES *quasque* PERSONAS, & *amicorum suorum vel propinquos vel amicos.* Cum itaque, Viri honoratissimi, splendidissimisque admoti muneribus fuere Christiani, Christianus quoq; potuit esse Theophilus Κρατιστος.

§. 18. Addere nunc ἐπιμετρον loco iis liceat non ab Heineccio solum, sed & aliis fere neglectam POMPONIAM *Graecinam*, Plantii uxorem, de qua Tacitus L. XIII. Ann. c. 32. ita loquitur. *Et Pomponia Graecina insignis femina, Plantio, qui ovans se de Britannis retulit, nupta &* SUPERSTITIONIS EXTERNAE *rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas, & continua tristitia fuit. Nam per quadraginta annos non cultu, nisi lugubri, non animo sine moesto egit. Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit.* Hanc Christo nomen dedisse non uno argumento inducor, ut credam. *Superstitionis externae* dicitur rea. Ita autem religionem Christianam tum temporis dictam, habitamque ecquis ignorat? Discimus sane illud ex Suetonio in Ner. cap. 16. *Afflicti suppliciis* Christiani, *genus hominum* superstitionis *novae ac maleficae*, & nostro hoc Tacito, qui Ann. L. XV. cap. 44. ita scribit. *Auctor nominis* Christianorum *Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum*

*tum ſupplicii affectus erat Repreſſaque in praeſens exitiabilis* ſuperſtitio *rurſus erumpebat.* Idem confirmat vulgaris illa inſcriptio, quae a Bar. ad Ann. 69. num. 46. & Scaligero de Emend. temp. p. 471. & Occone Inſcr. Hiſpan. p. 26. & Grutero p. 238. n. 9. aliisque paſſim adducitur, reperta in Luſitania. NERONI CLAUDIO *Caeſari Auguſto Pontifici Maximo ob provinciam latronibus & his, qui novam Generi humano* SUPERSTITIONEM *inculcabant. purgatam.* Unde Chriſtiani *caerimonias antiquitus inſtitutas novitatis ſuae* ſuperſtitione *contaminare* dicebantur, ut apud Arnobium L. I. legere eſt, ubi & eorum hoſtes conqueruntur, quod *jaceant antiquae deriſui ceremoniae, & ſacrorum veterrimi ritus religionum novarum* ſuperſtitionibus *occiderint.* Sicut apud Lactant. L. V. c. 2. impio cuidam Sophiſtae noſtra religio vocatur *anilis atque impia ſuperſtitio*, & cap. 13. ab aliis *muliebris aut anilis ſuperſtitio.* Plane, ut apud Minucium Felicem p. m. 82. *vana & demens ſuperſtitio* & Plin. in μεσβολῳ illa ad Trajanum epiſtolâ in Chriſtianorum arcanis, nihil niſi *ſuperſtitionem pravam & immodicam* ſe reperiſſe ſcribit. Ita Laodicus in agone S. Marcelli interrogat. *Depoſuiſtis vanas* ſuperſtitiones, *& adoratis Deos, quos Imperatores adorant.*

§. 19. Vides itaque Chriſtianam religionem SUPERSTITIONEM dictam, habitamque? Cum autem *externa* vocatur, nihil

ca appellatione innuitur aliud, quam eam novam esse, & heri vel nudius tertius demum natam, & *peregrinam* & ab exteris introductam. Id quod jam Athenienses exprobrabant Paulo. Δυναμεθα γνωναι, τις ἡ ΚΑΙΝΗ αὐτη ὑπο σου λαλουμενη διδαχη; ΞΕΝΙΖΟΝΤΑ γαρ τινα εἰσφερεις εἰς τας ἀκοας ἡμων. Act. XVII: 19. 20. unde & ΞΕΝΩΝ δαιμονιων nuntium vocabant vs. 18. quemadmodum ΞΕΝΗΝ τινα καὶ καινην θρησκειαν Christianis infideles objiciebant teste Isidoro Peluſiota L. II. epiſt. 46. & Licinius Deum, quem illi colebant, in oppoſitione Deorum ſuorum πατρωων ΞΕΝΟΝ appellabat apud Euſeb. in vita Conſtant. L. II. c. 5.

§. 20. *Externa* itaque *ſuperſtitio*, cujus rea dicitur Pomponia Graecina fides fuit Chriſtiana. Sed & reliqua, quae adduntur, videntur hanc ſententiam confirmare. *Continua* enim, illa *triſtitia* quam ei Tacitus adtribuit, quidni illam e ſenſu criminum, quibus omnes, qui ubique ſunt, homines contaminati ſunt, & conſideratione flagitiorum, tum impune Romae graſſantium, & ob interdictam publicam ſacrorum profeſſionem, & generoſum deliciarum mundanarum contemtum ortam auctamque, adeoque talem, qualem Apoſtolus 2. Cor. VII: 10. deſcribit λυπην κατα Θεον μετανοιαν εἰς σωτηριαν ἀμεταμελητον κατεργαζομενην fuiſſe dicamus. Cum autem ob ſuperſtitionem, i. e. pietatem Chriſtianam capitis accuſata eſſet, ab ipſo tamen

Ta-

Tacito, ſcriptore ethnico vocatur *inſignis* femina, ob praeclaras & Chriſtiano nomine dignas virtutes, quae hoc inſigne teſtimonium vel ipſi hoſti extorſerunt.

§. 21. Hinc itaque colligimus temporibus Neronis, quibus Lucas commentarios ſuos de actis Chriſti, atque ejus Legatorum conſignavit, vixiſſe Romae feminam, ΚΡΑΤΙΣΤΗΝ, ortam Patre Κεφαλίωνι Pomponio Graecino, qui conſulatu functus eſt, imperitante Auguſto, & cui, ni fallor, Ovidius Elegiam nonam L. IV. quem ex Ponto miſerat, inſcripſit, nuptam quoque Viro Κεφαντίωνι Aulo Plauntio, Viro conſulari, exercitus Duci, & Britanniae praepoſito, ceu eum Tacitus appellat in vita Agricolae c. XIV. Ab illo, tametſi ſuperſtitionis externae i. e. Chriſtianiſmi rea erat, declaratur inſons, cum ejus permiſſa eſſet judicio. Unde & hunc non longe à reno coelorum abfuiſſe judices. Potuiſſet itaque Theophilus Chriſtianus eſſe, quamvis eſſet ἀνὴρ Κεφαντίων, & ſummis fulgens honoribus. J. Q. E. D.

V.

# STEPHANI VITI,

## In illustri Carolino, quod Cassellis est, Theologiae naturalis & Ethices Professoris,

Vita

# *JOHANNIS JEZLERI,*

## Antistitis & Magistratus Scaphusani,

## Ejusque libri de *Diuturnitate belli Eucharistici* recensio.

### ARGUMENTUM.

Theologorum officium in curandis sanandisque errantibus exponitur. §. 1. demonstratur. §. 2. sed ex quotidiana experientia ostenditur, illos potius in omnia alia pedibus discedere. §. 3. patere id ex bello de S. Cæna nato inter Protestantes. §. 4. 5. in cujus belli causas, qui inquisiverint, laudantur, & in illis Ioh. *Jezlerus* §. 6. cujus exponitur vita pueri. §. 7. in Academiis degentis. §. 8. muneribus publicis scholasticis, ecclesiasticis, politicis functi. §. 9. 10. 11. 12. recensentur liberi. §. 12. libri §. 13. elogium §. 14. Deinde libelli de *diuturnitate belli Eucha-*

*charistici* recensio instituitur, illiusque titulus, dedicatio, & scopus exhibentur §. 15. causæ vero cum in genere §. 16. tum in specie ζιζανια dæmonis §. 17. δικαιοκρισια θεϱ §. 18. δοκιμασια piorum. §. 19. Theologorum το ἀγαν φϱονειν. §. 20. ἀπαιδευσια. §. 21. πικϱοκϱισια. §. 22. φιλονεικια. §. 23. Impatientia. §. 24. ἀλλοτϱιοεπισκοπια, ἀϱχαισμος male intellectus, negligentia magistratus, librorum alterius partis tantum interdictio, omissio Synodorum, injustitia in tribuendis honoribus Academicis, pactorum violatio. §. 25. ἀνθϱωπαϱεσκεια & denique το ἀυτος ἐφα Pythagoricum. §. 26. libelli conclusio. §. 27. Eruditorum, in specie Tossani de toto hoc libello judicium. §. 28.

## §. 1.

AB omni mihi & ratione & humanitate alienum videtur, quod cum nemini facile vitio vertere soleamus corporis nævos atque vitia, non possimus æquo animo illos ferre, quos vel ex mentis imbecillitate, vel ex falsa persuasione errare existimamus. Ego profecto eandem fere rationem esse mentis errorum puto, quæ corporis vitiorum est: neque alio modo his mederi te posse existimo, alio istis. Intellectu cæci plerumque sumus, ut videre atque perspicere, quæ vera & falsa, bona & mala sint, nequeamus: voluntate vero claudi, ut movere se nostra mens nonpossit, quia ab omni rectitudine aberret. Quod

igitur in iis corporis vitiis, quibus humana induſtria mederi poteſt, facere prudentes Medici ſolent, id ego imitandum piis Theologis tanquam animarum Medicis omnino exiſtimo. Illi vero hominum morbis, qui immedicabiles non ſunt, arte, prudentia, humanitate, convenientibus ſuccorum herbarumq; viribus, non rixando, non calumniando, non condemnando medentur. Horum igitur eſt ex humanitatis Chriſtianæque charitatis præceptis id agere, ut prudentia ut humanitate, ut ex S. Scriptura ſanaque ratione repetitis demonſtrationibus ad conſcientiam errantes animos in veritatis viam reducant. Quod ſi quos quicquid agant eo adducere nondum potuere, ut eadem ſentirent, id quod Medici in morbis immedicabilibus facere ſolent vel ſuæ imperitiæ, vel adhibitorum remediorum imbecillitati, vel denique morbi gravitati tribuant, errantiumque ipſos potius miſereat, eos Medicorum Medico ſuis precibus commendent quam rixentur, quam calumnientur, quam illos morte dignos pronuntient.

§. 2. Quo quid quæſo non Theologo tantum, & ſapiente viro, ſed homine etiam dignius, quid Sacræ Scripturæ, quid Chriſtianæ religionis præceptis convenientius, quid errantibus docendis, & in viam reducendis accommodatius vel eſſe vel fingi poteſt? Accedit deinde, quod quo ſapientior quisque fuerit,

erit, quoque magis in veræ pietatis ſtudio profecerit, eo plures, majoresque etiam in ſua mente errores, nævosque ſentiat. Qui illum non poſſunt non eo adducere, ut tanto facilius veniæ, pacisque locum errantibus, diſſentientibusque relinquat, quo ſæpius ipſa experientia duce didicerit, & ſe erraſſe, & veriora ſentientibus errorem temere tribuiſſe.

Qui itaque illorum Theologorum errores atque peccata (quotus enim quisque etiam Theologorum eſt, qui ſuorum errorum atque peccatorum, quæ quotidie committit, aut numerum noſſe, aut turpitudinem ſatis deteſtari poſſit) divina miſericordia digna arbitretur, qui ejusdem humanitatis, imbecillitatisque conſortibus nullum veniæ, nullum pacis atque concordiæ locum concedunt, tantum quod ea ſentiant, quæ ipſis falſa videntur, licet forte aut veriora ſint, aut ſuo argumentorum pondere non deſtituta, aut ſi tandem falſa ſint, cum ſalutis tamen in S. Scriptura traditæ fundamento non conjuncta.

§. 3. Licet itaque Theologorum eſſet præ cæteris omnibus ex ſui, Dei que cognitione, quam clariorem cæteris habere videri volunt, in eo elaborare, ut Chriſti exemplo errantes diſſentientesque docendo, demonſtrandoque ſibi & veritati reddant obnoxios; nemo tamen immitius, nemo crudelius, ſi

ab ipso Theologorum vulgo discesseris, tractare solet non errantes tantum in iis, quæ ipsi certo cognoverunt, sed ipsos etiam in probabilibus tantum dissentientes. Quæ enim controversiæ, quæ lites vel de levioris momenti rebus vel vehementiori animorum exacerbatione, vel denique, cum majori bonorum, existimationis, vitæ denique ipsius periculo agitari solent, si ab illis discesseris, quos Theologi plerumque aut inter se, aut cum aliis excitant, sustinentque? Quis ex omni sacra historia nescire potest, dissensum sæpe in minimis, quos motus civerit, quas lites excitarit, quæ bella, quæ mala Ecclesiæ intulerit! Minima dissensus scintilla sæpius tanta dissidiorum incendia suscitavit, ut iis Ecclesia Dei tantum non conflagrarit. Quis ignorat, quo fervore, qua animi verborumque contentione, quibus calumniis atque criminationibus ejusmodi jurgia Theologica foveant? Quem fugit, in quæ bonorum, famæ, quid? quod ipsius etiam vitæ interdum veriora etiam sentientes, vel parum est innocenter errantes cæcus & impius Theologorum Zelus præcipitarit? Quare efficimus, ut sæpe haud temere viris sapientibus nullum hominum genus ejusmodi λεγομενοις Theologis videatur suarum sententiarum, præjudiciorum, errorumque tenacius, nullum monitoribus, melioraque docentibus asperius, nullum magis superstitiosum, nullum quibuslibet

bet dissentientibus intractabilius, irritabilius, rixosius, implacabilius, crudelius.

§. 4. Quam hæc vera sint unius controversiæ de S. Cænæ historia optimum quemque facillime potest docere. Quis enim, nisi cui degenerum ejusmodi Theologorum & φιλονεικεια & σομα ευλυτον προς λοιδοριαν cognita atque perspecta sint, existimare unquam potuisset, tantum inter eos, qui eadem mente à Pontificiis discessérunt, jurgiorum ἀσυμβατων, bellorumque ἀσπονδων nasci ex eo tantum potuisse, quod cum in reliquis omnibus, quæ ad naturam Eucharistiæ, fideique salutaris fundamentum pertinent, eadem sentirent, alii verborum institutionis, την διανοιαν sequuti solum panem atque vinum in externis symbolis, quæ & electis & reprobis communia essent, existimarent; alii contra reliquorum sacramentorum naturam ἰῳ ῥηΐῳ fervientes, etiam corpus & sanguinem Christi alio quam Spirituali, quique in reliquis Sacramentis locum habet, quo tamen ipsi nescire se profitentur modo in, cum & sub pane tanquam symbolum externum esse arbitrarentur. Vere hic locus est illi Euripidis in Androm. sapientissime dicto

Σμικρας ἀπ' ἀρχης νεικος ἀνδρωποις μεγα
Γλωσσ' ἐκπεριζει. Τουτο δ' οἱ σοφοι βροτων
Ἐξευλαβουνται, μη φιλοις φευγειν ἐριν.

*A parvo initio lingua hominibus magnum jurgium* « *suggerit. Ab eo autem viri sapientes sibi cavent,* « *ne amicis suis cudant contentionem.* Est itaque, « quamobrem eos omnes vehementer pudeat, qui de re tam parvi momenti, id est, de diversa unius voculæ EST explicatione, quarum neutra veræ & salutari de sacramento sententiæ usuique adversatur, utraque vero suo argumentorum pondere nititur, tantas lites, tantos tumultus, & in Dei Ecclesia, & in societate civili cum primum excitarint, tum hactenus foverint, atque aluerint. Quod qui faciunt mihi profecto magis S. Scripturæ nostræque salutis præceptis contraria & sentire, & perpetrare videntur, quam qui falsa veri specie pellecti de vero hujus vocis sensu revera errant.

§. 5. Nonne tota S. Scriptura plena exemplorum utriusque explicationis est & propriæ & tropicæ? Nonne qui τὴν διανοιαν sequuntur, ea tradunt, quibus omnium fidei articulorum ratio optime sibi constet? Nonne qui τὸ ῥητὸν tuentur, ea omnia negant, quæ ex illorum sententia naturæ vel divinæ, vel humanæ contraria elici posse videntur? Quis, quoad ἐκ μερὸς tantum γινωσκομεν conspirantem omnium verborum Sacræ Scripturæ interpretationem unquam exspectet? *Tanta est* (Inquit divinus Augustinus epist. 137.) *Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie* « *proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad* « de-

„ *decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtu-*
„ *dio, meliore ingenio conarer addiſcere - - Ita e-*
„ *nim* (ut alibi idem loquitur) *Spiritus S. ſcriptu-*
„ *ras ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami*
„ *occurreret obſcuioribus autem faſtidia detergeret.*
Quid igitur iniquius, quid Theologo indignius, quam eos non ferre poſſe, qui in S. Scripturæ explicatione diſſentiunt, cum tamen uti ſapientiſſimus quisque eſt, ita in SS. literarum explicatione ſæpiſſime ſe erraſſe, & plurima adhuc ignorare, lubentiſſime fateatur. Quis itaque ejusmodi Theologos, qui cum maxime etiam in Scripturæ profunditate & amplitudine percontanda atq; ſcrutanda deberent ἀληθευειν ἐν ἀγαπη και μη μαχεσθαι, ἀλλ' ἡπιοι εἰναι προς παντας Chriſtum illiusque verbum δια φθονον και ἐριν κηρυσσουσιν ἀσπονδοι, διαβολοι, ἀνημεροι, ἀφιλαγαθοι, νοσουντες περι ζητησεις, και λογομαχιας, ἐξ ὡν γινεται φθονοι, ἐριες, βλασφημιαι, ὑπονοιαι πονεραι, dignos exiſtimet, qui illuſtri nomine nuncupentur a Deo, cujus tanta χρηστοτης και φιλανθρωπια eſt, ut etiam ferat ἐν πολλη μακροθυμια ipſa σκευη ὀργης κατηρτισμενα εἰς ἀπωλειαν, cum ipſi non tantum non ferre poſſent, ſed etiam condemnent illos, qui ἰσοτιμον ἀυτοις πιστιν λαχοντες ex imbecillitate in unius vocis explicatione, quæ alias S. Scripturæ familiaris eſt, errare forte tantum videntur.

§. 6. Cum igitur nemo facile ex tam levi diſſenſu tantum bellum inter Theologos na-

nasci potuisse existimare posset, nisi natum illud esse tristis ipsa experientia quemlibet doceret: operam & oleum non perdere censendi sunt, qui in maximorum horum de rebus minimis motuum causas inquirunt, ut iis cognitis eo facilius consuli possit rebus Ecclesiæ adflictis. In iis primo loco censendus, qui cum viveret & eruditione, & pietate, & prudentia & modestia, & pacis Ecclesiasticæ studio veri Theologi dignitatem atque laudem sustinuit, meus ex matre abavus Joh. JEZLERUS, qui eo consilio libellum de causis diuturnitatis belli Eucharistici conscripsit, ut viam paci atque concordiæ sterneret. Itaque cum hodie non ex nostris tantum, sed ex ipsis illis etiam, qui invito Luthero, non ægre se Lutheranos dici ferunt, existant Theologi, qui cum & pia eruditione, & prudente modestia tantum alios inter capita extulerint, quantum lenta solent inter viburna cupressi, tum vero publicis scriptis in eo elaborent, ut Dei Ecclesiæ pacem, & concordiam restituant: operæ pretium putavi futurum, si præmissis quibusdam, quæ ad hujus Jezleri vitam pertinent, elegantissimum illius libellum recenserem, ex illoque ostenderem, quæ causæ bellum Eucharisticum ad nostram usque ætatem aluerint, produxerintq; ut iis perspectis, eo facilius imprudens & impium hoc bellum totum aliquando confici, componique possit.

§. 7.

§. 7. Præcipuæ vero vitæ Joh. *Jezleri* Scaphuſiani, qui Theologus exſtitit πολλῶν ἀνταξιος ἀ'πλων, circumſtantiæ, quas quidem cognoſcere hactenus potuimus, hæ ſunt. Natus ille eſt Scaphuſii anno 1542. patre uſus Rodolpho Jezlero, lapicida, qui Rhinovio celebri in Helvetia cœnobio Scaphuſium a Pontificiorum caſtris ad noſtra tranſiturus rerum ſuarum ſedem atque domicilium transtulit. Facile vero pro illorum temporum ratione ob veræ religionis ſtudium, artisque peritiam a ſenatu, populoque Scaphuſienſi civitatem impetravit. Obiit autem iſte peſte Scaphuſii anno 1566. Cum vero in Johanne noſtro mature ſatis, ut in egregiis ingeniis fieri amat, eximiæ animi dotes proderentur, auctoribus, qui tum Eccleſiæ, Scholæque Scaphuſienſi præerant, cum antea opificio a tenuioris fortunæ parentibus deſtinaretur, literarum ſtudio conſecrabatur. Poſtquam igitur e ludo Germanico, ut ipſe alicubi loquitur, in Latinum eſſet transmiſſus, ſub Sebaſtiani Grubelii & Burckardi Leemanni vexillis feliciter militaverat, inque literis tantum brevi profecerat, ut jam a. 17. ætatis anno ſumtibus ex publica privataque patronorum liberalitate in Academias, Scholasque exteras mitteretur, ibidemque per 10. circiter annos aleretur.

§. 8. Ipſe literis Tiguro anno 1567. ad Conradum ab Ulms Eccleſiæ Scaphuſienſis An-

Antiſtitem, cujus vita in M. Adami biographia exſtat, literæ vero ineditæ Scaphuſii ſervantur, hanc peregrinationis ſuæ rationem reddit. Fui Argentinæ quadriennium &« ſemeſtre, annum non integrum Heidelber-« gæ, Marpurgi menſes decem, undecim in« Galliis Lutetiæ. Fui, inquam, in his ſcholis,« vidi non pauca, audivi etiam multa, & au-« dita exercui, quantum per ingenium, æta-« te & tempus atque locum licebat. Tiguro« anno 1567. Argentoratum iterum, & poſtea Heidelbergam rediit, ut ibi Nobilium adoleſcentum Boruſſorum ſtudiis & moribus præeſſet. Ita vero in his locis omnibus ſuam & eruditionem & vitam probavit, ut nulli non cuicunque celebre ex literis nomen erat, gratus eſſet atque jucundus. In quibus præter Toſanum Marbachius, Victorinus Strigelius, Eraſtus, Barones Hohenſaxius, & Kiglitius aliique aulici, atque conſiliarii erant, quibus omnibus ſe uſum eſſe dicit non patronis tantum, ſed etiam familiaribus. Marbachio ſe charum maxime fuiſſe adfirmat, & niſi Zwinglianiſmus obfuiſſet, ſe præceptorem futurum fuiſſe comitis Solmenſis, item Hanovienſis, & Naſſovienſis. Strigelium vocat virum omni laude cumulatiſſimum, optimum, humaniſſimum, doctiſſimum, & pacis amantiſſimum, præceptorem ſuum, fautorem, amicum ſingularem, illiusqus partes ſtrenue contra Zanchium, Olevianum alios-

que

que tuetur. Patronos vero suos atque amicos sæpe exstitisse, sibi auctores alicubi docet, ut gradum acciperet, sumtus vero sibi deesse, nec si pecunia ad manum esset, bona conscientia ausurum fuisse ad honorem impendere, quod satius esset in materculæ usus necessarios contribuere.

§. 9. Anno tandem 1569. cum Heidelbergæ esset, domum vocatus ad scholæ classem quandam inferiorem tantum abesse monuit, ut functionem hanc tenuem aspernaretur, ut etiam inferiorem non esset recusaturus suscipere, si Scholarchis patronisq; suis ita videretur, se totum illorum esse, licet apud exteros melior quædam arrideret fortuna. Itaque Heidelberga anno 1570. in patriam rediit, aliquot annis scholæ præfuit, sacroque ministerio perfungebatur. Hoc tempore " Daniel Tossanus ad Conradum Ulmerum u- " num, inquit, est, observande frater, de quo " jam sæpius ad te scribere proposueram, " cum nimirum præclaræ eruditionis vir D. " Jezlerus in triviali schola apud vos conse- " nescat, qui cum magna laude vel in domo " sapientiæ, si præceptores ejus domus ad ul- " teriora forte promoverentur, vel in Aca- " demia egregiam operam navare posset: me " jam sæpe auctorem esse voluisse nostris ho- " minibus ejus ad nos vocandi, si absque me- " morabili vestro detrimento id fieri posset, " & in solidum sese addicere vellet . . Hac "

de

„ de re quæso cum clarissimo & spectatissimo
„ viro D. Mejero Reipublicæ vestræ consule
„ colloquaris, & perficias, ut, si fieri possit
„ Jezlerus vester ex pulvere scholastico ad
„ nos pertrahatur. Idem vero Tossanus cum postea intellexisset Scaphusienses hujus Jezleri rationem habituros ad eundem
„ Ulmerum; perplacuit, inquit, mihi vestrum
„ studium de ornando atque promovendo viro
„ certe non vulgaris eruditionis, & exquisiti
„ judicii D. Jezlero. Ex animo enim nobis,
„ crede mihi, doleret, talem virum, qui in
„ Academia nostra cum laude docere posset,
„ in illo pulvere diu jacere.

§. 10. Ab anno igitur 1576. usque ad annum 1587. Rector scholæ Scaphusiensi magna cum laude præfuit. Hoc vero tempore cum negotiorum publicorum, quæ & ad Rempublicam & Ecclesiam patriam pertinerent, & multitudine, & difficultate urgeretur, supplice libello a senatu Scaphusiensi dimissionem à labore scholastico petiit. Itaque cum Scaphusienses vererentur, ne tantorum virorum auctoritate alio vocaretur, ipsisque tanta viri & eruditione, & pietate, & prudentia, modestiaque carendum esset, facile petenti annuerunt; ex schola vero dimissum docendæ Theologiæ, literarumque cum exteris Theologis commercio destinarunt. Quo loco cum esset constitutus cum semper optimo cuique suas virtutes probavit, tum vero maxi-

me anno 1587. & sequentibus plurimum sua & eruditione & industria ad Huberianam controversiam & detegendam, & refutandam cum sociis amicisque Stuckio atque Grynæo contulit, ita ut illustris Reipubl. Bernensis proceres eum non præmiis tantum lautis affectum domum dimiserint, sed etiam de eo sibi tanquam de fortissimo felicissimoque Athleta illius temporis fuerint gratulati.

§. 11. Scaphusium redux cum consiliis suis & laboribus diu Ecclesiæ, scholæque feliciter præfuisset, anno 1599. raro exemplo ob singularem prudentiam etiam res civiles tractandi Reipublicæ Scaphusiensis gubernaculis admovebatur. Unanimi enim civium suorum consensu tribus, cujus membrum erat, præfectus constituebatur. Cui magistratui ad tempus tantum humeros submisit, brevi ad Ecclesiam rediturus. Guilielmus Stuckius ad eum anno 1599. *Plato*, inquit, *eas respublicas*, "*dixit esse beatas, cui philosophi præsint, aut qua ii, qui*" *ei præsint, philosophentur: sic vestram quoque Rem-*" *publicam beatam merito dixerim, cujus tu tantus*" *Theologus præes, & in qua, uti spero, theologi-*" *sari non desines.* Et Tossanus: *Etsi Ecclesia &*" *schola forte ex mutatione functionis aliquid detri-*" *menti accipere videri posset: existimo tamen, te*" *in illa statione politica non minus, imo forte*" *plus Ecclesiæ & scholæ commodare posse, quam*" *antea.*" Itaque cum senatui populoque in hoc magistratu consulendo agendoque feliciter

biennio circiter adfuiſſet, legatione etiam Transmontana prudentiſſime defunctus, Eccleſiæ ordinis Eccleſiaſtici precibus reddebatur. Ita enim ad eum Toſſanus anno 1601. „*Næ tu beatus es, quem jam politicus* ordo, jam „Eccleſiaſticus apud vos vindicare ſibi cupit. „Ergo non eſt Catholica vetus illa παροιμια; „ὐδεις προφητης δεκτος ἐστιν ἐν τῃ πατριδι αὐτε. „Tu ſic gubernaſti ad tempus Rempublicam, ut „natum te eſſe cives tui gaudeant, ſic ſcholæ „& Eccleſiæ præfuiſti, ut non conquieverit „Eccleſiaſticus ordo, donec ipſi reſtituereris. „Et ſane (*meo judicio*) *omnino* elegiſti την „καλην μερίδα, hoc præſertim tempore, quo „tanta eſt penuria Theologorum ſine ſupercilio doctorum, & ſcribarum doctorum in „regno cœlorum.

§. 12. Rediit igitur ad res Theologicas & Eccleſiaſticas tractandas, in quibus ita feliciter, tantaque cum laude verſatus eſt, ut anno 1614 primum in Eccleſiaſtico ordine locum obtineret. Cum tamen jam tum annum vitæ 71. attigiſſet, & alias videatur voce uſus minus jucunda, concionandi oneri non ultra, quam ipſe vellet, adſtringebatur. Hoc illuſtri difficilique munere integris viribus usque ad annum 1622. ex omnium voto functus pridie Calend. Septembreis magno bonorum omnium luctu obiit Scaphuſii annos natus 79. Ex felici, quo utebatur, matrimonio nati ipſi ſunt cum filius Johannes Jezlerus

&

ex hoc nepotes Stephanus, Rodolph. Jezleri, qui Theologi etiam cum essent, eruditione magis & pietate, quam nominis celebritate ad parentis avique gloriam accesserunt, tum filia nupta Joh. Conrado Kochio ipsius successori, qui synodo Dordracenæ Ecclesiæ Scaphusiensis nomine interfuit.

§. 13. Libros, quos varia eruditione ornatos edidit, ex catalogo, quem ipse non adjectis aliis circumstantiis consignavit, sequentes deprehendi

*Schematismos* succinctis lemmatibus universum complectentes Christianismum, desumtos ex solida Joh. Calvini de Religione Christiana institutione, quibus sublevari potest non tam memoria, quam intellectus eam legentium.

De *virtute* librum unum, uno veluti fasciculo amplectentem omnia, quæ generatim de ea passim in libris suis moralibus tradidit Aristoteles.

In librum primum offic. Cic. commentarium, artificium scriptoris potissimum demonstrantem.

Veteris Testamenti viros illustres duodecim, seu patriarcharum præcipuorum atque Prophetarum vitas.

De *vulgari sacræ Scripturæ phrasi* libros duos, quorum prior de peccato in Spiritum Sanctum, quod alias ad mortem, irremissibile vocant, tractat: posterior vero diffi-

cillimos quosque & obscurissimos utriusque instrumenti locos hactenus a multis male intellectos, & pejus adhuc interpretatos summa cum diligentia & fidelitate explicat, authore *Patricio Cokburno*, Scoto. Hactenus in Germania non visi, nunc vero opera Joh. *Jezleri* Scaphusiani denuo editi, & multis locis aucti, nec non indice locupletati.

*Vocabularium* Latino-Germanicum pro schola Scaphusiana.

De *fructu mortis dominicæ*. Basileæ prodiit anno 1593.

De *diuturnitate belli Eucharistici*: qui libellus Tiguri anno 1584. typis expressus est.

Contra Huberum etiam duos libellos scripsit, & de carne Christi ejusque gloria, ut etiam Eine Schrifft wegen der Prediger zu Straßburg lästern und schänden auff der Cantzel.

§. 14. Qualis vero Johannes Jezlerus, dum viveret, fuerit, & quam præclare de eo cum patria, tum vero, qui extra patriam tum temporis celebrabantur viri eruditi senserint, & ex literis patet, quæ plurimæ ad eum scriptæ sunt, atque edi aliquando, si id e re literaria futurum existimaretur, facile possent, & ex his Epitaphii, quod Scaphusii adhuc legitur, verbis cognoscere est.

„*Reverendo & doctissimo viro Domino Johanni*
„*Jezlero insigni Theologo, patriæque Ecclesiæ Deca-*
„*no*

„no meritissimo, qui ob variarum linguarum & „artium, doctrinæque cœlestis, sacram solidamque „scientiam inter clarissimos orthodoxæ fidei docto„res merito numeratus Ecclesiæ saluti, scholæ & rei„publicæ commodis summa cum moderatione an„nos circiter LII. fideliter inservivit, scripta quoque „edidit sanctis doctrinis, piis consiliis & consola„tionibus refertissima, quibus propter multiplicem fru„ctum, pacisque Ecclesiasticæ studium magnam apud „exteros nominis gloriam acquisivit, cujus egre„gias virtutes ac rara Dei dona, quæ in eo relu„xerunt posteritas immortalitati jure mandabit, „seni emerito, Præceptori affini, contribuli, & „collegæ quondam optatissimo Henricus Schüartzius „V. J. D. Reipublicæ pro tempore Cos. hoc, quod su„premum honoris officium habuit, memoriæ causa & „gratitudinis ergo P.

§. 15. Postquam igitur ea persequuti sumus, quæ de vita Joh. Jezleri cognoscere potuimus, jam ad recensionem libelli acce„dimus, cujus plenior titulus hic est; Johan„nis Jezleri Scaphusiani de diuturnitate belli „Eucharistici liber unus: in quo causæ notan„tur, per quas hactenus videtur stetisse, quo „minus partes litem sustinentes inter se sint „conciliatæ. Tiguri apud Christ. Froschove„rum 1584. Titulo subjungitur divinum Pauli ex 2. ad Cor. cap. 13. vs. 11. præceptum. Hunc vero suum libellum Illustrissimo Principi Joh. Casimiro, comiti Palatino &c. administratori Electorio cum propter illius, il-

lustrissimique parentis virtutes, in quibus maxime laudat litis Eucharisticæ componendæ, sedandæque tempestatis sacramentariæ studium: tum vero eo maxime consilio dedicasse videri vult, ut Principis hujus laudatissimi auctoritate libellus iste in Procerum Germaniæ manus incideret, qui perspectis veris Eucharistomachiæ causis eo felicius sua auctoritate componere hoc bellum possent; utque publico Antistitum suorum nomine gratias ageret Serenissimo Principi, quod illius gratia atque cura Scaphusiensium alumni Neostadii liberaliter instituerentur. Negat vero aliud sibi toto hoc libello propositum esse, quam ut relicta cuivis de S. Cœna sentiendi libertate, impedimenta recenseret, per quæ sexaginta jam tum annis steterit, quo minus exitiale de Eucharistia dissidium sit compositum, atque hac ratione viam paci atque concordiæ sterneret.

§. 16. Postquam itaque monuit in iis bellis, quæ ab initio repurgatæ per Germaniam Ecclesiæ gesta sint, solum bellum Eucharisticum videri ἀσπονδον & ἀκαταλλακτον, & quicquid in conciliando tentari potuerit, id frustra hactenus omne summo totius Reipublicæ Christianæ non tantum cum dedecore, sed etiam detrimento, fuisse tentatum, neque quæ aliquando affulserit pacis spem diuturnam fuisse, sed quæ jam credita fuerit ad orcum detrusa, in lucem denuo revocatam esse ἐριν: auctor diver-

diversas hujus funesti belli causas esse docet, aliam enim esse penes phrasin Scripturæ, hoc est, explicationem verborum Christi discordem, aliam penes communem generis humani hostem cacodæmonem, aliam penes justum vindicem Deum, aliam penes magistratum tum politicum tum Ecclesiasticum, alium penes hominum vulgus, aliam penes certa quædam vitia personarum in Ecclesia docentium, & quidem magna ex parte, aliam communiter penes omnes. Has auctor in primariam & secundarias dividit. Illam discordi tribuit verborum Christi, hoc est corpus meum, interpretationi, eamque tradit Ludovicum Lavaterum virum antiqua fide, eruditione, & morum integritate ornatissimum exposuisse, ostendendo a quibus, quando, qua occasione, quo modo, & contra quem verba institutæ cænæ sint vel hoc vel illo pacto accepta atque declarata; Has vero se primum tanquam primariæ causæ nutrices atque famulas expositurum. Ordine igitur illas proponit numero septemdecim, de quibus singulis quid sentiat auctor, paucis monebimus.

§. 17. *Primam* igitur causam secundariam statuit auctor Cacodæmonis ζιζανια esse. Satanam ab initio Evangelii ad nostram usque ætatem semper id egisse, ut quemadmodum de aliis articulis fidei, ita quam maxime de S. Eucharistia discordiarum atque dissidiorum lo-

lolium sereret aleretque. Quo major Ecclesiæ diligentia atque vigilantia exstiterit in reliquis hæresibus opprimendis exstirpandisq;, eo lætius videri adoleviſſe & diffudiſſe ſeſe lolium Eucharisticum. Per singulas deinde historiæ Ecclesiasticæ periodos ostendit, nunquam non fuisse, qui vel de verborum institutionis sensu disceptarent, vel de symbolorum numero, qualitate, figura, dignitate, & honore, vel de Christo cibo cœlesti & invisibili, vel de transmutatione alterius in alterum, vel de organo & manu percipiendi utrumq;, vel de usu & fructu, vel de vasis, vel de loco, vel de tempore, vel de ætate, dignitate cœnantium, vel de ministris, vel de ritibus & cæremoniis externis. Ex his autem patere nullum esse religionis Christianæ caput, si à sacrosancta cœna discesseris, quod tam misere semper & tam fœde depravatum sit. Cacodæmonem superioribus sæculis edoctum, quantum damni Ecclesiæ Dei his dissidiis Ecclesiasticis intulerit, omnium virium contentione callide eo niti, ut bellum hoc magis magisque producatur. Licet enim hactenus plures fuerint, qui hoc bellum compositum vellent, Satanam tamen semper hucusque discessisse superiorem. Quod gravissimo Lutheri & exemplo, & testimonio confirmat. Eum enim in epistola ad Helvetios inter alia promisisse, se omnem posthac malevolentiam depositurum esse animo, atque ora-

orare magnopere, idem ut & ipsi faciant viciſſim. Paulo poſt vero ſubjungere: licet" nos ſummis viribus in id incumbamus, ſum-" mo tamen nihilominus egemus Dei & conſi-" lio & auxilio, ſiquidem noſter & commu-" nis concordiæ hoſtis Satan facile inveniet" ſuos, qui truncos & ſaxa objicient, omnem-" que lapidem movebunt &c. "

§. 18. *Secundam* cauſam facit δικαιοκρισιαν θεϋ. qui qua re magnopere peccemus, ea ipſa nos puniat. Nihil fere magis profanari a nobis quam S. cœnam. Explicationis diſcrepantiam, opinionum varietatem, librorum multitudinem, nimiam doctorum auctoritatem, cæcam auditorum ignaviam efficere, ut pauci cænæ negotium ea qua deberent, ratione intelligant. Accedere deinde, quod nihil minus quam humilitati, quam contritioni, quam veræ fidei atque fiduciæ, quam novæ obedientiæ in Sacræ cænæ uſu ſtudeamus, ſed contra omni vitiorum generi ſerviamus. Ipſos paſtores eccleſiarum nullo unquam fere tempore Chriſtianæ dilectionis præcepta magis transgredi, quam iis ipſis diebus & horis, quibus celebranda cœna Domini ſit: dum enſem acutiſſimum in ſymmyſtas & fratres ſtringant, atque publice eos condemnent, qui ejusdem ſalutis ſint participes, qui communibus armis communem hoſtem oppreſſerint, qui a ſacræ ſcripturæ veſtigiis, ab analogia fidei, & ab orthodoxo patrum con-

sensu non discedant. Quod igitur de Gentilibus Paulus dixerit ἐματαιώθησαν ἐν τοις διαλογισμοις αὐτων, καὶ ἐσκοτισθη ἡ ἀσυνετος αὐτων καρδια, quoniam γνοντες τον θεον οὐχ ὡς θεον ἐδοξασαν ἢ ἐυχαρισησαν. Id de nobis vere adfirmari posse. Deum cæcitatem cæcitate puniisse, & primum bellum subsequutis aliis Sextum jam tum bellum parari. Omnibus illis bellis pugnatum invicem esse irrisionibus, sarcasmis, odiis, contemptu, obtrectationibus, calumniis, pasquillis, omnis generis injuriis, exiliis, condemnatione. Alia ex aliis nasci. Primum certamen nova peperisse justo Dei judicio certamina de hypostatica duarum naturarum unione, de communicatione idiomatum, de Christi ascensu, sessione ad dextram patris &c. Verum etiam hic esse nimium altercando veritatem amitti.

§. 19. *Tertia* causa auctori videtur esse δοκιμασια. Eucharistiomachiam omni opinione plura majoraque parere mala, quibus uti mali puniantur, ita bonorum & fides, & patientia probentur. Lutherani cum Pontificiis Eucharistiomachis, comparantur ostenditurq; parum abesse, quin illi cum his similia circa S. Cœnam non sentire tantum, sed etiam facere interdum videantur. Bellum Eucharisticum esse Dei examen, quo universo mundo declaret, quid quilibet ex doctrina Evangelii hauserit, esse ventilabrum, quo triticum a paleis secernatur, esse aquam, qua tanquam mil-

milites Gideonis ſecernantur, qui ad Chriſtianam militiam ſint idonei, eſſe denique ignem, qui aurum, argentum, & gemmas a ligno, fœno, & ſtipulis ſejungat. Probatam ſic fuiſſe Athanaſii fidem, atque conſtantem patientiam docet inſtituta comparatione inter certamen Arianum & Euchariſtomachiam. Illiusque exemplo eos omnes ſolatio erigit, quibus ex hoc certamine carceres, tormenta, exilia ſuſtinenda ſint.

§. 20. *Quartam* cauſam exiſtimat auctor eſſe docentium το ἀγαν φρονεῖν, qui argumentando longius abeant, quam oporteat, qui clariora explicent per obſcura, qui novas cudant loquendi formulas, qui effari conentur infanda. Dum per unionem perſonalem, per ſeſſionem Chriſti ad dextram patris, per eſſendi modum definitiovum præſentiam corporis Chriſti doceant. Ad Scholaſticos nos confugere, ad Scotum, ad Thomam, ad Lombardū & alios, & ab his petere a Scriptura aliena diſtinctiones, ſcil. definitiones eſſendiq; modos. Hanc eſſe, σοφιαν ἀνθρωπινην ἐν διδακτοις λογοις: non vero τȣ θεȣ καὶ πνευματος. Ταπεινακȣ δειπνȣ οἰκεια & propria non ἀλλοτρια ſpectanda. In propriis refert potiſſimum ipſa verba inſtitutionis, Pauli explicationem, & cognata ſacramenta cum Veteris Teſtamenti tum Novi. Eas hic phraſes adhiberi, quas nec acutiſſimi veterani, ne dum tyrones intelligant. Hac obſcuritate nodum non diſ

ſolvi

solvi, sed magis implicatum arctius constringi. Sentiendum hic esse cum sacra Scriptura humiliter, & loquendum cum pia vetustate simpliciter omnibus novis definitionibus, distinctionibus, quæstionibus & limitationibus explosis. Phrasium obscuritate & novitate effici, ut cum pedem unum olim distaremus, nunc distare videmur aliquot millia. Rectius primorum certaminum auctores verbis potissimum Christi nixos fuisse, donec disputationis fervor aliena subministrarit. Facere nos etiam hic, ut intelligendo nihil intelligamus.

§. 21. *Quinta* causa videtur ἀπαιδευσια sive ignorantia docentium. Paulum in docente requirere ut sit ἀντεχομενος του πιστου λογου, ut sit ικανος διδαξαι τους ἑτερους, ut sit ἐπισαμιζων τους ἀντιλεγοντας. Sed hæc non reperiri nisi in iis, qui majori cum contentione, quam plerumque fiat, in eo elaborent, ut prius fidei præcepta atque mysteria accuratius ipsi cognoscant, quam alios edoceant. In scholis æque atque in Ecclesiis nihil fere audiri, quam Eristica, ex rivulis peti, quod esset hauriendum ex ipsis fontibus, certamina inspici, postillas lectitari, compendia percurri, recentiores interpretes ad manum haberi, sacro codice vix semel inspecto; plerosque fere prius docere, quam didicerint. Experientiam quotidiè docere, quo contentiosior atq; rixosior quisq; sit, eo illum etiam imperitiorem, minusque

ab iis instructum esse, quæ in Theologo erudito requirantur. Verum sacramentorum rationem cognosci non posse, nisi cognoris quid homo & qualis ante conversionem, in conversione & post conversionē, quid sit illud, quod justitiam Christi, remissionem peccatorum, reditum in gratiam cum Deo, hæreditatem denique regni cœlestis impetret & consequatur, deinde qualem se Deus nobis patefecerit. Plerosque his nondum accurate perspectis sibi persuadere, se tenere omnem sacramentorum rationem, licet in his nihil clari, nihil distincti videant. Hinc alios parum Sacramentis tribuere, alios nimium. Philosophorum hic & Ethnicorum scripta eo nomine commendat, quod & multa ipsorum sint dona Spiritus Sancti. Recte concilium Toletanum quartum decrevisse, ignorantiam fugiendam esse sacerdotibus, ceu cunctorum errorum matrem.

§. 22. *Sextam* causam esse πυροχεσιαν sive Theologorum nimis acre in docendo, atque etiam in scribendo judicium contra illos, qui cum Christum ceu unicum salutis fundamentum teneant, alicubi tamen errare adhuc atque cœcutire deprehendantur. Neminem purum esse a nævo, & ab omni immunem errore. Plerumque eum, qui unum aliquod vitium in proximo carpat, obnoxium esse compluribus, & quandoque decuplo gravioribus. Non esse, non fuisse, non futurum, qui

qui non in uno alterove articulo hallucinetur aut impingat. Descendendum in nos ipsos esse, & quam ab aliis vellemus nobis errantibus præstari συμπαθειαν & clementiam, eandem erga alios quoque declarandam. Ex Epist. ad Rom. cap. 14. Eleganter docet auctor, quam pacis studio moderate neque cum ἐξεθενισμῳ de illorum a nobis dissensu judicandum sit, qui idem θεμελιον habeant. Non omnes ex æquo sapere, alios aliis plura aut pauciora accepisse talenta. Omnia simul & semel uno momento non cognosci. Christum, qui vehementer errantes discipulos facile tulerit, docueritque, exemplum nobis reliquisse, quomodo rudes, tardi, stupidi tractandi sint. Sic Irenæum olim merito nimiam Victoris severitatem reprehendisse. Sic Cyprianum cum quæstio de rebaptizandis hæreticis utrinque acerrime versaretur, de hac ipsa, dixisse, ne quid sentiamus singuli proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Non levioris hæc fuisse momenti, quam causa Eucharistica sit. Ibi de paschate, hic de Baptismo actum. Quodsi plures ejusmodi Irenæos, Cyprianosque hodie haberemus, omnia centuplo futura pacatiora atque tranquilliora. Comparationem deinde instituit inter sententiam των ῥητεων & των διανοεων (per illos qui τὸ ῥητον in verbis Institutionis sequuntur intel-

telligit auctor, per hos, qui την διανοιαν, quam vocum novitatem eo excuſat, quod facilius admitti poſſe exiſtimet, quam nomina Lutheranorum & Zwinglianorum,) ut oſtendas utrosque in fundamento de S. Cæna eſſe ὁμοφρονας. In omnibus enim conflatum de S. Cœna conſenſum eſſe, in uno & ſolo modo hærere omnem nodum, in modo, inquit, quem utraque pars confiteatur ἀῤῥητον, ἀλαλητον. Ῥητῶς adfirmare, ſe edere carnem Chriſti ore corporis corporaliter, contra διανοητως ore cordis fidelis per ſpiritum ſpiritualiter. Ῥητῶς ſi urgeantur, adjicere naturaliter non naturaliter, corporaliter non corporaliter, phyſice & tamen hyperphyſice, hoc nihil aliud eſſe quam ἀῤῥητως & ἀλαλητως. Utrosque modum accurate ſe definire poſſe negare, ſed eos nihilominus non tantum definire, quem neſciant modum, ſed etiam eos damnare, qui modum, quem damnatores definiant, nolint admittere, quod eum cum ipſis illis ſe neſcire profiteantur. Quid igitur durius eſſe poſſit, quid amarulentius, quid crudelius, quam toties clamare διανοητως, qui in uno hoc modo diſſentiunt, nolle credere verbis Chriſti, Chriſti negare omnipotentiam, Chriſti pervertere teſtamentum, Chriſti cum Arianis impugnare Deitatem, Chriſtum cum Neſtorio dividere, accedere ad Mahometiſmum, non dignos eſſe hac luce, Turcis & Judæis longe eſſe deteriores, imo deter-

terrimos omnium, quos unquam terra sustinuerit. Joachimi Westphali esse diram & erudelem vocem, Sacramentariorum calumnias rectius sceptro majestatis civilis refutari, quam argumentis, martyres Anglos atque Gallos Diaboli esse martyres. Τὰς διανοησας contra nunquam non τὰς ῥηπησας in fratribus habuisse, nunquam non paci atque concordiæ, quantum quidem per adversariorum criminationes licuerit, studuisse.

§. 23. Φιλονεικια sive ardens Theologorum non tantum contendendi, sed & vincendi studium *septima* belli Eucharistici causa auctori nostro constituitur. Iracundos leniter tractatos uno atque altero interdum verbo rursus placari: contentiosos vero omnem reconciliationem respuere, quibuscunque tractentur modis, nec quiescere, donec vel optata consequantur, vel saltem videantur consecuti Habere contendendi libidinem ista, quæ sequuntur propria, ultro in arenam descendere, quamvis non lacessitum, de rebus pugnare obviis, quibusvis, etiam non necessariis, suis inhærere, licet infirmioribus, & forte dudum refutatis, aliena etiamsi validiora sint, non modo non recipere, sed spernere insuper, & pertinaciter respuere, omnia denique in hunc finem dirigere, ut aut vincat, aut saltem vicisse videatur. Ista vero omnia in nostri sæculi, inquit, Theologis passim ita deprehendi, ut probatione non mul-

multa sit opus. Culpam cœpti belli Carolostadio videtur tribuere, cujus fuerit potius verba verbis privatos inter parietes refutare, neque aureum illum funestum infelicis hujus belli ducem facile admissurum fuisse, nisi jam antea in pugnam prodire constituisset. Quodsi hic Protesilaus non primus scripto pugnam cœpisset, negat auctor, bellum Eucharisticum unquam in eam flammam erupturum fuisse. Bello huic temerario temere involutos contendendi studio Andabatarum more pugnare. Ex contendendi tantum studio profectum quicquid belli Eucharistici sit, ex eo demonstrat, quod neque dissensus tanti existimari possit, ut propterea tantum bellum excitaretur, & huc usque propagaretur, neque cuique parti sua desint argumenta. Primarium, & proprium controversiæ statum tantum in eo esse, fuisse, & futurum inter eruditos, utrum verba institutionis simplicia sint, & propria, an vero modificata & inflexa quodammodo. Propria ῥήσεις defendere, quia Christus tempore tristissimo cum Apostolis ludere verborum tropis noluerit. Contra tropum tueri διανοήσεις, quod hæc sacramentorum ratio sit, quod verba poculi (quod ne pervicacissimi quidem ῥήσεως negare possunt) per omnia sint tropica, quod vetustas magna ex parte tropice acceperit, quod ex literali sensu multa videantur consequi absurda. Tantam esse quorundam φιλο-

νεκιαν, ut fuerint, qui in anguſtias redacti aperte profeſſi ſint, malle ſe errare cum Luthero, quam cum Zwinglio recte ſentire. Qui de cœna dimicent, ſæpius imitari concionatores, qui ſive ex inſcitia, ſive ex infirmitate memoriæ, ſive latratu canum, ſive vagabundis cogitationibus a propoſito abſtracti dicant, quicquid in buccam venerit pro ſuggeſtu, etiamſi ad rem nequaquam pertineant, tantum ne ex ſilentio habeantur indocti.

§. 24. *Octavam* cauſam exiſtimat auctor eſſe impatientiam, qua quis nihil ferre poteſt eorum, quæ quacunque ratione contra ſe dicta aut facta eſſe exiſtimat. Quod ſi, inquit auctor, utriusque partis inſpexeris Theologos, tantam profecto in plerisq; impatientiam invenies, quantam vix in ullo hominum ordine alio. Quod ut auctor noſter confirmet lepidum tradit convitiorum, quibus qui bellum huc geſſerunt, tanquam telis, invicem infimæ & abjectiſſimæ inſtar plebis pugnarunt hiſtoriam atque catalogum. Cum διανοηται ſuam ſententiam exponerent ab adverſaria parte nuncupatos fuiſſe Zwinglianos, tropiſtas, Svermeros, fanaticos, Enthuſiaſtas, Ariſtotelicos, Kænodogmatiſtas. Dianoiſtas vero quosdam carnis affectum ſecutos par pari reddidiſſe, & ῥηπτας vocaſſe viciſſim Lutheranos, Capernaitas, metuſiaſtas, localiſtas, ſynuſiaſtas. Hæc cum intelligerent ῥηπται duriora reddidiſſe Dianoiſtis, quos mendaces,

ces, falsarios, Sacramentiperdas, corruptores Testamenti Christi, Ψυχοφαγους, ψυχοκτονους, ruentes in tartara, αὐτοκαταπελτους dixerint. Durius appellatos διαιτησας etiam duriora reddidisse, & τους ῥ'ηπτας vocasse Anthropophagos, sarcophagos, hæmatopotas, Thyestas, carnifices, Christicidas, ἀρτολατρας, Dei impanati cultores, Eutychianos, Svenckfeldianos, eversores complurium articulorum fidei Apostolicæ. Hæc cum viderentur ῥ'ηπτικως asperrima, tota convitiorum plaustra in dianoistas evomuisse, dum eos convictos hæreticos, dæmoniacos, diabolis ex omni parte ante, pone, supra, infra, intus & extra obsessos, diaboli martyres, gladio potius quam verbis refellendos, abarcendos a sacris, ex Ecclesia exstirpandos funditus, fugiendos omnibus bonis, indignos pro quibus oretur Deus, ex fœderibus regum atque principum excludendos, annumerandos Anabaptistis, Nestorianis, Arianis, Turcis, & ut paucis, omnia complecterentur, omnium mortalium, quos unquam terra sustinuerit, longe deterrimos, nec non in sempiternum damnatos. Ut adeo mihi non videantur de veritate, de verbis scripturæ, de fide atque charitate sed de eo contendisse, uter alterum calumniando, conviciandoque superare posset. Pulcrum hoc quidem, & Theologis, si Diis placet, dignissimum certamen. Dolendum magnopere esse recte monet auctor; quod Christiani,

imo Christianorum duces Theologi eo usque impotentiæ & pusillanimitatis procedant, ut obvio quovis convitio tantopere commoveant, ut gentiles fuerint, qui longe æquiori animo graviores multo injurias tulerint. Christum potius imitandum, qui cum helluo, cum φιλαμαρτωλος, cum φαγος, cum οινοπτης, cum impostor, cum obsessus dæmone, cum Beelzebub, cum Samaritanus, cum τελωνης, cum seditiosus cum contra Cæsarem, contra Mosem, contra legem, contra templum loqui & facere, cum denique blasphemus contra ipsum Deum diceretur, cum capto, cum in cruce pendenti dirosque cruciatus sustinenti illuderetur, ad quædam interdum muti instar prorsus conticuerit, ad quædam responderit, & quidem graviter, sed absque calumniis non par pari rependens, ut nos soleamus, ad alia non refutando, sed orando potius, & intercedendo: licet convicia contra Christum eo graviora, & iniquiora dicenda sint, quod nihil eorum vere dictum in dominum nostrum, in nos vero aliqua verissime dicantur. Cum nostrum esset discere a Christo, qui mitis sit, & humilis corde, cum λοιδορεμενοι non deberemus ἀντιλοιδορειν, memores illius μακαριοι οἱ πραεις, & ferienti dextram maxillam, etiam sinistram feriendam obvertere: nos contra percutientem repercutere, adimenti adimere, ejicientem ejicere, capientem capere, proscribentem pro-

proscribere, excommunicantem excommunicare, ex Ecclesia exterminantem exterminare vicissim, cum primum locorum atque temporum aliqua sese nobis offerat occasio. Similes hos Theologos hac in parte esse Apostolis, qui cum in vico quodam Samariæ tantum non susciperentur, rei indignitate commoti, si penes ipsos fuisset, igne cœlitus demisso omnes incolas absumsissent. Ultionem Deo relinquendam.

§. 24. Octo his causis alias adhuc subjungit auctor, quas vero non prorsus ejusdem ait, ponderis atque dignitatis. *Nonam* adeoq; esse ἀποστασιοεπισκοπαν, qua quidam doctores Ecclesiastici πολυπραγμονες, Φιλοτιμοι, Φιλαρχοι, κενοδοξοι alienam invadant διοικησιν conantes aut precario, aut minis, aut rationibus subdolis ad suæ doctrinæ castra traducere, qui fidei suæ commissi non sint. *Decimam* vocat ἀρχαισμον, nondum satis intellectum, sive dubiam in multorum animis & ancipitem patrum auctoritatem, utraque parte pro se stare hos vel illos patres ad ravim usque clamante. *Undecimam* causam negligentiam perhibet magistratus politici esse. Cui, cum negligentior sit in fidei capitibus, sacramentorumque doctrina cognoscendis, in ejusmodi controversiis ex ore aliorum dependendū sit, cujusvis adeo fraudi & impostaræ expositō. Sententiam sæpius dici altera parte aut prorsus nunquam, aut per calumniatores duntaxat

audita. Nimium magistratum civilem laxare habenas turbulentis scriptoribus. *Duodecima* causa perhibetur esse librorum alterius partis interdictio. Constantinum magnum in Synodo Nicæna supplices Episcoporum libellos, quibus lites inter se privatas exercuerint, benigne susceptos simul & semel omnes combussisse, & hac ratione sustulisse privata Episcoporum dissidia. Quod „si, inquit auctor, pari modo de cœna scri„pti libri Vulcano immolarentur iis tantum „exceptis, in quibus privati abessent affectus „atque calumniæ, ita me Christus amet, bel„lo sacramentali non postremus incideretur „nervus: siquidem constat, a multo maxi„ma parte privatum commodum atque ho„norem in hoc bello quæri non publicum. *Decimam tertiam* causam judicat esse omissionem Synodorum rite convenientium. *Decimam quartam* inde arcessit, quod cum in Academiis iis sæpe, quos neq; eruditio neq; prudens pietas commendet, honores Academici conferantur, isti quoniam in aliis non possint, in causa atque lite Eucharistica zelum & eruditionem suam contendendo ostentent. *Decimam quintam* adfirmat esse pactorum violationem. Marpurgi decretum esse, pacem utrinque colendam, & a contentiosis & amarulentis scriptis abstinendum, sed vix triennium hæc observata esse. Pacificationem Wittenbergicam, in qua quam animi utrinque pacati atque conjuncti fuerint

Lu-

Lutheri ad Helvetios, & Helvetiorum ad Lutherum literas significare, sequutam esse subitam præter omnem exspectationem animorum alienationem.

§. 25. *Decimam sextam* esse ἀνθρωπαρεσκειαν, quo vitio qui laborent, eos uti cuncta ita etiam ea, quæ ad sacram cœnam spectant, dicere atque facere ad gratiam vel superiorum, vel inferiorum, vel æqualium contra conscientiam, idque tantum ne de suo dimoveantur loco, & dignitate, utque ea consequantur, quibus exciderent, si libere dicerent, quæ ipsis de causa Eucharistica viderentur. *Decimam septimam* tandem eandemque ultimam causam belli hujus docet esse illud αὐτος ἐφα Pythagoricum. Vulgatum hominum ita affectum esse, ut quos charos habeat, & miretur ob excellentiam donorum, plerumque plus illis tribuat, quam æquum & par sit. Hinc, quicquid ab ejusmodi viris proficiscatur, sit licet interdum etiam minus laudandum, in cœlum laudibus efferri, & mordicus retineri atque asservari non secus, ac si dictum factumve ab ipso esset Deo. In doctrina de cœna maximam partem ita captam atque constrictam esse auctoritate sive Lutheri, sive Zwinglii & Calvini, Lutheri tamen imprimis, ut si forte Angelus descenderet de cœlo, & ab eo doceret diversum, non facile sit inventurus fidem. De Demetrio decretum Athenis fecisse Stratoclem παν ὁ, τι αν βασιλευς Δημητριος κελευση τουτο και προς θεους ὁσιον

καὶ πρὸς ἀνθρώπους εἶναι δίκαιον. Idem nobis ſtatutum decretumque eſſe de noſtræ fidei anteſignanis. Si ut cœteras, ita & ſacramentales lites velimus compoſitas ad ἀμεσα decurrendum eſſe, ad ἀυτοπτα, ad ἀυτομολουμενα, ad ἀναποδεικτα ſacro ſanctæ Scripturæ Canonicæ & authenticæ. Quæ vero noſtra ſint & doctorum noſtrorum placita, ea pro fœno, ſtramine, & ſtipulis habenda eſſe, donec ad Lydium lapidem hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorum Canonem revocata auro & argento correſponderint.

§. 26. Tandem libellum huncce ſuum auctor concludit, quæ vero melius, uberiusque hac de cauſa dici poſſint, illis relinquit, qui ipſo Doctrina, ætate, rerum uſu & auctoritate longe ſint ſuperiores. Se, quæ dicere potuerit, dixiſſe; cumque cauſas jam expoſuerit, quæ bellum Euchariſticum foverint aluerintque, optimum quemque præclare intelligere, ſi bellum ſacramentale ex animo & ſincere velimus ſublatum, in eo nobis eſſe elaborandum, ut enumeratas cauſas tollamus. Ea deinde paucis recenſet, quæ ſingulis cauſis opponenda exiſtimet. Quæ ita facile colligi ex ipſa cauſarum tractatione poſſunt, ut opus non ſit, in hac ipſa remediorum recenſione diutius verſari. Cauſis his, quas ipſe expoſuerit tanquam famulis atque pediſſequis amotis, diſcordem verborum Cœnæ interpretationem ceu Dominam diſſi-

dii,

dii, ſolum quoque vertere coactum iri exiſtimat. Famulis vero retentis; quæcunque pacificationis tententur remedia, fruſtra laboratum iri metuit. Optat denique Deus T. O. M. det, ut per Chriſtum acquiſitæ pacis conſortes, pacem quoque inter nos colamus terrenam, illius cœleſtis certiſſimum indicem, quo validiore cum manu, cum fuerit opus, veritatis hoſtibus poſſimus reſiſtere.

§. 27. Ex his vero, quæ hactenus recenſui, facile quemvis intelligere exiſtimo, veri nominis Theologum noſtrum auctorem exſtitiſſe, qui per *totum hunc libellum* conjunxerit cum vera eruditione atque pietate animum uti a partium ſtudio alienum, ita pacis atque concordiæ ſtudioſiſſimum. Licet enim præ ſe ferat, quid ipſe de Sacra Cœna ſentiat, ita tamen diverſa ſentientium vitia recenſet, ut merito ne ſuis quidem parcat, quos, licet rectius ſenſiſſe exiſtimet, in toto tamen hoc bello, nimium etiam affectibus ſuis interdum ſerviiſſe non diffiteri videtur. Quibus vere ſignificavit, quam ſibi hæ contentiones & Chriſtiana religione, & omni ratione indigniſſimæ videantur, quamque ipſe cum piis omnibus ita veritati ſtudeat, ut ex Dei præcepto, etiam amoris, pacis atque concordiæ deſiderium adjungat. Neque profecto dubitari poteſt, ſi quam æquæ pacis conditiones ſunt, quas deſcripſit, tam etiam illius conſilium omnes ſequeren-

tur, brevi jucundiſſimam pariter atque firmiſſimam futurá pacem. Itaque quam præclare de hoc Jezleri libello, ipſoque auctore viri eruditiſſimi tum temporis ſenſerint facile ex literis perſpici poteſt, quæ MSS. adhuc exſtant. Nobis præ reliquis & ob auctoris celebritatem & eo potiſſimum nomine, quod & vera dicat & ab omni adulatione aliena teſtimonium doctiſſimi Danielis Toſſani „ magnopere placuit. Ita vero ille literis anno „ 1586. ad Jezlerum exaratis. *Liber tuus*, inquit, „ *de cauſis diuturnitatis controverſiæ Euchariſticæ &* „ *mihi*, *& moderatis omnibus imprimis placet.* „ *Sed non deſunt, quibus omnibus aliis polemicis* „ *ſcriptis acerbius eſſe tuum videatur : quia fere* „ *utramque partem accuſare videtur* ὑπερφροσυνης, „ ἀπαιδευσιας, πικροκρισιας, καὶ φιλονεικιας. *Sed* „ *ut ille ait, Jupiter ipſe ſive pluat, ſive non pluat,* „ *non omnibus placet. Libellum illum certe magni* „ *faciunt Anhaldini Theologi viri doctiſſimi. Ubi* „ *Harniſius ex nundinis reverſus fuerit, auctor ei* „ *ero, ut eum recudat. Cæterum neſcio, quid ſim* „ *ab eo impetraturus, eſt enim ſatis moroſus.*

§. 28. Sed ſunt profecto ex iis, qui Lutherum ſequi videri volunt, qui facile mihi largiantur, non eſſe majorem uti Jezlerus noſter docuerit circa S. Cœnam diſſenſum inter Proteſtantes, quam qualis eſſe inter eos ſolet, qui eundem ſcripturæ locum maximam quidem partem eodem modo, ſed in paucis quibusdam circumſtantiis diverſo, veruntamen

ita

ita explicant, ut nihil contra rationem, nihil contra reliquam Scripturam ſentiant: ſed longe majorem, & difficiliorem adhuc præter ea quæ ad unionem atque communionem duarum in una Chriſti perſona naturarum referuntur, ſententiarum diſcrepantiam de æterna prædeſtinatione, vocationisque & gratiæ divinæ ratione alios ab aliis tam longe ſejungere atque diſtrahere, quam olim Manichæi ab orthodoxis diſtincti fuerint. Verum enim vero, nihil mihi noſſe videtur, qui arbitratur, omnem illam controverſiam de naturarum unione, atque communione ex una illa de verborum inſtitutionis propria vel tropica explicatione non pendere, neq; primos fidei Lutheranæ ſtatores nobiſcum de prædeſtinationis gratiæque neceſſitate, & voluntatis noſtræ ſervitute ſenſiſſe. Sed de his alias uberius.

VI.

VI.

# JO. GEORG. SCHELHORNII,

## Memmingenſis,

### De צלצל דגים ad Job. XL: 31.

### Diſſertatio.

Συνοψις.

צלצל דגים Bocharto eſt telum piſcatorium, nobis cymbalum, cujus ſonitu nonnulli piſces delectantur. §. 1. De ſignificatu צלצל quædam. Famoſior eſt cymbalum. צלצל Deut. XXVIII. locuſta, a tinniendo juxta Raſchium dicta. צלצל Rabbinis turtur, a cymbalo facto nomine. §. 2. cymbala in Phrygia Dindum, in Syria Zinzum forte a צלצל. Scriptoribus Talmudicis צלצל cymbalum. §. 3. Muſica delectantur etiam bruta, ac piſces. Wolfg. Franzii & Macrobii teſtimonia, §. 4. Delphin φιλομουσος. §. 5. Piſces quomodo ad auguria fuerint allecti? §. 6. Piſces voce hominum allecti. Juxta Martialem, Lucianum, Ciceronem &c. §. 7. recentiorum de piſcium φιλομουσια teſtimonia. §. 8. Deus negat in loco Jobi, Leviathanem hoc vel ſimili modo allici poſſe. Bruta quædam tintinnabuli ſonum averſantia. Piſces tinnitu inſtrumentorum Muſicorum terrefacti. §. 9. Caput implere cymbalo quo ſenſu dicatur in loco Jobi §. 10.

§. 1.

## §. 1.

DEprædicat in hoc capite Deus O. M. divinam ſuam omnipotentiam ejusque quaſi egregia ſpecimina in medium producit Behemoth & Leviathan, quorum ille animal aliquod quadrupes, hic vero grandis ſtupendusque piſcis, quicunque tandem ſit. Jobo Deus contra infirmitatem ejus ob oculos ſiſtit, recenſendo varia, præprimis autem inquirendo: התמלא בשכות עורו ובצלצל דגים ראשו: quæ verba Sam. Bochartus in Hierozoic. P. II. L. V. C. XVI. f. 773. edit. Francof. ſic reddidit: *An implebis pellem ejus miſſilibus, & caput ejus telis piſcatoriis?* Summus Vir ibi ſimul merito caſtigat Syrum Græcosque Interpretes, neque aliis interpretibus Jobi mentem ſatis hic fuiſſe perſpectam, innuit. Neſcio vero, an is ipſe acu rem tetigerit, צלצל per telum piſcatorium transferendo; hanc enim ejus vocis notionem exinde ſaltim probat, quod צלצל pro telo geminatis radicalibus alludat ad Arabicum צאלת quod ſagittas explicent Giggeus & Golius. Tutiorem me viam ingreſſurum arbitror, ſi famoſo, & de quo nemo dubitat, צלצל ſignificatu retento, Deum præter alia quærere dixerim: num poſſit Job caput Leviathanis implere cymbalo piſcium (i. e. cujus ſonitu nonnulli piſces impenſe

pense delectari soleant,) ut hoc eum alliciat atque sic irretiat?

§. 2. Non alienum ab hoc loco erit, de notione τῦ צלצל paulo plenius dicere, cum in ista exponenda mirum quantum discrepent interpretes. Comparet equidem plus simplici vice in Fœderis Antiqui Volumine, sed in singulis fere locis alium apud Commentatores varios induit significatum, nunc fiscellæ piscatoriæ, aut teli, alibi cymbali, tandem & umbræ notionem sortita. Equidem ejus πολυσημίαν non prorsus negabo: at prudentis & circumspecti interpretis esse judico, ut semper eum significatum, qui famosior & quasi primarius est, eligat, nisi forte circumstantiæ textus aperte aliud suaserint. Secus enim facienti compluries accidere mihi persuasum est, ut locis Scripturæ alienum inferat sensum, & a mente Spiritus divini aberret. Ego, quod bona cum venia aliorum dixerim. ubique fere cymbali significatum τῷ צלצל convenire puto, quæ licet non unica & constans, ut nonnullis visum fuit, at famosior ejus est notio, Nam Deut. XXVII. 42. quidem alio sensu venit, sed aliis etiam notatur punctis, adeoque non est eadem vox, quamvis R. Sal. Jarchi locustam clamosam ibi innui autumet, quæ a strepera voce sic quasi tinniens dicta sit. Quum vero צלל etiam sit obumbrare, Bocharto verisimilius videtur, hinc locustas sic appellari: quia

quia scilicet solem obumbrant. vid. Hieroz. P. II. L. IV. C. I. f. 446. add. C. IV. f. 479. Turturem autem ab Hebræis צלצל nominari, tanquam a cymbalo facto nomine, quia vocem habet tinnulam & obstreperam, idem Vir laudatissimus censet l. c. L. I. C. IX. f. 55.

§. 3. Nostrum, de quo diximus, צלצל in locis 2. Sam. VI. 5. Ps. CL. 5. citra controversiam significatione cymbali gaudet, & Chaldaicum צלצלא eodem sensu venit: quin & loco vexatissimo Jes. XVIII. 1. hæc notio congruere mihi videtur, de quo alio tempore plenius disserere in hac Bibliotheca constitui. Bochartus in Epistola de quæstione, num Æneas unquam fuerit in Italia? p. 15. auguratur, cymbala in Phrygia esse nominata Dindum, ut in Syria Zinzum, quæ voces non adeo multum ab Hebraica צלצל abeunt: siquidem notum est, ד haud raro cum ל permutari, cujus exempla suggerit idem Bochartus in Geograph. S. p. 145. 572. 850. edit. Franc. Sicut & mutationem ת in ד Syris ac Arabibus usitatam esse pronunciat Joh. Lightfootus in Horis Hebr. & Talm. in IV. Evang. p. 555. edit. Lipsi. ubi דאלמנותא a צלמון deducendum arbitratur: quanqaum de his cum nullo decertare animus sit. Scriptoribus Talmudicis צלצל est æreum instrumentum & maximi quidem soni, de quo locum notabilem ex Gemara Hierosol. adduxit H. Relan-

Relandus Dissert. V. de Nummis Samarit. p. 215. sqq. Referunt nempe Judæi inter quotidiana Levitarum instrumenta musica, quæ sunt נבלים כנורות וצלצל, nablia, cytharæ & cymbalum, maximum sonum reddidisse צלצל, adeoque etiam unum modo fuisse. Et præfectus instrumentis musicis Levitarum ab hoc solo nomen gerebat ממונה על הצלצל præfectus cymbalo. Alia loca hunc significatum probantia ex priscis Hebræorum scriptis notavit Buxtorfius in Lexico Talmud. conferri quoque potest F. A. LAMPE Vir celeberrimus, de cymbalis veterum in addendis ad p. 238. Atque sic nihil videtur causæ esse, quo minus & hic eam notionem utpote famosiorem & primariam, retinere liceat, cum hac ratione sensus haud incommodus ex loco nostro elici queat, quod nunc pluribus evincendum nobis erit.

§. 4. Musicam ipsa quoque animantia bruta sonora concentus sui varietate non raro demulcere, haud nostro demum tempore naturæ scrutatoribus innotuit, sed & olim eruditum fuit: quod testimoniis quibusdam manifestum fiet. De cervis hoc confirmat Clemens Alex. Paedag. L. II. C. IV. f. 164. τὰς μὲν ἐλάφους ταῖς συριγξὶ κηλεῖσθαι παρειλήφαμεν, καὶ ἐπὶ τὰς ποδάγρας, πρὸς τῶν κυνηγῶν θηρευομένας ἄγεσθαι τῷ μέλει. i. e. *Cervas fistulis demulceri accepimus & in laqueos inter venandum cantu duci a vexationibus.* Julii Solini Polyhist. C. XXVI. f. 156.

f. 156. edit. Vienn. 1520. ubi nonnulla de mira muſicæ vi annotavit Joh. Camers. Plura de his lubens prætereo, cum nunc de piſcibus ſaltim quæſtio ſit: de quibus quædam afferre animus eſt, loci Jobæi illuſtrandi gratia. De Alioſa, quæ Clupea etiam vel Triſſa audit, Ælianum & alios memorare teſtis eſt Wolf. Franzius in Hiſt. S. animal. P. III. C. IV. quod campanis parvis, cantu & ſtrepitu teſtarum advocetur & capiatur juxta lacum Mareotin. Piſcatores enim in caſulis ſuis ſaltare adhibitis inſtrumentis muſicis: hunc modum ſaltantium æmulando Aloſam per imprudentiam incidere in expanſa retia. Hinc non abs re Macrobius in Somnium Scipion. L. II. C. III. *Ecquid mirum, ſi inter homines muſicæ tanta dominatio eſt? cum aves quoque, ut luſciniæ & cygni aliæve id genus, cantum veluti quadam diſciplina artis exerceant, nonnullæ vero vel aves vel terrenæ ſeu aquatiles belluæ, invitante cantu, in retia ſponte decurrant, & paſtoralis fiſtula (aa) paſtum progreſſis quietem imperet gregibus?*

§. 5. De Delphine produnt hiſtoriæ naturalis ſcriptores, eum valde delectari muſica. Atque hinc citra dubium orta eſt fabula de Arione, inſigni cytharœdo, qui a Delphine per tumidos fluctus maris in regionem Tænarum



(aa) Ariſtides Or. XVI. in laudem Smyrnae, hanc urbem quoque commendat, ex piſcium, quibus abundat copia, quos manſuetos factos ad tibiam ſaltare doceant. T. d. H.

rum vectus esse traditur, mulcente aures musica, & navigium sublevante. *Visum est enim*, ut Petrarchæ verbis utar, *fabulam non admitti, nisi color mendacio quæreretur: gubernaculum, malus, vela, remi deerant, pro his omnibus unius Musicæ suavitas subrogata est.* Eam ex Herodoto repetiit A. Gellius N. A. L. XVI. C. 19. Extat in illam rem elegans epigramma Bianoris L. I. Anthолog. Græc. Cap. XL.

Φῶρες ὅτ' εἰναλίοι τυρσηνίδ' ἀγχόθι δίνης
Φορμικτὰν ἁκάτᾳ θῆκαν ὑπερβύθιον.
Ἀντίκα μιν κιθάρῃ λιγυηχεῖ δέξατο δελφὶν
Σύνθρονον ἐκ δὲ βυθᾶ νήχεθ' ἑλισσόμενον.
Μέχρις ἐπ' Ἰσθμὸν ἔκελσε Κορίνθιον· ἦ ῥα θάλασσα
Ἰχθῦς ἀνθρώπων εἶχε δικαιοτέρους.

interprete Paulo Stephano:

*Non longe audaces Tyrrheno a gurgite nautæ*
*Per vos in mediis mersus Arion aquis.*
*Excipit argutam citharamque & Ariona delphin:*
*Volvitur æquoreis inde natator aquis:*
*Unde Corinthiacum sospes devenit ad Isthmum.*
*Plus quam homines justo pisce natantur aquæ.*

De hoc pisce Plutarchus in de solertia animalium, f. 984 Tom. II. Opp. *Verisimile quidem est, Deum probare studium musices in delphine: cui etiam Pindarus se comparans, incitari se, ait,* delphinis

phinis in morem, τὸν μὲν ἀκύμονος ἐκ πόντου πελάγει αὐλῶν ἐκίνησεν ἐρατὸν μέλος, *quem placido e mari ſuavis excivit tibiæ ſonus.* Ne autem exiſtimes, Delphinis φιλομουσίαν ſolis niti poëtarum figmentis, provoco ad nobile par naturæ curioſorum, Plinium & Caſp. Schottum. Ille in Hiſt. nat. L. IX. C. VIII. aſſeverat, *Delphinem non tantum eſſe hominis amicum animal, verum & muſica arte mulceri ſymphoniæ cantu, & præcipue hydrauli ſono.* Ubi tandem nonnullis interjectis: *Quæ faciunt*, ait, *ut credatur, Arionem quoque cytharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus ad intercipiendos ejus quæſtus eblanditum, ut prius caneret cythara, congregatis cantu delphinis cum ſe jeciſſet in mare, exceptum ab uno Tænarum in littus pervectum.* (a) Schottus vero in erudito de Magia tractatu propria experientia confirmat, Delphines illas naves, in quibus concentus inſtituitur muſicus, adnatando comitari ſolere. Quod & ſibi in mari Adriatico naviganti, obtigiſſe commemorat Jac. Locher Philomuſus in epiſtola ad Wolfg. de Tanberg, Fulgentii Mytho-



(a) Adde eandem L. XI. c. 50. ubi ſcribit. *Delphinum audire manifeſtum eſt, nam & cantu mulcentur, & capiuntur attoniti ſono.* Praecipue Delphines eſſe φιλῳδους καὶ φιλαυλους *delectari cantu & tibiis* ex illa Arionis hiſtoria probat Aelianus hiſt. Anim. L. XII. c. 45. ubi & hymnum producit, ab Arione conſecratum Neptuno, in quo Δελφινες vocantur φιλομουσοι, i. e. Muſicae amantes. T. d. H.

logiis, Auguſt. Vindelic. 1521. in fol. editis, præmiſſa.

§. 6 Sed & alii adhuc piſces hujuſce fere ſunt indolis: Apud Varronem de Re Ruſt. L: III. C.ult. hæc verba invenies. *Sic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant piſces, quos proinde ut ſacri ſint ac ſanctiores, quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Varre ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extremum littus atque aram, quod eos capere auderet nemo.* Caſp. Peucerus in Commentar. de præcipuis divinationum gener. ubi de ἰχθυομαντείᾳ p. m. 206. agit, hæc refert: *Non procul a Foſſa Dina ad Myras (b) Lyciæ in fonte Apollinis, quem Curium appellant, piſces ter fiſtula evocati conveniebant, qui ſi diripiebant objectas eſcas, lætum erat conſultantibus, ſi caudis abigebant, dirum. Hierapoli Lyciæ in lacu Veneris piſces ædituorum parebant vocibus, prodibant, ac veluti ſeſe ſiſtebant vocati, exornabantur auro, ſcalpebantur adulantium manibus, & in ora hiantia admittebant inſertas manus:* quod ex Plinii Hiſt. Nat. L. XXXII. C. II. eum hauſiſſe poſtmodum vidi.

§. 7. Nec Muſica duntaxat, ſed & ipſa hominum voce allectos fuiſſe piſces quosdam, poſterius exemplum, Peucero memoratum, comprobat: cui nunc alia etiam jungere liceat. Mirare mecum, benevole Lector, piſces, qui Domitiano Imperatori in deliciis erant,

(b) Haec hauſta ſunt ex Ael. Hiſt. Anim. L. VIII. c. 5. & L. XII. c. 1. T. d. H.

erant, de quibus Martialis L. IV. Epigr. 23. ad Piſcatorem :

*Bajano procul a lacu monemus,*
*Piſcator fuge, ne nocens recedas.*
*Sacris piſcibus hæ natantur undæ,*
*Qui norunt dominum, manumque lambunt*
*Illam, qua nihil eſt in orbe majus.*
*Quid quod nomen habent, & ad magiſtri.*
*Vocem quisque ſui venit citatus.* (c)

cf. hic Matth. Raderi Comment. ad h. l. f. 283. qui cum varia in eam rem, præprimis

 notatu

(c) Idem Mart. L. X. ep. 30.
*Piſcina Rhombum paſcit, & lupas vernas:*
*Natat ad Magiſtrum delicata Muraena,*
*Nomencalator Mugilem citat natum,*
*Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes Mulli.*
Adde memorabilem locum Plinii, ex L. X. c. 70. *Piſces quidem auditus nec membra habent, nec foramina. audire tamen eos palam eſt, ut patet cum plauſu congregari feros ad cibum aſſuetudine in quibusdam vivariis ſpectetur, & in piſcinis Caeſaris genera piſcium ad nomen venire, quosdamque ſingulos.* Ita Aelianus narrat Hiſt. Anim. L. XII. c. 1. in Apollinis templo apud Myrenſes in Lycia magna cura ali piſces, inter alia de iis ſcribit. Γνωριζουσι δε και την του Ιερεως φωνην οι ιχθυες, και ἐπακουσαντες μεν ἐυφραινουσι τουτους δι' ὁυς κεκληνται. *Piſces cognoſcunt Sacerdotis vocem, & cum acceſſerunt, exhilarant illos, per quos appellati ſunt.* Idem L. XII. c. 30. varia loca nominat, in quibus piſces manſuefacti, και υπακουοντες τη κλησει, alantur. Idem argumentum tractat,

notatu dignissimú piscis cujusdam miraculum ex Petro Martyre de Rebus Oceanicis, attulisset, exclamat: *Ite nunc Plinii, Gellii, Æliani, & de Delphinibus Jasensibus, Bajanis, Tænariis & Corinthiacis porro gloriamini.* Lucianus similiter in de Dea Syra de piscibus: οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται, δὲ κεκλημένοι, *hi & nomina habent, atque iis vocati adveniunt.* Notandum quoque est, veterum Romanorum luxum eo processisse, ut & pisces summo studio erudiri curaverint, ut adulantium se præberent manibus. Cicero subinde in eos mores invehitur. L. II. ad Atticum Epist. I. scribit: *Nostri autem principes digito se cœlum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* Idem in Paradoxis: *Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos, & videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murenarum copia gloriantem.* Sic L. Crassi murena multorum literis celebrata est, quæ vocem domini audiens, adnatabat, escamque sibi porrectam accipiebat: hinc etiam mortem ejus indigniss-

stat integro capite 4. libri octavi. Anonymus auctor rerum Asiaticarum memorabilium (Asiatischer denckwürdigkeiten) narrat in regione Indiae Orientalis *Kachimore* in viridario orbis Achiavel piscinam esse, in qua pisces ingentis magnitudinis annulum aureum in naso gestent cum epigraphe, accersitos autem voce cujusdam, concurrere. T. d. H.

gnissime tulit Crassus. Audi enim, quæ Macrobius hac de re narrat Saturnal. Lib. III. C. XV. *Crassus, Vir censorius, cum supra cæteros disertus haberetur, esset que inter clarissimos cives princeps, tamen muræna m in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Neque id obscurum fuit, quippe collega Domitius in senatu hoc ei quasi deforme crimen objecit: neque id confiteri Crassus erubuit, sed ultro etiam (si diis placet) gloriatus est censor, piam affectuosamque, rem fecisse se jactans.* Nicolaus Leonicus Thomæus de Varia Historia Lib. III. Cap. LXXV. in Eloro Siciliæ fluvio, qui Eloram a se appellatam præterfluit urbem, cicurum genera piscium reperiri scribit, qui, Apollodoro teste, & inclamati accedere, & e porrigentis manu placidissime cibum capere consueverunt. Miratus igitur sum, Franciscum Petrarcham, Virum in veterum literis minime hospitem talia fugisse. Is enim Epist. Famil. Lib. III. Epist. XXIII. posteaquam de variis belluis avibusque blanditia delinitis suaviter disseruisset, *de piscibus*, ait, *nihil tale (quod meminerim) legi, nisi quod Delphines nescio qua humano generi familiaritate conjunctos ferunt.* Prioribus jam addere libet fabellam, fere dixerim anilem, quæ in libro rarissimo Conformitatum Francisci cum Christo fol. 66. fac. 2. Col. 2. memoratur. Scilicet ibi pisces concioni, ab Antoniohabitæ, capitibus protensis faciles præbuisse aures, eique nutibus,

& quod mireris, clamore applausisse traduntur: ut nimirum scias, non omnes pisces voce destitui. Forte fuerunt ex numero scaphrorum & porcorum fluviatilium, quibus Aristoteles alicubi clamandi facultatem adscribit.

§. 8. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, addenda nunc erunt & recentiorum quædam de piscium φιλομουσία testimonia. Rondeletius L. VII. c. 15. sæpe numero se in Arverniæ oppido Maringuesio ad littus fluvii obambulantem, chelyn pulsando, pisces gregatim ad ripam allectasse perhibet. Idem L. IV. de piscibus marinis C. X. scribit: *Non procul ab Ambiano in villa quadam divi Antonii trocta nutritur: quæ vocata ad cibum properat, & de manu capit. Glani & cyprini in vivario ædium nobilissimi Viri a Jarnaco, pulsato pariete ad cibum properant: id quod ipse sum expertus.* Audio in quibusdam vivariis Germaniæ inferioris tintinnabuli sonitu pisces ad cibum vocari. (*d*) In Italia prope Ferraram in Eridano flumine sitam esse insulam Erasmus Franciscí in Theatro Curiositat. P. I. p. 204. narrat, in qua olim vivarium extiterit, cujus pisces sic adsueti,

(*d*) Tale quid de illo, qui in viridario Archiepiscopi Salisburgensis est, ex Ephemeridibus naturae curiosorum narrat Vir de literis & ecclesia meritissimus Ioh. Cyprianus in Comm. ad Tranc. Hist. anim. p. 1967. qui & de his rebus conferri meretur p. 1903.

ti, ut nonnisi signo prius per tintinnabula dato, ad cibum capiendum accesserint. Recordor & ipse, me aliquando cum Altorfii literis operam navarem, ex ore Theologi ejus Academiæ celeberrimi accepisse, quod B. Kortholtus Kilonii ei retulerit, in insulæ, quæ vulgo Terræ Sanctæ (Heiligenland) nomen obtinet, aliquo sacello asservari campanulam, de qua incolæ tradant, haleces, quotiescunq; ea pulsata fuerit, capita ex lacu protendisse, atque hac ratione tam celebrem arengarum capturam primo fuisse inventam.

§. 9. Jam ad locum Jobi citatum revertar. Videtur inibi Deus negare, Leviathanen hoc vel simili modo allici irretirique posse. Sunt enim nonnulla tam terrestria quam aquatilia animantia, quæ tintinnabuli aliusve instrumenti sonitum aversantur. De prioribus Strabonis verba notanda sunt L. XVI. f. 736 ubi de Troglodytis ex Artemidoro refert: ὁδοι πορεῦσι νύκτωρ ἐκ τῶν ἀῤῥένων θρεμμάτων κώδωνας ἐξάψαντες ὡς ἐξίστασθαι τὰ θηρία τῷ ψόφῳ. h. e. *Iter noctu peragunt, pecoribus masculis tintinnabula e collo suspendentes, ut feræ sonitu exterreantur.* De posterioribus in promtu est, testimonium Philostrati Senioris, qui in vita Apollonii (e)

 de

(e) Verba exstant L. III. c. 57. Το δε φασιν θηριωδη την θαλατταν ειναι πασαν, ἀγελαζεσθαι δε ἐν αὐτη τα κητη, τας δε ναυς, ἐρυμα τουτου, κωδω-

νο-

de balænis narrat, Indos navibus grandia appendere in prora ac puppi tintinnabula, ut ſonitu terrefactas belluas arceant. Quamvis enim tot mendaciis ſcateat is auctor, ut difficillimum ſit, verum a falſo diſcernere: tamen ea relatio aliquam veri ſpeciem habet, ſiquidem Arrianus Indic. V, 18. & Strabo L. XV. perhibent, claſſicos Alexandri M. belluas quasdam marinas, quæ multum incommodi ipſis excitaverant, tubis exterruiſſe cf. etiam Curtium L. X. C. I. v. 12. & Freinshemii Obſervationes in eum locum. Tinnitu quorundam inſtrumentorum Muſicorum terreri etiam Crocodilum, atque ſic in fugam verti, ſed ſimul fugiendo in foveam, ejus capturæ deſtinatam, delabi, memorat teſtis ἀυτόπτης Petrus Martyr cujus verba ex Legationis Babylonicæ Libro III. p. 448. ſq. dabimus. *Eſt*, inquit, *crocodilorum alia a quadrupedibus in progreſſu natura: cum enim e Nilo in terram longius proficiſcuntur, alia neſciunt regredi via, quam per ea ve-*

νοφορειν, κατα πρυμναν τε και πρωραν. την δε ηχω εκπληττειν τα θηρια, και μη εαν εμπελαζειν ταις ναυσι: Quae verbis reddo Cornelii *Kiliani* Dufflaei in ejus poematibus.

*Navita Erythraeum pavidus qui navigat aequor*
*In prorae & puppis ſummo reſonantia pendet*
*Tintinnabula, eo ſonitu praegrandia cete*
*Balaenas, & monſtra marina a navibus arcet.*
T. d. H.

*vestigia, quæ in arena venientes reliquerunt: propterea cum descendisse crocodilum incolæ præsentiunt, celeri cursu cum ligonibus & ramorum fascibus accurrunt: in eaque semita fossam profundam effodiunt, ac ramis illam superimpositis arena contegunt, ne rediens crocodilus insidias sentiat: dehinc per vestigia crocodilum quærebant: sic repertum, strepitu & lituorum æneorumque tinnitu in fugam versum insequuntur. Ita in foveam delabentem aut perimunt, aut laqueis irretitum ad urbem portant.* Sufficiant hactenus recensita exempla & testimonia: unum duntaxat adhuc addo, nempe apologum Cyri, Persarum regis, quem coram Jonibus recitavit, notante Herodoto L. I. Histor. p. 26. edit. H. Stephani. *Scilicet Cyrus ad eorum postulata per hujusmodi similitudinem atque apologum respondit: Tibicen, inquiens, quidam, ubi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suavitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est traxitque. Et quum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces; Temperate nunc mihi quæso a saltationibus: quando non libuit vobis me canente saliendo progredi.*

§. 10. Sicuti vero in Jobi verbis caput impleri dicitur cymbalo, non eo sensu, ac si quis cymbalo infarciat caput piscis, sed quod sono ejus vel alius instrumenti (Synecdochice enim צלצל hic positum esse mihi persuadeo) aures & caput illius impleat ac delectet:

ita

ita Cohel. I, 8. Salomo ait : לא-תמלא אזן משמע ὐ πληρωθήσεται ἓς ἀπὸ ἀκροάσεως. Sed hinc fere enaſceretur loci Jobæi ſenſus, iſti, quem ſupra propoſuimus, e diametro contrarius, hic videlicet : Num potes caput Leviathanis implere cymbali ſono & ſatiare? Quæſtio autem affirmans negationem includit : atque ſic ingens potius Leviathanis φιλομουσία his verbis indigitaretur. Perinde enim eſſet, ac ſi Deus dixiſſet : לא-תמלא בצלצל דגים ראשו nunquam ſatiabis eum ſono cymbali. Quodſi nobis de amore Leviathanis erga Muſicam certo conſtaret, ego ſane huic expoſitioni haud refragarer. Interim tamen pro ea, quam antea attuli, noto : implere caput idem forte eſſe, ac delinire, demulcere, delectare aliquem, prout v. g. in nonnullis Scripturæ locis implere cor & animam alicujus aliqua re eſt, aliquem delectare, alicui voluptatem creare & ſic porro. Ego comma noſtrum ſic redderem Germanice. Kanſtu ihn (oder ſeinen Kopff) einnehmen mit dem Thon eines Muſicaliſchen inſtruments, wordurch ſich unterſchiedliche Fiſche ſonſten herbey locken laſſen? Cæterum lubens fateor, hæc mea ultra conjecturæ ſortem non adſcendere: & verbis Ciceronis, quibus in fine Oratoris ſui utitur, paululum immutatis diſſertatiunculam hanc obſigno. Habes meum de loco Jobæo judicium : quod aut ſequere, ſi probaveris : aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt

tuum

tuum: in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, quod proposui, unquam affirmabo esse verius, quam tuum. Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri.

## VII.

## RUARDI ANDALA h. t. Rectoris Magnifici exegesis illustrium locorum ut & duorum typorum S. Scr. Serpentis ænei, & suspensi eodem die sepeliendi. Accedit clavis Apocalyptica quatuor propositionibus comprehensa. Franeq. 1720. Tria alphabeta & 15. philyræ præter præfationem.

ARgumentum & Oeconomiam hujus libri, Celeberrimus ejus Author, multis jam scriptis meritisque in Ecclesiam Christianam famam præclaram meritus, in præfatione exhibuit, cujus hic compendium faciemus, ut quid inde sanctiorum studiorum cultores utilita-

litatis sibi spondere queant, in brevi tabella conspiciatur.

Prima dissertatio agit de loco Ezech. XX. 25. 26. in cujus exegesi COCCEJI, τῦ πάνυ, hypothesin, quam facillimam & evidentissimam censet, explicat atque defendit. Præcipue in eo est, ut maximam difficultatem ex vs. 26. a *transitu primogenitorum* petitam, tollat, quod ita existimat fieri, si distinguatur inter העביר transire facere & העביר ליהוה seu *transire facere ad Jehovam*. Posterius idemest cum τῷ *consecrare*, *sanctificare*, *separare* ad ministerium sacrum, prius non item. Cum igitur prius tantum de primogenitis dicatur, hinc nihil aliud indigitari ostendit, quam numerationem primogenitorum in deserto factam, cum Levitæ iis substituerentur Num. III. 15. 40. Data autem occasione, quæstionem, an Sacerdotium etiam pertinuerit ad primogenitos, §. 32-42. secundum SELDENI mentem, quam etiam COCCEJI fuisse indicat, ita decidit, ut tum solennioribus, statis ac imperativis unius cujusque tribus, gentis, familiæ sacris, tum eis, quæ totius universitatis populi nomine obeunda erant, primogeniti adhiberentur, ita tamen, ut hi soli non sacerdotes essent, sed solum primarii seu eminentiores.

In sequenti dissertatione tractatur oraculum Jacobi Gen. XLIX. 10. in quo defenditur *Judam* hic stricte designare tribum Judæ &

שבט præciſe poteſtatem Regiam. Dein adſeritur, unam periodum cum altera connexam non eſſe dividendam in duas ſeparatas 1. *ſceptrum non recedet a Juda, usque dum venerit Schilo;* 2. *Legislator non recedet e medio pedum ejus, usque dum venerit Schilo;* ſed has duas periodos conjunctim eſſe accipiendas, hac ratione, *non recedet ſceptrum a Juda & Legislator e medio pedum ejus, usquedum venerit Schilo*; ſcilicet non ambo ſimul receſſura fuiſſe, ſed ſceptro recedente, legislatorem ad ejus adventum eſſe permanſurum: quod Prophetæ parallelæ & implementum definivere. Contra quam theſin Vir quidam doctus aliquas fecerat objectiunculas, quæ in præfatione ſolvuntur.

Tertium locum occupat exercitatio de typo *ſerpentis ænei*, in qua veſtigia eorum leguntur, qui pro typo ipſius Chriſti illum habent. Hinc adſtruitur Joh. III. 14. 15. ſolam Chriſti exaltationem in cruce eſſe intelligendam, neutiquam vero etiam triumphalem in cœlo ad dextram Patris, nec & myſticam in verbo Evangelii, quæ inſinuatur Jeſ. XI. 10. Vindicatur etiam locus Col. II. 15. & oſtenditur vocem ἀπεκδυσάμενος referri debere ad Deum, non vero dici de Chriſto; uti quidam ad contextum non attendentes acceperunt: ſic & per τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας Judaicos Principes, quos Deus ſub V. T. tanquam veſtem induerat, & tanquam ſocios adhibuerat,

rat, sed jam exuit, intelligi debere. Succedit argumentum affine de Typo suspensi eodem die sepeliendi Deut. XXI. 22. 23. ubi confutatur primo paradoxa *Georgii* MOEBII sententia, quod supplicium crucis jam olim ante tempora Christi apud Hebræos in usu fuerit. Maxime in eo versatur Cl. Auctoris diligentia, ut exponat, quo sensu *omnis suspensus*, sive sons, sive insons, *dictus maledictio*. Quam in rem ostendit hoc supplicium fuisse commonitorium de reatu & maledictione, quæ sub V. T. exstabat, & toti generi humano propter peccatum incumbebat, sed per Christi exaltationem in cruce erat tollenda; ut adeo hujus suspensi typici sepulturæ neglectus esset abnegatio fidei de Christo, qui pro suis futurus erat maledictio. Ergo suspensus erat δεῖγμα iræ & maledictionis. Ejus sepultura adumbrabat abolitionem maledictionis. *Justus maledictus* maledictionem abolet. Typica sepultura neglecta erat abnegatio spei & fœdatio terræ.

Locus Jes. XL. 6-8. ea fini est pertractatus ut obviam iretur mori eorum, qui plures & quidem diversos sensus literales, si modo veri sint, accumulant. Ita instituunt, qui in hoc dicto per *omnem carnem* non tantum *omnes homines*, & gentes, & infideles intelligunt, qui unus & verus sensus esse dicitur, sed etiam *legem præcepti carnalis*, sive præceptorum in placitis. Qua occasione plures ejus-

ejusmodi exempla refutantur. Verbi gratia, quando nomen Dei יהוה a diversissimis etymis deducitur, omnesque eæ significationes Nomini huic tribuuntur: quando in orationis Dominicæ petitione prima per *nomen Dei* non tantum ipse Deus, (*a*) sed etiam omnia ejus



(*a*) Quod primam petitionem concernit, non puto a sensu simplici & unico vocis *nomen* divortium instituendum, quando illa tam late extenditur, ut etiam *attributa* & *opera* Dei comprehendat. Nam attributa Dei sunt ipse Deus. Et præterea *nomen* generatim significat id, per quod res innotescit. Adeoque nomen Dei generalissime sumtum, quod hic non limitatur, includit omnia, per quæ nobis innotescit & a nobis distinguitur, quod non tantum per attributa ejus intrinseca, verum etiam per opera extrinseca fit. Accedit id omne hic per *nomen Dei* esse intelligendum, quod a nobis debet sanctificari, seu glorificari. Id autem non tantum sunt virtutes, sed etiam opera ejus. In tertia quoque petitione nihil videtur obesse, quo minus voluntatem Dei decernentem cum præcipiente conjungamus. Ea enim intelligitur voluntas, quæ fieri debet, uti fit a cœlitibus. Facimus autem voluntatem Dei non tantum quando faciendo legem ejus, sed etiam quando patiendo beneplacitum ejus implemus. Quin ipsa patientia & resignatio totalis, quæ Deo fit, Lege ejus præcipitur. Aliter se res habet in quarta petitione. Talis enim interpretatio actu ipso sensum duplicem, literalem & mysticum involvit. Duo vero priora exempla nobis non videntur diversi sensus, sed diversæ ejusdem sensus locupletissimi partes esse. Liceat hoc modeste monere, cum in ipsa hypothesi Clarissimi Auctoris sententiæ utrumque pollicem addam. F. A. L.

*attributa* atque *opera* intelliguntur: quando in petitione tertia duplex vocis *voluntas* notio componitur, atque ita voluntas Dei *decernens* & *præcipiens*, *occulta* & *manifesta* conjungitur: quando in petitione quarta non tantum de *pane* hujus vitæ, sed etiam *spirituali* cogitatur.

Quatuor alia ex ordine succedunt loca, quibus lux accenditur, Jud. vs. 9. per *corpus Mosis* intelliguntur corpus omnium umbrarum in Lege Mosis, vel per Mosen institutarum. Matth. V. 20. defenditur, *justitiam* solam *inhærentem* esse intelligendam. Matth. XI. 21. contra *scientiæ mediæ* defensores Remonstrantes ita vindicatur, ut doceatur 1. Deum prædixisse conversionem gentium, speciatim Tyri, per prædicationem Evangelii, variis miraculis confirmandam. 2. Deum voluisse, ut cum verbo Evangelii & miraculis conjuncta foret efficax Spiritus S. operatio. Ergo 3. si id tempus venisset & Evangelium ipsis esset prædicatum & virtutes tales inter eos factæ, Deo efficaciter per suum Spiritum cooperante *Tyrii & Sidonii resipiscentiam in sacco & cinere acturi fuissent.* Judæi vero, ob vim majorem præjudiciorum & affectuum in iis, quam in gentibus, longe validius prædicationi Evangelii restiterunt, quam gentiles restitissent. Ut illi convincerentur, non sufficiebant illæ demonstrationes & convictiones, quæ his gentibus suffeciissent. Quia autem Deus ordinario non operatur, nisi per

ver-

verbum, iis, qui usque adeo se obfirmant contra id verbum, denegat etiam efficacem suam operationem cum verbo conjunctam, eamque justo suo judicio subtrahit. Immiscetur huic Dissertationi digressio de *miraculis*, de quibus ostenditur 1. ea non esse contra naturam rerum extensarum. 2. Nec contra leges naturæ fixas, quæ ex ipsa corporum natura sequuntur. 3. Immo ea ne quidem fieri contra ordinem a Deo institutum convenienter legibus naturæ. Magos vero Ægyptiorum, nec non falsos Prophetas, quædam miracula feciisse, adseritur. Deinde tum de fine miraculorum, tum de notis, quibus vera miracula a falsis distinguuntur agitur. Ultimus, qui illustratur, locus est Zach. III. 9. ubi defenditur, vocem עינים non de *fontibus*, (*b*) sed de *oculis* esse intelligendam, & quidem de oculis septem Ecclesiarum N. T. in lapidem, tanquam objectum suum intentis.

Postremam eruditi operis partem constituit *clavis Apocalyptica*, quæ quatuor propositionibus absolvitur, quarum unaquæque singulis dissertationibus ita demonstratur, ut universa Apocalypsis secundum has propositiones



(*b*) Conferri possent, quæ de illustri hoc loco præcipue ad confirmandam illam explicationem των בין de fontibus, in diatribe de *Lapide fundationis* cap. IV. §. 11-24. adtulimus. T. d. H.

tiones resolvatur. En illas I. In Apocalypsi describuntur fata orbis & Ecclesiæ futura maxime a tempore adscensionis Christi Domini in cœlum, ejusque sessione ad dextram sui Patris, usque ad consummationem seculorum, sive ab initio N. T. usque ad omnium rerum finem. II. Fata orbis & Ecclesiæ, quæ incipiunt maxime ab adscensione Christi in cœlum & terminabuntur in consummatione seculorum, in Apocalypsi describuntur serie continuata, filo perpetuo & ordine concatenato, tanquam exstitura septem temporis Ecclesiæ N. T. periodis, sed inæqualis durationis. Secundum hanc propositionem septem *Epistolæ*, *Sigilla*, *Tubicinia*, *Phialæ* coordinantur. Ubi istud peculiare Authori nostro, quod etiam Phialas ab initio N. T. ad ultima tempora producat. Nam prima Phiala ei effusa est in Judaismum, secunda in Gentilismum, tertia in Arianismum, quatuor reliquæ in Antichristianismum. Cæterum Periodi septem ita ordinantur, ut prima decurrat ad persecutionem Neronianam A. 65. Altera ad Constantinum M. Tertia ad Bonifacium III. Quarta ad Wiclefum: Quinta ad Pacificationem Passaviensem: Sexta ad Antichristi abolitionem: Septima comprehensura sit vindictam de omnibus hostibus & statum Ecclesiæ ultimæ glorioſum. III. Emblemata, quæ ad describenda fata orbis & Ecclesiæ in Apocalypsi adhibentur, explicanda

sunt

sunt ex ipsa Apocalypsi, aliisque Prophetis, prout ipse Spiritus S. ea explicat; vel secundum ipsam eorum naturam & proprietates, habita semper ratione contextus & seriei rerum; nunquam autem ad propriam hypothesin sunt torquenda. IV. Fata Orbis & Ecclesiæ non una & continua Prophetia, sed pluribus visis in Apocalypsi revelantur, eorumque series sæpius ab initio repetitur, tum totalis in generalibus, tum partialis in particularibus visis, ad ulteriorem præcedentium explicationem, quemadmodum etiam in Prophetiis T. V. fieri solet. In fine promittitur Commentarius in Apocalypsin Belgicus, quo Cl. Author, quicquid in hac Clave deesse videtur, supplere studebit. Ex dictis facile constabit, quid Lector Scripturæ præsertim Propheticæ studiosus ab hoc egregio labore exspectandum habeat. Eandem in toto hoc libro, quæ in cœteris Viri Clarissimi scriptis occurrit, dominari facilitatem, eundem concinnum ordinem, vix opus est, ut moneamus. F. A. L.

VIII.

# EPISTOLA (a) *Johannis BUXTORFII, P.* ad Matthiam MARTINIUM.

## ARGUMENTUM.

Epitome Grammaticae Ebraicae Buxtorfii. In eam notas scripsit Martinius. Uterque parat Syntaxin Ebraicam. Qua ratione Synagogam suam conscripserit Buxtorfius. Parat ille librum de causis odii & calumniis Judaeorum in Christianos. Horribile illorum secretum panditur contra Christum ex Ps. LXXX: 14. De subsidiis ad linguam Arabicam. Locus 2 Chron. XIII: 7.

LIteræ tuæ, clariss. Domine, amice honorande, per studiosum Bremensem mihi redditæ, gratissimæ fuerunt. Respondissem ad eas citius, si certior occasio oblata fuisset. Quod Epitomen Grammaticæ hebrææ tibi placere scri-

(a) Hanc Epistolam, quam ex ipso autographo descripsi, debes, B. L. Viro clarissimo J. Mensoni ISINGIO, Historiae & eloquentiæ in Academia Groningensi Professori eximio. Is enim, cum incomparabilem thesaurum monumentorum & epistolarum maximam partem ἀνεκδότων, Virorum magnorum,

scribis libenter audio. Quum edere statuerem, non huc usque respexi. Saltem tyronibus summa vestigia, per quæ graderentur, ostendere volui. Ubi secundò recudetur, pauculis, sed necessariis ac utilibus, præceptis & observationibus augebo, ut mediocrem usum quibuslibet Scholis præbere possit. De pleniore Grammatica & Syntaxi cogito, quam quidem majori ex parte absolvi, sed emittere in publicum nondum satis confirmatus sum. Varia enim nunc sunt hominum judicia. Hoc subit, quisquis in publicum prodit. His tamen non facilè absterrebor, modo juventuti prodesse possim. Vidi apud Bremensem hunc paginas pauculas tuorum Commentariorum in Epitomen meam. Dolui autem quod integra non haberet. Non possum non



gnorum, cui renatae literae & instaurata religio plurimum debent, qui ad eam ex haereditate *Altingiorum* pervenit, possideat, noluit illi, qui multorum perversus mos est, instar illius Draconis Herculei incubare, sed eum mihi, aut potius publico bono, sponte obtulit, eo fine, ut quae ex iis luce digna judicavero, depromam, tecumque communicem. Transmisit itaque mihi ipsa Lutheri, Zvinglii, Melanchthonis, Erasmi, similiumque heroum ἀντογεάφα, quæ, ubi certus factus fuero, nondum publici juris facta esse, paulatim in hac Bibliothecâ leges. Tu agnosces mecum, ut par est, mirificam hanc Viri humanitatem, &, si quid inde ad te redundabit utilitatis, id omne acceptum feres ISINGIO. T. d. H.

commendare induſtriam tuam in multis & utilibus rebus coacervandis, quarum cognitio jucundiſſima & utiliſſima eſt. In quibusdam tamen animadverſionibus a te diſſentio, de quibus aliâs conferam, ſi tibi placebit. Interea hinc diſſenſio erit & eſt citra periculum animarum noſtrarum. Imo etiam citra periculum amicitiæ. Ubi tamen meliora edoctus fuero, libenter cedam ut certè quasdam notas libenter amplector. Notas in caput vel doctrinam de Accentibus videre deſidero. Mihi ex omnibus Grammaticis vix ullus ſatisfactit. Animadverto enim eos omiſiſſe, quæ omitti nullo modo debebant. Quæ ego notavi & obſervavi, videbis aliâs. Sic & Syntaxeos delineationem tuam, de qua in commentariorum tuorum initio ſpem facis, avidè videre deſidero. Hîc, eheu quam multa apud Grammaticos deſiderantur. Conatus ſum ego viam dirigere in planum, & hebraiſmos ſive Idiotiſmos hujus linguæ præceptorum luce & ordine ita explicare, ut linguæ elegantia & gravitas hîc demum emicare incipiat, quæ antea ſolis Etymologiæ præceptis obſcurata fuit. Gratiſſimum mihi proinde eſſet, tuas quoque eruditas notas de omnibus his rebus cognoſcere. Minimè enim dubito, quin de multis utilibus rebus me admonituræ ſint, quæ ad Præceptorum meorum pleniorem conformationem forent neceſſariæ. Si candidè communicaveris, habe-

bis

bis me quoque candidum tuæ induſtriæ prædicatorem, & obſtringes me ad majora. Quæris præterea, quomodo Fabulas illas judaicas congeſſerim. Reſpondeo ipſos Judæos mihi ſuggeſſiſſe. Primò & principaliter oblato libro Rituum, (*b*) cui מִנְהָגִים nomen. Et qui hebræo germanicè editus eſt. Eum ſi cupis tibi dono mittam. Deinde intellexi totum illorum jus, civile & canonicum & quæ præterea habeat, דִּינִים quaſi Aphoriſmis comprehenſum in libro, cui שֻׁלְחָן עָרוּךְ nomen. Hunc etiam opera Judæorum accepi. Poſtea Talmud ipſum & eos, quos præterea cito, aſſecuus ſum, in hos animi gratia excurri, & quicquid reperi, ad Minhagim retuli. Hinc enatus iſte labor. Sed alium librum eadem opera ante ſex annos conceptum ac prope abſolutum, adhuc ſupprimo. Is continebit Cauſſas odii Judæorum in omnes gentes ac mundi populos, omnium autem maxime in Chriſtianos: initium, progreſſum, continuationem, blasphemias duras, convitia in Chriſtum, Chriſtianorum Magiſtratum, Chriſtianos omnes, imprecationes & illis ſimilia, non quidem illa ex ſcriptis baptizatorum Judæorum (quibus non ſemper fides habenda, ſed ex ipſiſſimis libris circumciſorum Judæorum, quantum quidem mihi videre



(*b*) Auctor eſt R. Iſaac Tirna, qui circa finem ſæculi XV. vixit.

contigit. Spem hujus facio in aliquo loco Scholæ Judaicæ. Placet habere exemplum? Dabo, sed secretum esse cupio. Vidisti aut videre potes Psal. 80. in חֲזִיר מִיַּעַר literam ע suspensam supra vocem. Quæritur quare? Quidam Judæorum mysterium explicant, ut possunt. Ego legi in libro Cad hakkæmach, cujus R. Bechai author rationem diram. *Litera Ajin*, scribit, (c) *suspensa est: ut sint sic omnes credentes in Suspensum illum, sc. Christum.* Vis plura? Quis porcus ille de sylva? Respondent, Christum esse, qui vineam Israelis suffodit. Quorsum ergo typographi nostri hanc scribendi rationem imitantur. פָּרַשׂ עַל פְּנֵיהֶם, si studio facerent. Hoc unum ex secretis, quod paucis notum esse puto. Sed aliâs de his plura. Quæris quæ subsidia sint ad Arabicam & alias orientales linguas discendas. Ego certè id ignoro: pauca enim vidi. Neque etiam valde sollicitus fui, eum omnibus illis discendis mea vita sufficiens non sit. Arabicam magnifacio, cujus usus ad linguam Chaldaicam & Syriacam magnus. Scribis te Postelli δωδεκαγλωτλον frustra quærere. Apud me invenies si quæsieris. Glossas Latinoarabicas Scaligeri, aut saltem

(c) Verba Apellae in Ps. LXXX: 14. citato libro fol. 19. col. 4. haec sunt; הצין תלויה כי הם עובדי התלוי *Litera Ajin suspensa est quia illi* (Christiani) *colunt suspensum.* T. d. H.

tem quarum ipſe meminit, non vidi: ſed nunc occaſio eſt ipſum Scaligerum hac de re compellandi. Scripſit enim ad me ante menſem Joſephus Scaliger literas humanitate pleniſſimas, cui his nundinis reſpondebo. Sed nunc finem ſcribendi faciam, petens ut prolixitatem hanc lance juſtitiæ ponderes, ut loquuntur Hebræi. Dominum Piſcatorem, Pinzierum, præceptores meos amantiſſimos ſaluto, Tu, ſi placet, interpres eſto. Vale vir clariſſime, & me mutuum amato. Raptim Baſileæ 4. Sept. Anno 1606.

הַצָּעִיר וְהַקָּטוֹן אֲהוּבְךָ דּוֹרֵשׁ בִּשְׁלוֹמֶךָ

Johannes Buxtorfius.

Ex

## P S.

*Ex D. Piſcatore, poſt amicam ſalutem quæro, de loco 2. Chron. 13. 7.* Denn Rehabeam war jung: *an melius?* ein Kind *vel* kindiſch/ *quo ſenſu ſequitur*, eines blöden Hertzen. *Non amplius erat* jung/ *qui 41. annorum fuit cum regnare inciperet, ut eſt cap. præcedenti.* שְׁלֵמָא תִנְיָנָא בְּלָא מְנִינָא.

*Inſcriptio haec erat;*

*Viro Clariſſimo D. Matthiæ* Martinio, *inclytae ſcholae Herbornenſis Profeſſori, amico honorando Herbornam.*

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartae*

FASCICULUS QUARTUS.



*BREMÆ,*

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXI.

VIRO

*Amplissimo, venerando, celeberrimoque*

# JOHANNI CHRISTOPHORO ISELIO,

Sublimioris scientiae in antiquissima Rauracorum Academia Doctori ac Professori publico, Illustrium societatum regiarum, cum Inscriptionum, & politiorum literarum, quae *Lutetiae Parisiorum* floret, tum scientiarum, quae *Berolini* sedem nacta est, MEMBRO ATQVE DECORI fulgentissimo, Masculae in Deum pietatis, vastaeque divinarum, humanarumque scientiarum cognitionis laude perincluto,

Secun-

*Secundum* hunc supra *vicesimum*

# BIBLIOTHECAE HUJUS FASCICULUM,

Cultus atque affectus prolixissimi, sinceriſſimique praedem,

DANT, DICANT, CONSECRANT,

Atque, ut in hoc noſtro inſtituto ornando, augendo, promovendo ſtrenue velit pergere, atque ita de re ſacra, literisque nitidioribus, ut facit, mereri porro præclare,

CUM OMNIS EXOPTANDAE HOMINI PROSPERITATIS ferventiſſimo voto deprecantur

EDITORES.

Exhi-

Exhibet hic fasciculus

I. Johannis D'OUTREINII de phrasi ὁ ΝΙΚΩΝ in Epist. Apocalypt. Diatriben p. 605.

II. Bernh. Petri KARLII, de Miraculo solis in *Ezechiae Horologio* dissertationem p. 635. cum mantissa de Sole & Luna a Josua consistere jussis p. 657.

III. Jacobi STAALKOPFII ad locum 1. Joh. IV: 13. Observatiunculam p. 663.

IV. Hodiernum Academiæ LAUSANNENSIS statum, qualis fuit A. MDCCXX. p. 675.

V. Johannis DURAEI ad Joh. BERGIUM epistolam ineditam p 683.

VII. Excerpta ex literis quibusdam *Anglorum* de *nova editione Novi T. Arabici* in usum Christianorum in Oriente p. 711.

VII. G. SCHAUBII ad loca Jer. XVIII: 23. Job. I: 19. Rom. I: 18. Observationes p. 719.

IX. Jacobi HASAEI Obs. qua civitatem *Macedonicam*, & *Alexandriam* Magnam in quibus Lucas Evangelium consignasse ab Arabe & Syro scribitur, eandem esse urbem, *Alexandriam Aegypti* ostenditur p. 732.

X. Johannis MANN *judicium Dei in mundi regna ex* Dan. cap. VII. cum exegesi in selecta scripturæ quædam loca, L. R. p. 753.

XI. Theodori HASAEI de phrasi *Ebraeorum Tegere pedes*, Observationem, qua id esse, *somnum carpere* monstratur p. 757.

XII. Joh. Christ. PFAFFII vitæ descriptionem p. 772.

I.



I.

# JOHANNES D' OUTREINII,

De Phrasi ὁ νικῶν

## In Epilogis Epistolarum *Apocalypticarum* Diatribe.

### Ad Apoc. II: 7. sqq.

### SUMMARIUM.

In hac phrasi Hebraismus: Etymologia verbi Νικάω. Usus ejus apud LXX. Loca Heb. III: 18. Prov. VI, 25. Psal. LI, 6. Apoc. V, 5. illustrata. Apoc. XV, 2. An ὁ νικῶν sit explicandum juxta significationem נכה. Quod quidem non rejicitur. Sed præfertur tamen significatus *Vincendi*. Victoria *bellum* spirituale supponit. Cum quibus hostibus Christianis decertandum habent? I. Cum *Deo* certamen habent. A. Irregeniti sed electi, & qui jam de peccatis suis convicti pœnitentiam agere incipiunt.

Quando Deus ab iis se quasi *vinci* patitur. B. Fideles regeniti. Adversus quos nonnunquam Deus hostilem in modum incurrit, cum quo certat anima fidelis, & a qua se *vinci* patitur. II. Alii hostes spirituales. (Gen. III, 15. Fundamentumhujus belli.) A. Satanas, & Semen ejus. Quibus opponuntur Mulier & Semen hujus. Diabolus quæ moliatur adversus Electos & fideles. Quando hi ipsum *Vincunt*. B. Diabolo accedunt. 1. *Mundus*. 1. Joh. II, 15. 16. Ex quo lux infertur loco Ezech. XXIV, 21. 2. Homines improbi. 3. *Caro*. Quæ locum habet a. in intellectu. b. In voluntate, c. in affectibus. 4. MORS. II. De certamine contra hostes. Ubi A. Quinam milites spirituales sunt. B. Quis Imperator. C. Officia militaria. D. Armatura spiritualis. Hinc patet, quid sit *certare* & *vincere*. I. Deum, antea infensum, sibi conciliare. II. Alios hostes, superare, ac sibi subigere. A. Satanam, B. Mundum. C. Homines noxios vel infensos. D. Carnem propriam. E. Ipsam mortem. Citatur *Arrovvsmith*, de iis quæ ad *victoriam* sacram pertinent. 1. Apparatus ad victoriam, preces ardentissimæ. 2. Auctor victoriae sacræ, Deus & Christus. 3. Adminicula victoriæ. 4. Επινίκια. 5. Præmia Victoriæ. 6. Triumphus cœlestis.

Ὁ νικῶν. *Vincens*. In hac phrasi Hebraismum esse recte notavit *Grotius*: ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν (*vincens, faciam eum*) pro quo Græci dixerunt Τὸν νικῶντα ποιήσω: *Vincentem* „*faciam*. Nam *Nominativus* vel *accusativus* in „oratione (per Hebraismum) nonnunquam „ponitur *absolute*, ut vim integri membri in sen-

„ſententia abſolvat, ac de illo certum quid „poſtea prædicetur. Inquit *Joh. Olearius; de Hebraiſmis biblicis N. T. diſſerens.* Atque exemplorum loco adducit Apoc. III: 12. 21. Matth. XII: 36. XXI: 42. Act. 7: 40. X: 36. Confer. Pſal. XI: 4. XVIII: 31. CIV: 17. Eccleſ. II: 14. Hoſ. XII: 7. Nah. I: 3. Qui plura deſiderat & luculentiora, conſulat *Johannis Vorſtii* philologiam ſacram, ſeu *de Hebraiſmis N. T.* Cap. XI. pag. 292. ſqq. Quamquam eam locutionem ab *Ebræis* in Novum Teſtamentum transſumtam negat *Johannes Ericus Oſtermannus*, ſed negationis ſuæ nullam adfert rationem. *Polit. Philolog. §. XXI.* In Faſce *Crenii* p. 495. ſed progrediamur ad vocem ipſam: Ὁ Νικῶν. De Origine vocis Νίκη ſic ſcribit *Etymologus*: Νίκη, ἡ παρὰ τὸ ἐνὶ δοτικὴν καὶ τὸ ἵκω τὸ παραγίνομαι, γίνεται ἐνίκη καὶ κράσει τῶν β. ιι εἰς ἓν μακρὸν νίκη ἀποβολῇ τοῦ ε. Id eſt: Νίκη *componitur ex dativo* ἐνὶ *& verbo* ἵκω, *quod notat ACCEDERE, ASSEQUI. Inde enim conflatur* ἐνίκη. *Contractis vero duobis ii in unum longum, exoritur* νίκη, *abjecto* ε. *Quod initio dictionis ſæpius fieri aſſolet.* ἡ παρὰ τὸ ἐνὶ δοτικὴν καὶ τὸ εἴκω, τὸ ὑποχωρῶ, γίνεται ἐνιείκη, καὶ κατὰ ἀποβολὴν τῶν δύο εε, καὶ κράσει τῶν δύο ιι, γίνεται νίκη, οἱονεὶ ἡ ἐνὶ ὑποχωρήσασα. Id eſt: *Vel ex dativo* ἐνὶ *& verbo* εἴκω, *recedo, fit* ἐνιείκη *& per abjectionem duorum* εε *& contractionem duorum* ιι *fit* νίκη id eſt, *victoria ut pote in qua unus alteri cedit.*

Septuaginta Interpretes *tribus* tantum, quod sciam, vicibus hoc verbo in codice suo utuntur. Nimirum Hab. III: 18. ubi voces למנצח בנגינותי *Magistro Symphoniæ in fidibus meis*, sic vertunt: τῷ νικῆσαι ἐν τῇ ὠδῇ αὐτοῦ. *Ad vincendum* (sive *ut vincam*) *in cantico ejus.* Videntur legisse לנצח quæ vox alibi etiam occurrit & per νίκην *Victoriam* transfertur. Sic enim legitur 1. Chron. XXIX: 11. *Tua est, o Domine, Gloria &* VICTORIA. Sed præsertim notandum, eam in *Musicis* quoque adhiberi. Nam 1. Chron. XV: 19-21. *tria* commemorantur Instrumentorum genera, quibus Levitæ in Templo usi sunt 1. מצלתים להשמיע *Cymbala, quibus clare crepitaverunt.* 2. נבלים על עלמות *Nabla super Alamoth.* 3. כנורות על השמינית לנצח *Cithara super octavam, ad* SUPERANDUM seu *vincendum* scil: alios, vocis „ altitudine & contentione, quâ aliis fuerunt „ superiores & excellentiores & aliorum ceu „ victores extiterunt, quemadmodum verosi„mile est, postea quoque fuisse tria harmo„niarum genera, *Lydium, Jonicum Doricum*, „quorum *aliud* quoque *alio* fortius. adde „2. Chron. 34: 12. *Zacharias* & *Mesullam* de „filiis Kahathitarum ad *urgendum* seu *super„randum*, scilicet voce vehementiore & con„centu Musico fortiore, quo cæteros vince„bant: inquit *Forsterus* in lexico. Unde „lux affunditur versioni τῶν LXX. loci Habaçuci, modo allegati.

Se-

Secundus locus, ubi vocem νικᾶν usurpant iidem, est Prov. VI: 25. אל תחמד *Ne desideres pulchritudinem ejus in corde tuo.* Quod LXX. ita transferunt: μή σε νικήσῃ κάλλος ἐπιθυμία: *Ne te* Vincat *pulchritudinis ejus desiderium.* Ubi magis *paraphrastas* egisse videntur, quam *interpretes.*

Verum, quod præsertim, intendebam; τὸ νικᾶν etiam a LXX. senibus usurpatur pro Hebræo זכה *Mundum esse* vel *haberi.* Notabilis locus est Psal. LI: 6. *Ut justificeris quando loqueris* & MUNDUS SIS (תזכה) *quando Judicas.* LXX. ἢ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε *Et* VINCAS *quando Iudicas.* Alibi το זכה vertunt per ἀποκαθαίρειν expurgare Job. 25: 4. δικαιοῦν *Justificare.* Mich. 6: 11. κατορθοῦν *rectum facere, corrigere* Ps. 119: 9. Verum ad locum Psal. LI: 6. quod attinet, Apostolus Paulus eum allegat Rom. III: 4. ex versione τῶν LXX. modo memorata. *Et ut* VINCAS *quando Judicas.* Etenim, qui in Judicio *purus* apparet, is quasi *vincit.* Interim ex usu illo verbi νικᾶν pro זכה apud LXX. eadem vox in N. T. *novam* significationem videtur accepisse, quam non agnoscunt Græci scriptores profani; Vide Schindleri lexic. pentag. in זכה notat enim non tantum *purum esse* vel *haberi*, etiam *dignum esse* vel *declarari*; præsertim cum *absolute* ponitur. Egregius in hanc rem locus occurrit Apoc. V. 5. *Ecce* VICIT (ἐνίκησε) *Leo ille de tribu Juda, stirps Davidis,* ἀνοῖξαι τὸ

βιβλιον, *ut aperiat librum & ſolvat ſeptem ejus ſigilla.* Hic multa interpretes de *victoria* Chriſti, a Diabolo cæterisque hoſtibus reportata. Verum vehementer dubito, an iſthæc hoc loco ad rhombum faciant. Simplicius mihi quidem videtur, quod in adverſariis meis „notatum reperio : ἐνίκησεν. *Hebraiſmus* vel „*Syriaſmus.* Vox זכה occurrit Pſal. 51, 6. Ubi „LXX. vertunt νικᾶν. Adeo ut זכה & νικάω conveniant. זכה autem notat *purum* „vel etiam *dignum eſſe* vel *haberi.* Ergo ἐνίκησεν, hoc loco, nihil aliud eſt, quam, quod „Leo ille de tribu Juda *dignus*, vel *purus*, vel „*juſtus* habitus fuerit, ut aperiret librum ob„ſignatum. *Belgice*: *De Leeuw, uit de ſtamme Juda, is daar toe weerdig,* (ofte *geregtigd*) *erkent en verklaart.* Idem enim eſt cum eo, quod dictum erat vſ. 2. *Quis* DIGNUS *eſt aperire librum hunc?* & vſ. 4. *Flebam igitur, quod nemo* DIGNUS INVENTUS *eſſet, qui aperiret librum iſtum.* Cum vero unus ex Senioribus reſpondet : *Ne fleto: ecce Leo ille ex tribu Juda* VICIT, *ut aperiret librum iſtum,* quid hoc aliud vult, quam quod Leo ille ex tribu Juda *dignus, inventus* & *declaratus* ſit præſtando illi operi?

Ad Apoc. XV: 2. Notatum quoque offendo in adverſariis meis, ad voces καὶ τοὺς νικῶντας ἐκ θηρίου καὶ ἐκ τῆς εἰκόνος, καὶ ἐκ τοῦ χαράγματος αὐτοῦ, καὶ ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ : Ni„κάω & זכה conveniunt. Vide ad Cap. V, 5.

5. זכה autem notat *purum esse*. Hinc τοὺς νι-" κῶντας hic vertendum puto *intaminatos*, vel" *puros a Bestia illa &c.* Belgice: *Die onbesmet* " *waren van het Beest en van syn beeld en van syn mercteeken, en van het getal synes naams.* Conf. Cap. XIV:4. An hæc aliunde *hauserim*, an vero ipsemet *observaverim*, nunc quidem me latet. Forsan ansam cogitandi dedit Cl. *Fullerus in Miscell. S.* L. I. c. 7. Ubi hanc significationem verbi νικᾶν ex Hebraismo vel Syriasmo paucis attingit. Verum, quod hinc *explicari* vel *illustrari* possit locus modo allegatus, Apoc. V: 5. penes nullum hactenus reperire potui. Quod vero attinet Apoc. XV: 2. malim isthic retinere vulgarem significationem *vincendi*; sive *victoriam reportandi a Bestia*. Nisi forte non sit phrasis satis Græca, νικᾶν ἔκ τινος; & alienum videatur, quod dicerentur fideles *victoriam* reportasse *ab* IMAGINE *bestiæ*, & CHARACTERE *ejus* & NUMERO *nominis ejus*.

Verum, ut ad locum nostrum revertar, memini aliquando me dubium hæsisse, an non in Epistolis hisce Apocalypticis in verbo νικᾶν eadem illa significatio obtinere deberet, quam habet verbum Hebræum vel Syriacum זכה. Nempe, *qui se purum* & intaminatum *servaverit ab inquinationibus mundi, ab hæresibus, a Spirituali scortatione &c.* Vel, *qui dignus erit repertus*, per fidem nempe in Christum, & pietatem infucatam (sine ullo tamen bono-

rum operum merito *ex congruo* vel *ex condigno*) *dabo illi comedere de arbore vitæ*, &c. *Is non lædetur de morte secunda. Dabo illi edere de manna abscondito.* Et sic porro.

Quod confirmationem non vulgarem accipit ex collatione capitis III. commatum 4. 5. ubi dicit Filius Dei ad Ecclesiam *Sardensem: Habes aliquot nomina, quæ non inquinaverunt vestimenta sua, ideoque incedent mecum albati:* ὅτι ἄξιοί εἰσίν, *Quoniam* DIGNI *sunt.* Post quod sequitur immediate: ὁ νικῶν. *Qui* VICERIT, *amicietur vestimentis albis.* Ubi fere identificantur phrases *non inquinare vestimenta sua & dignum esse, ac vincere.* Illis enim qui *non inquinaverunt vestimenta sua*, qui *digni sunt*, & *qui vincunt*, promittitur *ambulatio cum filio Dei in vestimentis albis.*

Verum tamen, quoniam hæ Epistolæ Spectant ecclesiam in terris *militantem*, & in iisdem non semel de *hostibus* sermo est, cum quibus *conflictandum* esset ecclesiis, & passim alluditur *ad certamina & præmia* certaminum Græcorum, magis inclinat animus, ut verbum νικάω in vulgari significatione *Vincendi* sumere malim. De omni genere *Victoriæ*, ab hoste vel adversario reportatæ, passim hæc vox usurpatur. *Vincit* enim, qui hostem prælio cædit; qui urbem obsessam expugnat; *Vincere* dicebantur *Athletæ*, *pugiles*, *cursores*, qui in certaminibus Græcorum superiores erant. De Severo *Herodianus*: (Lib. III: 9.)

III: 9.) νικᾶν πάντοτε ἐν ταῖς μάχαις εἰθισμένος. *Vincere assuetus in prœliis omnibus.* De Athenienſibus, licet delicatiores eſſent, ait *AElianus*, (varior. lib. IV: 22.) ὅτι τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκησαν. Alibi vero (IV: 15.) de Strabone teſtatur, *quod in olympiis una die* ἐνίκησεν VICERIT *luctam & pancratium.* (Lib. X: 19.) De Eurydamante, *quod pugilatu* VICTORIAM *adeptus eſt.* (lib. II: 8.) De *Exæneto*, quod ἐνίκα σάδιον. *Vicerit Stadio.* (VIII: 14.) De *Philippo*, quod νίκῃ ἐνίκησε *prœlio victos fudit Athenienſes.* Quæ eum in finem notare operæ duxi pretium, quia Chriſtianorum certamina ſpiritualia comparantur partim quidem *bello*, quod adverſus *hoſtes* geritur; partim etiam *certaminibus* Græcorum, *luctæ*, *pugilatui*, *pancratio*, *Stadio* &c.

De quovis *homine* aſſeverat Jobus, eum *Militiam habere in terris.* Cap. VII: 1. Verum id de homine *fideli* præſertim dici poteſt. Hinc idem Jobus dies *vitæ ſuæ dies certaminis ſui* nuncupat Cap. XIV: 14. quamvis alii interpretes vocem צבא pro *tempore definito*, iſtis in locis, accipiant. In Novo autem Teſtamento nihil familiarius eſt, quam quod *certamen* & *pugna* fidelibus in hac vita tribuantur. Dicuntur enim ἀγωνίζεσθαι εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς πύλης. Luc. XIII: 24. Ἀγωνίζεσθαι ἐν ταῖς προσευχαῖς. Col. IV: 12. Rom. XV: 30. Ἀγωνίζεσθαι τὸν καλὸν ἀγῶνα 1. Tim. VI: 12. 2. Tim. IV: 7. Ἀνταγωνίζεσθαι πρὸς τὴν ἁμαρτίαν

Heb. XIII: 4. Ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει. *Decertare pro fide* Judæ vſ. 3. Quin & στρατεύεσθαι τὴν καλὴν στρατείαν. 1. Tim I: 18. συναθλεῖν τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου Phil. I, 27. IV, 3. Atque Eph. VI, 12. fidelibus πάλην luctam tribuit Apoſtolus, non equidem adverſus *carnem & ſanguinem*, ſed adverſus *imperia*, *poteſtates*, *mundi Dominos*, *Tenebrarum hujus mundi*, & *ſpirituales nequitias in ſupercœleſtibus*. Quæ omnia de Evangelii *Miniſtris* ſignate affirmari queunt. Illi enim στρατιῶται & συστρατιῶται diſerte nuncupantur Phil. 2, 25. Philem. vſ. 2.

Ut autem hac occaſione de hoc negotio paulo agamus fuſius; 1. Conſiderandi ſunt *hoſtes*, quibus cum Chriſtianis res eſt, cum in *genere* tum in *ſpecie*. 2. Quodnam *certamen* adverſus illos inſtituant. & 3. Quando *victores* evadant; atque adeo quid ſit τὸ νικᾶν *Vincere*, in ſpirituali certamine.

*Primum* quod attinet, heic quoque, ut in omnibus a Jove principium. Deus enim eſt *hoſtis* hominum irregenitorum. Quin & ſæpenumero ſe *hoſtem* ſiſtit hominibus ſibi dilectis. Certe cum Deo plus quam unico ſenſu *certandum* eſt fidelibus, dum in hac palæſtra verſantur.

I. Deus, inquam, *hoſtis* eſt hominum *irregenitorum*. Peccatum enim non tantum hominem a Deo ejusque communione ac favore alienavit & ipſum reddidit ὑστερημένον τῆς δόξης τοῦ θεοῦ *deſtitutum gloriâ Dei*, Verum etiam Deum homini infenſum atque hoſtem

stem reddidit. Insignis est locus Lev. XXVI: 23. 24. *Si ambulabitis ex adverso mihi, utique etiam ambulabo ego ex adverso vobis, & percutiam vos septuplo propter peccata vestra;* Hinc Saulem sic alloquutus est fictitius ille vel personatus Samuel: *Quare consulis me, cum Jehova recesserit a Te & sit INIMICUS tuus?* 1. Sam. 28: 16. Etenim Deus *cum pio pium se præstat, cum viro integro se præstat integrum, cum puro purum se præbet, sed cum distento se præbet LUCTATOREM.* Ut ait Psaltes Psal. XVIII: 26. 27. *Homo* etiam peccator, in statu naturali, infensissimus *Dei hostis* atque inimicus est. Hinc Paulus ait, nos naturâ esse ἐχθρὲς τῦ θεῦ, *hostes Dei.* Rom. V: 10. Et Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἶναι εἰς Θεόν. τῷ γὰρ νόμῳ τῦ Θεῦ ὐκ ὑποτάσσεται. *Sensum carnis inimicitiam esse adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur.* Rom. VIII: 7. De Gentilibus testatur Col. I: 21. Eos fuisse non tantum ἀπηλλοτριωμένυς, abalienatos verum etiam ἐχθρὲς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις πονηροῖς, *hostes, mente operibus malis intenta.* Quod de omnibus etiam hominibus irregenitis dici potest, ut qui *natura sunt* τέκνα ὀργῆς *filii iræ.* Eph. 2, 3. Et de omnibus in universũ hominibus carnalibus & mundana sapientibus, pronunciat Jacobus Cap. IV: 4. *Adulteri & adulteræ, nescitis amicitiam mundi INIMICITIAM esse cum Deo? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.* Miserrima certe conditio peccatoris!

ris! *Quis* enim unquam *se hostem Deo sistere ausus est, & prospere ipsi cessit?* Job. IX. *Ultor enim est Jehova & excandescens: ultor est Jehova in hostes suos & asservat iram in inimicos suos.* Nah. I: 2.

Et tamen, quod mirabile dictu, a peccatoribus electis se *vinci* patitur Deus. Filius enim Dei in se *suscepit & tulit* omnem iræ divinæ excandescentiam adversus peccatum; quo facto, ut per merita sua quasi *vicerit* Dei *justitiam* vindicatricem & Deum hominibus, in peculium sibi datis, conciliaverit. Illud tamen non impedit, quo minus ipsi quoque electi nascantur *filii iræ* & tales esse perseverent quamdiu in statu irregenito. Verum cum tempus gratiæ exhibendæ huic vel illi electo advenerit, hunc fere in modum se *vinci* & ab homine sibi conciliari patitur Deus. Primo per verbū legis & Evangelii convincit hominem de peccato; Conscientiam, hactenus forte induratam, vel certe carnaliter tranquillam, excitat; quæ hominem incredibili angore sauciat & cruciat. Atque ita *hostis* instar in peccatorem Deus irruit & telis suis ipsum petit. Verum, quando homo *Christum*, ejusque merita, sufficientiam promptitudinem ad salvandos peccatores attente considerat; & per fidem se ad Christum recipit, ejusque amplectitur justitiam, & fides ea comites habet veram pœnitentiam, conversionem a peccatis sinceram, & preces ardentissimas, tum vero

vero *vim infert* Deo, tum Deus se peccatori *conciliari* & se ab ipso *vinci* patitur. Eleganter hoc exprimitur apud Esaiam vatem: Cap. XXVII: 4. 5. *Excandescentia non est mihi.* (inquit Jehova) *Quis enim me ut sentem & veprem poneret in prælio, ut ingrediens succenderem eum? Aut apprehenderet arcem meam, & pacem faceret mecum; Imo pacem faciet mecum.* Etenim cum peccator fide amplectitur justitiam Christi, tum vero Deus arma sua mortifera adversus peccatorem deponit, & *ira* ejus convertitur in *amorem*; *Inimicitia* in *amicitiam*; *bellum* in *pacem* exoptatissimam. *Justificati* enim *per fidem*, *PACEM habemus cum Deo*, *per Dominum nostrum Christum Jesum.* Rom. V: 1. Atque hæc est *prima* (ut sic loquar) *victoria*, quam a Deo ipso reportat homo peccator per veram *pœnitentiam*, *fidem*, & *resipiscentiam* haud fucatam. Confer sis ea quæ fusius diximus in commentario nostro vernaculo ad Luc. XVI: 16. §. 435.

Verum postquam homo electus jam pervenit ad statum *Gratiæ*, nec non *pacis* & *amicitiæ* cum Deo; nonnunquam usu venit, ut *hostilem* in modum Deus agat cum electis suis & in ipsos etiam incurrat: quando nimirum ob ipsorum pcecata, vel ob alias rationes, sibi cognitas, faciem suam ab ipsis occultat; atque ipsis, non *favoris*, sed *iræ*, non *amoris* sed *odii*, experimenta persentiscere facit, Judicia immittendo sive spiritualia (ut sunt angores

gores conſcientiæ & *derelictiones* ut vocantur *ſpirituales*, tam quoad *conſolationem* quam quoad *ſanctificationem*) ſive corporalia (ut ſunt bella, ſtrages, fames, peſtis & cætera de genere hoc quam plurima.) Exemplum luculentiſſimum habemus in Jobo, quem Deus percuſſerat in facultatibus, in liberis, in uxore, in corpore, imo in anima ipſa. Quapropter in ejusmodi lamentationes erumpit: *Utinam accurate ponderetur ægritudo mea, & caſum meum infelicem in bilance conferrent ſimul!* -- *Nam tela omnipotentis apud me ſunt: terrores Dei ſtructa acie oppugnant me.* Cap. VI: 3.4. Et Capite ſequenti: vſ. 12--18. Quod tandem concludit hiſce verbis: *peccavi tibi* (hoc equidem fateor) *ſed quid faciam Tibi, o cuſtos* (& obſervator) *hominum? quare me poſuiſti tibi in ſcopum* (in offendiculum in occurſum ut *hoſtis* inſtar, in me incurras) *adeo ut ipſe mihi ſim oneri?* vſ. 20. Conf. Job. 16: 14. Eundem fere in modum queritur David vel quisquis loquens introducitur, Pſalmo 38: 2. 3. 4. *Domine, ne in furore tuo me coarguas me & ne in ardore tuo caſtiges me. Nam tela tua defixa ſunt in me, & deſcendit in me manus tua.* &c. De populo Iſraelitico in deſertis refert Eſaias vates: *Ipſis rebellantibus & dolore afficientibus ſpiritum ſanctitatis ejus, mutabatur ipſis in inimicum & ipſe repugnavit eis.* Cap LXIII: 10. Eidem populo interminatur Deus Jer. XXX: 14. *Se plaga inimici ipſum percuſſurum, caſtigatione hoſtis*

*ſtis crudelis: Propterea quod multa erat iniquitas illorum & numeroſa peccata ejus.* Qualem ſortem expertam ſe eſſe conqueritur Eccleſia Iſraelitica in Captivitate Babylonica: Thren. II: 4. 5. *Quomodo Jehova adducit arcum ſuum velut inimicus, conſtitutus dextera ſua velut hoſtis, ut interficiat omnes deſiderabiles oculo. --- Quomodo Jehova ſimilis eſt inimico, abſorbet Iſraelem, abſorbet Iſraelem, abſorbet omnia palatia ejus, perdit omnes munitiones ejus; & plurimum adfert in filia Judæ doloris & mæſtitiæ.*

In hoc ſtatu cum verſatur pia anima, vel populus Dei, denuo in *certamen* cum Deo ſeſe committit, quando peccata ſua agnoſcit & confitetur, quando ſe humiliat ſub manu Dei fortis; quando parrheſiâ fidei erga deum utitur, iram Dei ardentiſſimis precibus deprecatur, calidis votis ipſum quaſi fatigat, donec tandem Deum pœniteat ſervorum ſuorum; donec ponat iracundiæ ſuæ arma ac tela, & denuo in gratiam cum populo ſuo redeat; atque ita a fidelibus ſuis quaſi *vinci* ſe patitur. Exemplum talis *victoriæ*, a Jehova reportatæ, inſigne habemus in *Jacobo* patriarcha. De quo non *Moſes* tantum teſtatur quod *luctatus fuerit cum Angelo Jehova*, & dixerit, *non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Quare & nomen ISRAELIS obtinuit, ut *qui ſe valentem geſſerit erga Deum.* Gen. 32. Verum & *Hoſeas* propheta iſtius victoriæ meminit. Cap. XII, 4. *In viribus ſuis, tanquam Dux exercitus cer-*

*certavit cum Deo. Imo certavit cum Angelo & obtinuit: Ploravit & supplicavit ei.* Quid? quando populus Israëliticus Deum gravissime offenderat per fœdam illam μοσχολατρείαν & ipse, *hostis instar*, universum populum delere decreverat; Dicens ad Mosen: *Vidi populum istum quod dura cervice est. Nunc igitur, sine me, ut accensa ira consumam eos: efficiam vero te in gentem magnam.* Quid tum ad hæc Moses? Nonne *adversus* Jehovam pro populo *certavit*, confitendo gravem ipsius culpam, sed tamen iram Dei deprecando; & nunquid insignem ab ipso Jehova *Victoriam* reportavit? Exod. XXXII, 9-14. Et *Jobus* ipse; nunquid in arenam cum Deo descendit, confitendo quidem suam indignitatem & peccata, sed provocando ad Angelum fœderis, quem *Goëlem* suum agnoscebat, testando fidei sui sinceritatem & πληροφορίαν, Deum invocando, ut testem integritatis suæ; & iram Dei ardentissime deprecando. Et quis fuit *exitus* ejus certaminis? Certe *victor* evasit Homo pientissimus. Tulit enim non tantum a Deo ipso publicam causæ suæ justificationem, sed & *restitutionem* in integrum, quin etiam duplo Majores benedictiones, quam antea in statu feliciore possederat. Hinc fideles dicuntur precibus suis, pœnitentiâ & parrhesiâ fidei in Deum *vim facere & irruere*; Imo ipsum quasi *vincere & expugnare*, quando nimirum a se iram Dei amoliuntur & votorum suorum compotes evadunt,

dunt. Vide Job. XXI, 15. Jer. VII, 16. Pſal. 34, 6. Ezech. 32, 30. Hoc pacto igitur per veram pœnitentiam per ingenuam peccatorum confeſſionem, per fidei parrheſiam, ac preces ardentiſſimas de *Deo ipſo victoriam reportant* vere fideles; ut nimirum iram ſuam ab ipſis amoliatur & ipſos benedictionibus ſuis abunde cumulet non auſim quidem pro certo affirmare, reſpicere Epiſtolas Apocalypticas. Verum nec prægnantes video id negandi rationes. Phraſis enim ὁ νικῶν *abſolute* & ſine ulla reſtrictione poſita, ſenſu *latiſſimo* ſumenda videtur.

II. Interim fateor *alios hoſtes* potiſſimum deſignari, cum quibus certandum habet Eccleſia & ſinguli fideles. Primordia hujus militiæ ſpiritualis cernere eſt in primo vaticinio Gen. III: 15. *Inimicitiam ponam*, inquit Deus ad ſerpentem, *inter Te & Mulierem, inter ſemen tuum & ſemen ejus. Hic tibi conteret caput, tu autem ei conteres calcaneum.* „Ecce Jehovam fecialem! Ecce poſitam inimicitiam;“ in cujus exercitio fundatur hoc quicquid eſt“ *militiæ* & ſpiritualis *certaminis*! Ecce primæ-“ vam belli iſtius denuntiationem, quod ab in-“ cunabulis mundi geſtum eſt, etiamnum ge-“ ritur deinceps ad finem usque ſeculi, inter“ Chriſtum cum ſuis ab una parte & diabo-“ lum ex altera cum ſuis aſſeclis. Ut verbis“ emphaticis utar *Johannis Arrowsmith, in tacticis ſacris* l. 1. Cap. 1. §. 5.

Primus ergo & primarius adversarius est *serpens*. Id est *Draco ille magnus serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem* uti seduxit primævos parentes nostros. Apoc. XII: 9.

Cum *serpente* etiam memoratur *semen ejus*. Per quod designantur, cum angeli mali seu Cacodæmones, principis tenebrarum assecłæ & subditi; tum etiam homines infideles ac reprobi, quod pluribus exequi supervacaneum foret. Videsis Joh. 8: 44. Matth. XIII: 38. 1. Joh. III: 8. 10.

Huic serpenti & semini ejus opponuntur *Mulier*, nempe *Eva*, πρωτομήτης nostra, seu mater omnium viventium, cum *semine ejus*, quod duplex est, sed arctissime tamen unitum, *Christus* nimirum & *Ecclesia*, seu singuli fideles. *Hostes* enim *cum agno pugnant & agnus vincet eos: quoniam Dominus Dominorum est & Rex Regum*: neque Agnus tantum, sed & *qui cum eo sunt, vocati & electi & fideles*. Apoc. XVII: 14. Non est nobis in præsentia animus, universum hoc *proteuangelion*, pluribus excutere: Satis sit, inde nobis constare, *Diabolum*, cum cæteris spiritibus malis, internecinum odium & bellum ἀσπονδον gerere adversus filios Dei electos & vere credentes. Adeo ut ipsis Satanas omni modo nocere conetur; & si pote, cum sanctificationem, tum glorificationem fidelium impedire ac facere ut excidant ex Dei amicitia & spe vitæ æter-

æternæ. *Adversarius* enim *vester Diabolus*, inquit Petrus, *tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret.* 1. Pet. V: 8. *Hostis* est, inquam, qui suas habet μεθοδείας & *stratagemata.* Eph. VI: 11. Convertit enim quandoque se ipsum in *angelum lucis*, ut ita personatus facilius incautos decipiat. 2. Cor. XI: 14. Longum esset, omnia recensere, quæ inimicus hic electorum hominum in ipsorum damnum ac detrimentum patrare dicitur. Vocat ipsum sacra scriptura *Tentatorem*; nec immerito; quia non tantum Christum servatorem variis tentationibus adortus est, verum etiam idem conatur adversus *fideles.* 1. Cor. VII: 5. Christus ipsum asseverat quandoque *tollere sermonem Evangelii ex corde hominum*, ne, quum crediderint, salvi fiant. Luc. VIII: 12. Quin & ipsum *Petrum*, aliosque Discipulos, *appetiit ventilare sicut triticum.* Luc. XXII: 31. Et *Paulo* insigni illi Apostolo, datus fuit surculus carni infixus, nempe *Angelus Satanæ, qui ipsum colaphis excepit.* 2. Cor. XII: 7.

Contra hunc adversarium *certant* fideles & victores evadunt, quando *Diabolo locum non cedunt.* Eph. IV: 27. Quando *resistunt Diabolo, ita ut fugiat ab ipsis* Jac. IV: 7. *Cum sibi cavent, ne occupentur a Satana.* 2. Cor. 2: 10. Quando *corroborantur in Domino & forti ipsius robore. Induentes universam armaturam Dei, ut stare possint adversus insidias Diaboli, & omnibus confectis, consistere.* Eph. VI: 10. 11. 14. Quod fit, quando

quis proficit in solida veritatis cognitione; quando fides ipsius magis magisque in Christo radicatur; quando peccata, ceu opera Diaboli, Vatiniano odio prosequitur, neque se vinci patitur per malum, sed vincit bonitate malitiam Rom. XII: 21. Tales Johannes nobis exhibet 1. Ep. II: 13. 14. *Scribo vobis, adolescentes, quoniam Malum illum VICISTIS. Scripsi vobis adolescentes, quia FORTES estis & verbum Dei habitat in vobis, & Malum illum VICISTIS.*

Verum habet hic hostis primarius suas etiam catervas, atq; assecias sive turmas, quæ ipsi subordinatæ, hostilem in modũ, electos fideles invadunt, sive aperto marte, sive per cuniculos & insidias. Qui hostes ad tres quatuorve classes referri possunt, nimirum 1. *Mundus.* 2. *homines* improbi fidelibus Ecclesiæ noxii vel infensi. 3 *Caro* propria cuique adjacens. & 4. denique *mors* ipsa, quæ est hostis ultimus.

1. Per *mundum* partim intelligi possunt homines mundani, partim universitas rerum subordinatarum, nec non *concupiscentiæ* pravæ, quæ passim in mundo obtinent & quæ erga res hujus mundi versantur. Nos heic loci *distinguimus* inter *mundum* & *homines mundanos*, hosque ad peculiarem classem referimus: adeoque *mundum* sensu sumimus posteriori, quo sensu & Jacobus intellexisse videtur, cum obtestatur amatores hujus *mundi*. *Adulteri & adulteræ, an nescitis amicitiam mundi inimicitiam*

esse

*esse adversus Deum? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.* Jac. IV: 4. Johannes certe Apostolus distincte enumerat concupiscentias pravas, quæ passim in *mundo* dominantur, & erga res hujus mundi versantur. *Ne diligite MUNDUM*, inquit, *neque ea, quæ IN MUNDO sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo.* 1. Joh. II: 15. 16. Memini, in familiari colloquio ante multos annos, Virum Amplissimum *Johannem Steengrachtium*, Collegio Archithalassico Zelandiæ a Secretis, Virum, inquam, tam solide *Theologum*, quam sagacem *politicum*, cum hoc loco Johannis collatum voluisse alterum Prophetæ *Ezechielis* Cap. XXIV: 21. Ubi de *templo* Hierosolymitano mentio est: quod tribus hisce epithetis insignitur 1. גאון עזכם *superbiam potentiæ* seu *fortitudinis vestræ* id est, de quo superbitis, sive in quo vobis nimium placetis. Quod respondet τῇ ἀλαζονείᾳ τοῦ βίου 2. תחמד עיניכם, *desiderium oculorum vestrorum.* Quod convenit: cum τῇ ἐπιθυμίᾳ τῶν ὀφθαλμῶν. Templum enim non tantum *magnificum* erat, sed & *ditissimum* & *opulentiæ Judaicæ* publicum ac sumptuosissimum monumentum. Præterquam quod in ipso Templo ejusque cultu *avaritiam* quoque sectabantur cum Sacerdotes ac Levitæ, tum ipse populus, Deum spoliantes in decimis

mis & oblationibus. Mal. III. 8. 3 תחתל נפשכם *Et animorum delicias.* Quod conveniret cum τῇ ἐπιθυμίᾳ τ σαρκὸς. In templo enim genio etiam indulgebant Judæi, ſacerdotes præcipue & Levitæ. Quin & ἀσελγείαις ac impudicitiis inquinatum ſæpiſſime fuiſſe illud Dei ſanctuarium, ex ipſo Ezechielis volumine abunde patet. Adeo ut circa *nimium* illud *templum* gens Judaica trino concupiſcentiæ pravæ genere peccaret. 1. *faſtu* ac *ſuperbia.* 2. *Avaritia* & φιλαργυρίᾳ ſive *oſtentatione opulentiæ.* 3. *Luxuria* & concupiſcentia carnis. Verum hoc ἐν παρόδῳ.

Quomodo autem *mundus*, tribus hiſce concupiſcentiæ pravæ generibus ſignate hominem adoriatur, atque a Dei & virtutis amore abducere conetur & ſibi ſubjectum tenere vel habere non eſt hujus loci fuſius explicare. Videſis *Arrousmith Tactic. Sacr. p.m. 49-52.*

2. *Secundum* genus adverſariorum ſunt *homines mali* (qui alioqui etiam ſub *mundi* notione non ſemel comprehenduntur 1. Joh. V: 19. Hi autem diverſi ſunt generis ſive *hæretici*, qui credentes a veritate ad errores fundamentales ſeducere ſatagunt; ſive *perſecutores*, qui religionis cauſâ probris, contumeliis, vel etiam omnis generis tormentis, morte denique ipſa, fideles cruciant, ut a veritatis confeſſione abſterreant vel conſtantes plectant. Sive *homines improbi*, qui ſeducere conantur ad omnis generis peccata, & vi-

tia

tia. Quæ omnia fusius exequi non permittit scopus quem nobis proposuimus. Hi scilicet *semen serpentis* sunt, inter quod & *semen electum* ac fidele *mulieris*, jam inde a promulgato πρωτευαγγελίῳ bellum ἀσπονδον flagravit. Quamvis diversi illi hostes diversis etiam modis Ecclesiam & singulos electos adoriantur & variis armis ac telis petant: Ipsi quoque fideles variis modis singulis hostibus resistant & per Dei gratiam superent & vincant.

3. Tertias obtinet *Caro* propria, singulis fidelibus adjacens; Hostis eo periculosior, quo Intimior; sicut dissidia domestica iis quæ foris sunt, molestiora; & bella civilia atque intestina exteris graviora & magis nocentia solent esse Reipublicæ. De hoc hoste Paulus agit Rom. VII, 23. Gal. V, 24. Petrus. 1. Pet. 2, 11. & Jacobus IV, 1.

Hæc vero *caro*, sive perversitas, inimicitiam gerens adversus Deum & spiritum ejus, partim consistit in *intellectu*, partim in *voluntate*, ac partim in *affectibus* & *appetitu sensitivo* In *intellectu* sese ostendit *sapientia carnis* Rom. VIII, 6. Quæ consistit in curiositate nimia ea perscrutandi, quæ Deus revelavit. Col. 2, 18. Ac renuit se dictamini divino subjicere & captivum ducere intellectum suum sub Evangelio Christi, In *Voluntate* est concupiscentia prava, quæ bellum gerit adversus spiritum. Gal. V, 17. Tandem in *affectibus* & *appetitu sensitivo*, quæ magnam partem ex corporis tempe-

ramento ortum habent, est pronitas ad varias passiones & perturbationes animi; ad iracundiam, odium, invidiam, luxuriam, amorem illicitum; & quæ *Cætera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare Valent Fabium.*

4. Quartum vero & extremum locum obtinet *Mors*; quæ *Ultimus* appellatur *hostis* a Divo Apostolo 1. Cor. XV, 26. Mors vero duplici modo ut *hostis* considerari potest. Partim, quia bonis hisce terrenis hominem *spoliat*, sicuti hostes solent. Partim, quia terrorem incutit. Unde *rex terrorum* appellatur. Job. XVIII, 14. Non tantum respectu *impiorum*, quibus Mors Januam aperit ad æterna supplicia: Sed etiam respectu *fidelium*; quatenus abhorret natura tum a corruptione corporis, tum a dissolutione mentis, quæ vulgo gravissimos dolores comites vel præambulones habere solent. Videsis exemplum Ezechiæ Jes. 38, 1. 2. & quod Petro prædixit Christus. Joh. XXI, 18. Atque hæc de hostibus spiritualibus dicta sufficiant. In quibus non dissimulo me quadantenus vestigia pressisse Viri Doctissimi *Johannis Arrow Smith*, in *tacticis sacris*.

Ad secundum pensi nostri partem ut progrediamur, nempe ut ipsam *pugnam* & *certamen* spirituale contra singulos hosce hostes ob oculos ponamus; Velim repetere lectorem ex eodem Authore;

1. Qui-

1. Quinam ut *milites ſpirituales* nobis obverſari queant, quibus adverſus hoſtes hoſce, vel *omnes* vel *aliquos*, certamen eſt ineundum? Illi autem ſunt 1. *homines* profeſſione Chriſtiani, vel ſaltem in Chriſtianiſmo viventes, qui objectum ſunt præconii Evangelici: præcipue tamen *fideles* ac *Regeniti*. 2. Signate autem Eccleſiæ ac Verbi Divini *Miniſtri*. Vide *Arrow Smith*. l. c. L. I. c. V. §. 1-3. Et Tractatum meum vernaculum *S. Electorum Biblicor*. p. 70. 71.

2. *Imperator* ac Dux militiæ hujus ſpiritualis eſt Chriſtus JEſus. Uti fuſe oſtendimus loco citato p. 39. 67. Quem jure merito hunc titulum gerere ſcite oſtendit ſcriptor modo laudatus; quia Eccleſiæ ſuæ ea ſemper præſtitit omnia & ſemper præſtiturus eſt, quæ bonus imperator exercitui. Nempe 1. *Arma* ſpiritualia. 2. *Stipendia*. 3. *Commeatum*. 4. *Exemplum*. 5. *Auxilium*. Quæ omnia extendere nihil eſt neceſſe, cum apud ipſum legi queant.

3. Quoad *officia militum* Spiritualium ſub tanto Duce bellum gerentium; ea in ſequentes Claſſes redigit Author. 1. *Hoc agere*. Id eſt, diligenter militiæ Spirituali incumbere, neque aliis ſe negotiis nimium immiſcere. 2. *Imperatori morem gerere*. Vide *Selecta* noſtra *Biblica* (*Bibelſche keurſtoffen*) p. 86. 3. *In Acie ordinem ſervare*. 4. *Extra pugnam etiam mili-*

*taribus exercitiis vacare.* 5. Denique, *in pugna* ipsa *fortitur dimicare.*

4. Verum nullus Christianus prospero cum successu pugnam spiritualem dimicabit, nisi *armis* idoneis & *panoplia Christiana* sit instructus. Quam scite & eleganter describit Apostolus Eph. VI. De qua Vide brevem sciagraphiam in tractatu nostro vernaculo modo allegato. Et, quem serius inspexi, Authorem sæpius laudatum. Lib. I. c. VI. & Lib. II: Cap. I. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X.

Hisce prælibatis, facile constat, quid sit spiritualiter *dimicare* adversus omnes hostes illos in superioribus recensitos. Nimirum, quando quis, per Dei gratiam, corroboratur quoad interiorem hominem, ut ea sumat arma, quæ adversus singulos hosce hostes idonea sunt, iisque recte ac prudenter utatur: partim adversus illos se *defendendo*; partim illos ipsos *invadendo*, vincendo & superando. Quod ultimum ac præcipuum erat nostræ tractationis Caput; secundum ordinem nobis præscriptum. Lubet enim, de *certamine* ac *victoria* junctim differere: Ne crebra repetitione lectoribus nauseam crem.

1. *Deum* quod attinet, quomodo *adversus ipsum*, vel potius *cum ipso* salutariter certent homines electi, isque se ab ipsis *vinci* patiatur, supra abunde diximus. Quæ heic repetere ni-

nihil attinet. Vide etiam tractatum meum vernaculum. In Judæ vſ. 3. §. 26.

II. Pergimus ad *alios hoſtes*, & quidem A. Adverſus *Satanam* & Cacodæmones quando ac quomodo *pugnent* fideles, partim etiam diximus. Adde quæ habet *Arrow Smith*; de *Artibus* ac *ſtratagematis Diaboli reſiſtendis* atque *eludendis*. *Lib. I. c. VI. §. 3--& lib. II. c. VIII. De extinguendis ignitis Diaboli telis.* Conſule etiam *Homiliam* noſtram *Vernaculam* in *Judæ* vſ. 3. §. 23. 25.

B. *Mundum* quod attinet, atque ea, quae *in mundo* ſunt, nimirum *concupiſcentia carnis*, *libido oculorum & faſtus vitæ*. Contra hæc *pugnat* homo fidelis, quando non amplius *amat* ea, quæ in mundo ſunt; quando per fidem cor ipſius purificatur a perverſo mundi amore. Quoniam *quidquid natum eſt ex Deo*, *vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum*, *nempe fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum*, *niſi qui credit Jeſum eſſe filium Dei. Inquit* beatus Johannes Ep. I: c. v. 4. 5. Is mundo bellum infert, eumque vincit, cui *illuxit gratia Dei ſalutifera, ipſumque erudiit ut abnegata omni impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, juſte ac pie Vivat in præſenti ſeculo. Expectans beatam illam ſpem & illuſtrem adventum Gloriæ Magni illius Dei ac ſervatoris noſtri, Jeſu Chriſti. Qui ſemet ipſum tradidit pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret ſibi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum.* Juxta Pau-

Paulinum illud, in Ep. ad Tit. c. II, 11-14. Verbo, vincitur ac ſuperatur *concupiſcentia carnis* per *temperantiæ*, *caſtitatis* & *continentiæ* ſtudium; *libido oculorum*, per Ἀυτάρκειαν ac liberalitatem; & *faſtus vitæ* per *modeſtiam* ac veram *humilitatem*, ſi verbo venia ſit.

C. Contra homines vero mundanos hæreticos, perſecutores, ſeductores, quomodo *certent* fideles, cum *defenſive*, tum *offenſive*, eosque *ſuperant* ac *victoriam* ab iis reportent, diximus in homilia Belgica ad Judæ vſ. 3. p. 193. 196.

D. Nec non contra *ſe ipſos* ac propriam carnem. Ibid. p. 195. 197.

E. Tandem *morti* ipſi bellum inferunt fideles, eamque *vincunt*. 1. Cum, ex contemplatione bonorum ſpiritualium quæ jam poſſident, & cœleſtis hæreditatis ſpe, poſt hanc vitam adeundæ, parum curant res hujus mundi mortemque quaſi provocare audent, ut eas ſibi eripiat, quo bonum aliquod longe præſtantius adipiſcantur. 2. Cum adverſus *terrores mortis*, cum violentæ tum naturalis, per Dei gratiam ſe conſolantur, eosque floccı pendunt ac ſuperant, quin mortem ut gratum amplectuntur beneficium, reſpectu animæ poſt mortem glorificandæ; cum ſpe certa, mortem ipſam corporis tandem etiam *abſorptam* iri ad *victoriam*. 1. Cor. XV.

Qui plura de *victoria ſpirituali* deſiderat, conſulere velim Tractatum non ſemel laudatum

tum *Johannis Arrow-Smith.* lib. III. exhibens.

*I. Apparatum ad victoriam* per *alloquia sacra*, id est, per *preces ardentissimas* ad *Deum*. Juxta Apostolicum illud Eph. VI: 18. Ubi panopliæ Christianæ immediate subjungit hoc monitum : *Cum omni prece & supplicatione, precantes omni tempore per spiritum , & illi invigilantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis.* Quem locum insignem toto hoc capite explicatū videbit Lector.

*II. Authorem victoriæ spiritualis :* Qui *Deus* est : Et præsertim *Imperator* hujus militiæ *Christus Jesus*, per spiritum sanctum. Illi enim victoriam omnem acceptam referunt fideles. Rom. VIII, 37. 1. Cor. XV, 57. Vide Authorem l. III. c. 2. §. 1-3.

*III. Adminicula Victoriæ Spiritualis* tria præsertim memorat Author

A. *Sobrietatem.* §. 4.
B. *Vigilantiam.* §. 5.
C. *Fidem.* §. 6.

IV. Explicat ἐπινίκια quædam Apostolica Cap. III. & quidem

A. Rom. VIII, 35.37.
B. 1. Cor. XV: 55--57.
C. 2. Tim. IV, 6-8.

*V. Præmia* Victoriæ partim in hac vita partim conceduntur in futura. Ad quæ repræsentanda Author Clarissimus tria loca ex Epistolis Apocalypticis explicat, nimirum Cap. II, 6. II, 17. III, 5. lib. III. c. 2. §. 7--

Tan-

Tandem

*VI. Triumphi* cœleſtis *ſciagraphiam* exhibet Cap. IV.

Atque hæc paulo fuſius exequi volupe fuit; ut non tantum hunc locum verum etiam alia, quæ de certamine & victoria ſpirituali agunt, illuſtrata darem & integræ militiæ ſpiritualis ideam ob oculos ponerem. Si vero quæras, quænam victoria in hiſce Epiſtolis ſignate indigitetur & a quibus hoſtibus? Reſpondeo, nihil quidem obſtare, quo minus ſenſu laxiore hanc victoriam ſumamus. Speciatim tamen deſignari conſtantiam in fide ac profeſſione veritatis, adverſus hæreticos ſingulis temporibus exorituros; patientiam adverſus tribulationes & perſecutiones; dentque conſtantiam in bonis operibus & vera pietate, adverſus ſeductores. Quos omnes, qui vera in Chriſtum fide, & perſeverantia ad mortem usque vincit & ſuperat, illi promittuntur hæc præmia, quæ in Epilogis Epiſtolarum Apocalypticarum recenſentur.

II.

# *Bernh. Pet. KARLII,*

# P. E. Diatribe,

## *De* MIRACULO SOLIS *vel* UMBRÆ, *decem lineis, per gradus, quos jam descenderat in Sciaterico Ahasi, retrogressi*, quô Ezechiæ, lethaliter decumbenti, promissa sanitatis restitutio, vitæque in annos XV. prorogatio, confirmata legitur 2. Reg. XX. 2. Paral. XXXII. & Esa. XXXVIII. cum Mantissa, de miraculo SOLIS & LUNAE, IOSUA consistere jussorum Ios. X.

CUm stupendum hoc (ut videri omnino debet,) *prodigium* crucem non modicam interpretibus semper fixerit, Doctissimorum quoque de illo sententiis, quantum à terra cœlum distat, a se invicem differentibus; (miraculo quippe vel in ipso *sole*, vel in solo Ahasi sciaterico, & gnomonis *umbra*, positô:) prodiit

diit nuper, qui rem omnem, prout a divinis Scriptoribus enarratur, simpliciſſimè atque ſic exponere tentavit, ut omni de hujus aut iſtiusmodi miraculo cogitatione abjectâ, quicquid huic rei inſit *prodigii*, in ſolo corpore decumbentis Ezechiæ, præter omnem omnium, atque ipſiusmet etiam, ſpem ac fidem intra triduum integræ valetudini reſtituti, ut templum frequentare tunc rurſus poſſet, quæratur; neſcio an & inveniatur. Quam nunc ſententiam, omninò novam atque inauditam hactenus pauculis ad Scripturæ S. lances expendere, & cùm juſtô reperiatur levior, modeſte refellere; veram verò miraculi hujus rationem breviter, &, ſi pote, ad conſcientiam, demonſtrare, Deo juvante conabimur.

Nimirum ſupponit Vir ille doctiſſimus, I. *gradus* iſtos, Ebr. מעלות pro *ſolis* vel *umbræ* progreſſione & retrogreſſione, 2. Reg. 20:9.10. 11. memoratos, non, ſecundùm opinionem vulgarem, de gradibus lineisve *ſolarii*, ſed de gradibus e domo regia Zionis in vicinum templum Moriæ montis adſcenderetur, quos Ahas Rex fieri aut refici curaverit, eſſe accipiendos: ut in quos unicè intentum fuiſſe tum Eſaiam vatem, tum & Regem Ezechiam, multis verborum ambagibus perſuadere nititur: II. illo diei tempore, quo cum hoc ille certo de *ſigno*, valetudinis tam citò certò reddendæ, inque templum rurſus ingrediendi, ab ipſo expetitô, loquutus ſit,

(quod

(quod pomeridianum fuisse colligit,) *umbram*, ex interceptis à Moria monte & templo radiis solaribus, Boream versus emissam, per *decem* jam *gradus* regii in templum ambulacri *descendisse*; idque Esaiam, ut rem certam, & certò cuivis, ipsique etiam Ezechiæ, tunc satis compertam, responsioni suæ d. v. 9. præmisisse, subjectâque mox ista interrogatione: אם ישוב עשר מעלות *redibitne (umbra hæc) per decem gradûs?* eundem *graviter affirmâsse & asseverâsse, Regem DIE SEQVENTI, redeunte umbrâ in eundem hunc locum, (circa idem hoc diei tempus,) adhuc superstitem fore: Ex quo ille deinde certus esse putaverit, se & TERTIO DIE salvum superfuturum, pro divino promisso*; ut quod *indubitatum regi debuerit esse signum sanitatis tertio die restituendæ.* Quam quidem sententiam suam Doctissimus Autor copiosè explicat, multisque coloribus perquàm speciosè pingit & ornat, ut veri se quadam specie commendare lectori utcunque possit: Prout ipsa ejus Dissertatio, huic *Bibliothecæ Theol.* Class. I. fascic. 6. p. 825. seqq. inserta, ostendit; ut inde multa huc transscribere, non sit necesse.

Ignoscet mihi verò Vir Doctiss. si brevi manu omnem argumentorum ipsius molem, quibus assensum nostrum expugnare, suamve nobis opinionem persuadere, tam operosè laborat, destrui posse dixero, vel etiam reipsa destructum ivero, admoto vel unico hoc arie-

te, S. dicto, ex 2 Paral. 32, 31. depromto, ubi, ad portentum hoc respiciens, divinus Scriptor testatur, illud accidisse *in terra*. Missos, enim, ait, ad Ezechiam legatos, Principes Babylonis, ad inquirendum de מופת אשר היה בארץ *portento illo, quod factum fuerat in terra*, videl. Judaica: adeoque non in corpore regis, neque etiam in cœlo, quasi sol ipse in cœlo retrocessisset: quæ aliorum etiam fuit opinio: quippe quod tunc ipsi quoque Babylonii sua in terra utique observassent, nec Hierosolymis de eo demum scisciatari necesse habuissent.

Ingenium quidem Auctoris admirabile hoc scitum ejus, ad expediendam omnem hic difficultatem, ἔυρημα abundè testatur; (& facile quis cogitaret, non nisi ad magni ingenii & eruditionis haud vulgaris ostentationem quandam, hæc ita speciose proposita in medium fuisse: quod verò, quia citra impietatem fieri nequivisset, charitas suspicari prohibet:) sed ipse tamen Spiritus S. etiam de commentarii hujus falsitate nimis aperte testatur, ubi exsertè etiam, מופת *prodigium* illud fuisse, quod *in terra* Judaica tunc evenerit, memorat.

Multus quidem hic est Vir Doctiss. in causa sua oranda, ut persuadeat, hocce *prodigium* non nisi *prodigiosam* Regis Ezechiæ intra tam breve tempus restitutionem fuisse, ut is tertio jam die salvus *sanus ac sospes evaserit*, & templum rursus ingredi potuerit, *mirabili* &

in-

insperato successu, & *stupendo* præter omnem „opinionem fato. *Grande*, inquit porro *pro-* „*digium*, Regem, ex pestilentiali ulcere gra- „viter *decumbentem*, ultimum trahentem, Spi- „ritum, *Prophetæ augurio & divino oraculo subito* „ *Servatum*. *Prodigium*, illum, qui jam jam a- „nimam erat exhalaturus, ex oraculo pro- „phetico in alterum diem servari. *Prodigi-* „*um*, illum, juxta præsagium divinum, tam „cito, tertio à morbo, tam periculoso & le- „thali, die, salvum evasisse & templum fre- „quentasse. Genuina hæc *prodigii hujus ratio*, „quæ in Dei singularem & admirabilem pro- „videntiam redeat. Dies ordinarius, umbra „ordinaria: In his nihil novi, nihil singula- „re. Præsagium Prophetæ, *res mira*, even- „tus exactus, *res mira*; servata in alterum di- „em ex Vatis verbo vita, *prodigium*: Restitu- „ta valetudo tertio die, *prodigium*. Hæc „prodigia: nihil in Sole, nihil in umbra So- „lis, nihil in ambulacro aut gradibus. Hæc „sueta, hæc ordinaria, hæc quotidiana. Sed, „*tr duo resurgere e lecto & letho Regem*, peste pe- „riturum, & pro Vatis quidem definito præ- „sagio, hoc demum *prodigium*. Verum, in hoc omnem memorati *prodigii* fuisse rationem, non verò in umbræ per decem gradus seu li- neas in Solario reductione; id nemo credide- rit, qui consideret, istam tam subitam Vale- tudinis restitutionem, vitæque etiam prorо- gationem, Regi, Deum ardentissimis preci-

bus invocanti, jam ante expetitum ab ipso signum, divinitus certò fuisse promissam; ad hoc vero signum atque miraculum exhibendum, postea demum Vatem suis apud Deum precibus interceſſisse. Sic enim 2. Reg. XX. postquam v. 4-8. relatum esset, Esaiam, divinitus monitum, Ezechiæ indicasse, Jehovam Deum Patris ipsius, Davidis, precibus ejus lachrimosis annuisse, ipsumque esse sanaturum ita, ut die jam tertio templum rursus frequentare posset, ac vitam ipsi in annos XV. prorogaturum; Vatemque etiam idcirco palatham ficuum (pro externo divinæ ac supernaturalis virtutis symbolo) ulceri ejus jussisse applicandam; Regem vero, quonam *signo* de tam cita ex morbo fere desperato restitutione redderetur certior? esse scisitatum; dehinc porro v. 9. & 10. memoratur, promissum Regi a Vate signum in confirmationem, *quod Deus facturus esset*, *quæ* (videlicet, de restituendâ brevi salute) *dixisset*: id quod omnino notandum, cum & hic Regis salus, licet vel maxime etiam prodigiosa, a *signo prodigioso*, quo ipsius de ea spes roboranda esset, clarissimè distinguitur. Et postea tandem v. 11. subjicitur, Vatem divinum ob illud signum aut prodigium ad regis fidem de recuperanda tam brevi valetudine, ipsi quidem jam antè certò promissa, firmandam, (quæ adeo non ipsum illud prodigium est,) tunc demum Deo supplicasse, ut reapse illud ei præ-

sta-

ſtaret. Quo facto Deus precibus, non jam Regis, quibus ille jam antè valetudinis redintegrationem dederat, ſed Vatis benignè annuerit.

Eſto jam ſanè prodigium, *triduo reſurgere e lecto & letho Regem, peſte periturum, & pro Vatis quidem definito præſagio*; nihilominus agnoſcendum hic aliud inſuper *ſignum* ac *prodigium* venit, quô Rex anxius confirmaretur in fide, quòd nimirum *Deus* certò *eſſet facturus*, *quæ* de ſalute Regi reddendâ *dixerat*; ut ipſe Spiritus S. d. V. 9. loquitur : de quo Vates Deum tunc precibus ſuis interpellare adhuc debuit; cùm prodigioſa illa Regis ſalus jam anteà ipſiusmet precibus a Deo eſſet impetrata. Quod jam obſervanti deinde ſubtile nimis videbitur, quod Autor *totum prodigii ſcopum*, omnemque colloquii Vatis cum Rege materiam, v. 9. ſq. hoc fuiſſe ſtatuit : Num *gradus* antè memorati, *è regia domo in Dei domum, tertio de a Rege eſſent calcandi, ut is ante morbum quotidie conſueverat*? Id quod ex eo conficere voluit, quòd Vates v. 5. inter alia dixerat, Regem Dei beneficio intra triduum ſoſpitem rurſus *in templum eſſe adſcenſurum*; quòdque Rex ipſe v. 8. quæſiverat, quonam ſigno certus eſſe poſſet, Deum ipſum eſſe ſanaturum, ſeque tam brevi *in templum adſcenſurum*? Ubi utrobique verbum עלה *adſcendit*, legitur, unde memorati v. 9. מעלות *gradus* denominantur. Unde colligit, ſignum *illo* in *loco* Vatem

*designasse* Regi, *de quo fuerat sermo*, videl. in *gradibus* illis, quos toto superiore sermone habuerint in oculis, tam citò neutri excidisse *gradus*, quos uterque hactenus in ore habuerit, quosque *die tertio* solennissimè pedibus sanis & expeditis essent *calcaturi*. Quæ tamen, ut quisque videt, lubrica valdè sunt, & nimis ingenium sapiunt humanum, argutiasque minime hic probandas. Ut enim taceam, nullam reverà *graduum* מעלות mentionem toto superiore sermone a v. 4. usque ad v. 8. factam fuisse, etsi de *adscendendo* in templum verba (עליתי & תעלה) ceciderint; manifestum est nimis, τὸ κεινόμενον h. l. proprie loquendo non fuisse, *Num tertio jam die Rex in templum esset adscensurus?* (quod Noster adeo vellet,) Sed, *quonam signo Rex certus esse posset, Deum reapse facturum esse, quod dixerat*; d. v. 8. nimir. de salute illi tam brevi reddendâ, vitaque in XV. annos prolonganda; v. 5. 6. *Adscensum* verò Regis *in templum*, die jam tertio futurum tantum, accessorium quid esse dictæ promissioni principali. Quod nisi esset, sed contra, quod Noster vult; Vates procul dubio non tam generatim duntaxat dixisset d. V. 9. *Hoc erit signum, quod facturus sit Deus, quod dixit*, h. e. promisit, de salute videl. & vita tua in XV. annos proroganda; sed speciatim sic utique expressisset opinatum illud κεινόμενον, quòd *tertiâ abhinc die templum ingressurus sis*. Quòd si quis verò dixerit, su-

pe-

perius tamen v. 5. & 8. de ista Regis in templum adscensione inter alia etiam factam fuisse mentionem, quò Vates hic v. 9. respiciat, eamque inde mente quasi repetitam velit: Resp. Id quidem concedi; Sed tamen ita patere, non hic præcipuè ad illam in templum adscensionem, quasi ad τὸ κεινόμενον, attendi. Et, quid tum de Esaia dicemus, qui ut interpres horum optimus, in tota rei hujus gestæ narratione, (Esa. 38: 4. ss.) ne verbulo quidem de promissa illa Regi *adscensione in templum*, *intra triduum* futurâ, meminit? Quomodo igitur Vir doct. suam hujus prodigii expositionem cum ipsius Esaiæ relatione conciliabit?

Hac itaque Autoris hypothesi jam subrutâ, omnia, quæ illi superstruxit, ultro ruunt: & frustra hic, licèt perquam erudite & ingeniosè sanè, ex Pandectis Talmudicis & MAIMONIDE, post LIGTFOOTUM, de *gradibus* (מעלות) variis, ab omni urbis montisque Moriæ latere ad portas in superiori templi basi commeantibus; & speciatim de gradibus prælatis, e regia montis Zion supra vallem subjectum in templum Moriæ, montis sublimioris, a Salomone primum exstructis, 1. Par. 26, 16. 18. 2. Par. 9, 4. ab Ahaso Rege verò postea, Assyriorum metu, ne quà, Hierosolymas invadentes, per eos e templo in arcem Zion devenirent, destructis quidem primò, 2. Reg. 16: 18. sed postmodum tamen

men reſtauratis; (quod ex hoc ipſo loco conjicitur) deque domus regiæ ad boream templi verſus occidentem ſitu, (contra LUNDIUM, *Ant. jud.* P. I. c. 28.) & de *umbra*, quem mons Moria cum templo, pro Sole per auſtrum ad occaſum ſenſim commeante, verſus boream primum, deinde & verſus ortum, montique ſub- & adjecta loca, loco radiorum ſolis interceptorum, pomeridiano ac veſpertino tempore concecit, apud Veteres Judæorum Scriptores perquam celebri; deque *platea* ibi ad borealem templi partem ſpatioſiſſima, ubi, velut in foro publico, a radiis ſolaribus pomeridianis libero, ob temperatum æſtum in umbra gratiſſima celebriores Judæorum Doctores, frequenti diſcipulorum corona circumdati, publicè docere ſint ſoliti, multa commentatur. Quæ omnia ex locupletiſſimo eruditionis penu ab Autore Cl. prolata expoſitionem ipſius novam pingunt quidem & ornant, at non demonſtrant. Quemadmodum nec illud, quod pro ſua graduum interpretatione USSERIUM allegat, *Annal.* fol. 57. & LXX. Interpretes Græcos, quaſi illi βαθμῶν & ἀναβαθμῶν vocabulis, hic adhibitis, non alios, quam *ſcalarum ab Abaſo exſtructarum gradus* intelligendos *innuant*. Id quod nunc ſuo loco relinquimus: cum contrà Chaldæo hic Paraphraſti, nec non Hieronymo, communi ſententiæ addictis, plus merito deferri, ex ſupra dictis liqueat.

Mul-

Multò minus ejus cauſam quicquam juvat, quod ante *Servitutem* Judæorum *Babylonicam horarum uſum apud Judæos receptum fuiſſe, oſtendi non poſſe*, ſcribit. Si enim vel maximè *non poſſit oſtendi*, an hoc tamen evincet, re quoque ipſâ horarum tunc uſum apud Judæos nondum invaluiſſe? Quam plurima enim, quæ ſatis certè in uſu veteribus fuerunt, reapſe fuiſſe, oſtendi nunc non poſſunt; quippe deficientibus nunc requiſitis ad hoc teſtimoniis ac monumentis. Si enim apud *Babylonios* gnomonis horarii uſus obtinuit ut, a quibus & *Græcos* illum acceepiſſe, Herodotus L. 2. c. 109. Auctor eſt; quidni & apud *Judæos*, Babyloniis longè viciniores idem obtinuerit? Auctoris utique fuiſſet, aſſertionem ſuam, de non uſitatis tunc apud Ebræos horis & horariis, dare demonſtratam: Quod cum non potuerit, illud probandi onus a ſe voluit amoliri, parti illud neganti obtruſurus potius, iſtâ ſpe fretus, *oſtendi* ſententiam contrariam *non poſſe*. Nos verò, etſi ex probatis diſputandi legibus ad illud ne quidem teneamur, oſtendere tamen volumus & poſſimus utiq; ex hac ipſa prodigii hujus hiſtoria, rectè ſecundùm Spiritus S. mentem intellectâ, *horarum* tunc uſum apud Judæos omninò viguiſſe.

Unicum ſupereſt, ex quo nova Viri Doctiſſimi ſententia falſitatis manifeſtæ convincitur. Ille, ſuæ ſerviens hypotheſi, verba d. v. 9. II. Reg. XX. הלך הצל עשר מעלות

ita latinè transiert : *En descendit jam umbra per X. gradus* : quasi in scalis templi regiis, ) *Quam* ille *rem Regi, tanquam apertam, primum* ita *in memoriam revocet, utpote ex quotidiano usu, circa meridiem, ad occasum solis, omnibus, & ipsi Regi, notam*: quasi verba nunc sequentia duntaxat, *interrogandi* sensum, hunc scilicet, habeant : אם ישוב *Redeatne* (*umbra*) *per X. gradus* ? q. d. *Credisne, te sequenti die, circa idem hoc diei tempus adhuc Victurum* ? Quale quid *Regi signum esse debuerit indubitatum, sanitatis tertio die restituendæ Vitam Regis in crastinum servatam, Regi signum fore* sanitatis perendie *recuperandæ*. At, communis omnium interpretum expositio dicti versus 9. *An beatne ista umbra X. gradibus; an vero retrocedat X. gradibus*? confirmatur invicte ex v. seq. 10. ubi Rex Ezechias ad interrogationem istam Prophetæ respondet : נקל לצל לנטות עשר מעלות לא כי ישוב הצל אחרנית עשר מעלות *facilius est umbræ descendere X. gradibus* : *non* hoc : *sed redeat umbra iterum per X. gradus*, videl. quos jam decurrerat. Quæ responsio, extra controversiam bipartita, ad interrogationem antecedentem in continenti data, & relata, illam omnino quoque bipartitam fuisse, clarissimè indicat, eamque sic, ut ante dixi, & communiter fit, oportere transferri; non vero, cum Nostro, partem priorem, *asseverandi*, at posteriorem tantum *interrogandi* sensu esse vertendam, (dixissem penè, pervertendam,) verbaque sic

in

in ſenſum, quem ſubſequens ſtatim reſponſio reſpuit atque ipſa refutat, detorquenda.

Sed audiamus tamen, quomodo verſum hunc 10 hypotheſi ſuæ accommodare voluerit Auctor doctiſſ. Ille ibi reſponſum Ezechiæ ad Vatis interrogationem, v. 9. (prout ipſe eam ſuprà expoſuit,) ita interpretatur: „*Facile fuit umbræ, deſcendere* hactenus *X. gradibus*, q. d. quam facile hodie fuit, umbram „ eò usq; deſcendiſſe, ut decem illos obſcuraret „ gradus, tam facile video, me ab umbra mortis occupandum, obſcurandum: me mortis „ umbrâ hodie obruendum facilius fore, ſentio, quam vitam in craſtinum ſervaturum. „ Quem in ſenſum & reliqua verba ita expo„nit. *Non* ſentio, *quod reverſura* ſit umbra „ denuo per X. hos pontis *gradus*, me adhuc „ ſuperſtite, quos hodie permeavit me vivo. Quæ certe quam coacta ſit interpretatio, quamque multa, ad ſenſum iſtum gignendum, textui inferciat, monere haud opus eſt. Nec graviter adeo feret Vir doctiſſ. quod calculum ei noſtrum adjicere non poſſumus. Quare certum manet, imo certiſſimum, *prodigium* hic utique aliud fuiſſe, quam ſubitam Regis decumbentis reſtitutionem, umbræ nimirum in Solario reductionem, per divinum miraculum factam, nec inde jam porro negandam, quod Rex in Carmine ſuo Eſa. 38: 10-20. ſolam *Dei gratiam, qua in deſperato morbo vita ipſi ſervata ac reſtituta* erat, prædicaverit,

rit, nulla vel *Solis* vel *umbræ* injecta mentione; quasi propterea *prodigium* hic fuerit *nullum*, *nisi in sanitate tam cito a Deo restituta, ubi nulla spes superfuerat.* Quod profecto prorsus ἀκόλυτον est cum, sic ratiocinando, negari quoque posset, nec *vitam Regi in XV. annos esse prolongatam*, quia nec illud ille beneficium, tam licet ingens ac grande, speciatim memorasse & ἀυλολεξεὶ prædicasse ibi legitur.

Quod vero Autor Cl. demonstraturus, totam vim *signi* hic in eo fuisse positam, quod Deus regem perendie sanitati esset redditurus; *veram & genuinam signorum rationem*, dicit, postulare, *ut rebus conveniant, & rem omnem exacte effigient, seu comparationem referant cum re, de qua sermo est: quod sicuti signum rem designat, ita illi, qui signum dant vel accipiunt, simile etiam exemplum, seu rem simul effigiatam, comprehendant; & ut sub eventus augurio similitudo rerum sit manifesta*: si vel maxime concedam, non tamen vel sic vincet, licèt in ipsius interpretatione sola illam inter signum & rem signatam comparationem ostendi posse, putet. Ita enim instituit: Esaias, *signum valetudinis reversuræ, & perendie in templum redituri Regis*, daturus, „signum promissionis, *symbolumve* aut tesseram *ab illis* sumit *gradibus, per quos Rex antea „in templum pro more conscenderat. Descendisse* „nuper per illos gradus *Regem*, lecto nunc „affixum: *Vitam Regis inclinare*, ad exitum de„scendere cœpisse. *Adscensurum* perendie

Re-

*Regem* per eosdem gradus : *Vitam Regis pri-*“
*stinam* eodem modo *redituram*, valetudinem-“
que incrementa sua sumturam. Porro *solem*“
illo colloquii tempore omnino *ad vesperam*“
*inclinare*, & ad abitum properare : *Regis vi-*“
*tam serenam defeciſſe pene* ad exitum, ad occa-“
sum tendere, parum utique superesse, quin“
exspiret, ad similitudinem occidentis Solis.“
Aſt ut *dies redeat cras*, ita & sanitatem Regis,“
*vitam Regis, redituram eras.* Ulterius, *umbram*“
omnes pontis regii gradus tum fermè occu-“
passe, ac ad ultimum ferè jam *descendisse* : Et“
*valetudinem Regis morbidam, umbræ parem*, cur-“
sum suum propè confeciſſe, ac *totos vitæ gra-*“
*dus occupasse* : Mox cum Rege actum iri, ut“
umbra totum occupet locum. Aſt, sicut“
umbra altero die iterum appareat, ita & Re-“
gem, morbo licèt affectum, cum umbra“
mortis luctantem, cras omnino superfutu-“
rum :

Annon vero hæc ipsa pleraque, mutatis quidem mutandis, rectè etiam ad illam signi in confirmationem salutis, brevi reddendæ, dati, rationem, qua illud de umbra, in solario jam ad finem ferè progressa, & reductâ, explicatur, accomodari possunt ? Hominis sanè vita, *umbræ* comparatur rectiſſime (v. 10. c. 14: 2. Cap. 5: 9.) imo *umbræ horologii.* Ultimum tum vitæ tum horologii spatium, *hora* dicitur *ultima.* Rursus, vita *Regis* perquam appositè *horologio regio* assimilatur. Retro-

ces-

cessit *umbra*, quæ cadebat *in solario Ahaſi*; (sic enim cum aliis non minus congruè reducemus verba Esa. 38: 8. במעלות אחז בשמש quam Cl. Autor, vocem ibi postremam, שמש *Sol* cum longius antecedente voce צל *umbra* conjungens, transfert, *Umbram cum sole in gradibus Ahaſi recurrere fecit*; simul tamen addens, צל בשמש esse quoque *umbram solarem*: quidni ergo & מעלות בשמש *gradus solares* S. Solarium?) retrocessit similiter vita, quæ cadebat in *Ezechia, filio Ahas*. Denique, quam facile esset Deo, efficere, ut umbra, quæ complures jam gradus descenderit, aut per loca vel spatia sua iverit, retrogrediatur, seu eadem loca, quæ decurrerat, nunc retroducta denuo percurrat; ita divinæ potentiæ æquè integrum esse ac facile, efficere, ut vita Regis, jam declinans, umbra vitæ Regis, sanitate redditâ, in gradus annosve præteritos quasi referatur ac restituatur, denuò emetiendos. Parem Dei esse virtutem, quâ Regem, morbo exhaustum, umbræque similem, valetudini pristinæ restituat, ac umbram in pristinum locum solarii regii revocet & reducat. Reversuram esse umbram, reversuræ Regis vitæ imaginem &c.

Sed uti nova hæc novi Auctoris hoc de prodigio sententia admitti non potest, ita nec illa, quæ ipsum etiam Solem tunc retrogressum statuit, ullam veri habet similitudinem. Perperam enim in cœlo ponitur miraculum, quod

quod in *solario* tantum Ahasi fuit; solâ quippe umbrâ, tunc extraordinariâ Dei virtute per X. gradus retroductâ. Quid enim? oportuitne solem etiam retrocessisse in cœlo, quia umbra retrocessit in horologio? Potuitne Deus facere miraculum in Ahasi solario, quin violentâ admodum commotione ipsum etiam cœlum universum averterit, & retrò simul abierit generalissimus rerum ordo in toto orbe? Et enim, si ipse etiam *Sol* retroactus est, vel retroactus ille est in Zodiaco; vel, immoto illo, quem sol tunc tenebat, ellipticæ gradu, *primum*, quod vocant, *mobile* simul retrocessisse dicendum est, cumque eo omnes itidem sphæras, vel, si mavis, vortices inferiores; quo ipso tunc ipse etiam Sol simul retroit. Sive jam hoc, sive illud, dicamus, absurda dicemus. Quòd si enim Sol in Zodiaco solus retroversus statuatur, & dextante Zodiaci, eadem videlicet proportione, qua retroactus esse dicitur in horologio Ahasi; oportuit utique solem plurima Zodiaci signa quæ isto anno emensus jam fuerat, remensum, præteritos menses, imò & tempestates anni elapsas, horæ momento rediisse. Id quod horrendum confusionis & absurditatis foret monstrum.

At, si quis omnes cœli sphæras s. vortices retro abiisse dicat, ut umbra in horologio retrocederet, is ipse retro abiisse dicendus est, non dicam a vero, sed ab omni veri specie.

Illud

illud enim fuisset universam interturbare naturam, prorsus disturbare constitutum rerum ordinem ac seriem, ortusque conturbare & occasus siderum, Ephemerides evertere, Canones ac tabulas Astronomicas, totamque confundere Astronomiam. Ecquis verò omni ævo tantarum turbarum, hujusque perversionis & confusionis omnium naturalis ordinis legum meminit? Neque enim vel accuratissimæ pariter ac antiquissimæ Observationes Astronomicæ, tum *Babyloniorum*, annos jam MDCCCCIII. ante expeditionem Alexandri M. Asiaticam elapsos, complexæ (PORPHYRIO apud SIMPLICIUM, in L. 2. Aristot. de *Cœlo*, Comment. 46. p. 123. authore,) tum *Sinensium*, annis ferè MMDCC. ante Christum natum (ex MARTINII relatione, L. 1. *Hist. Sinicæ*, & in *Præfat.*) consignari cœptæ, hujusmodi ἀνωμαλίας motus cœlestis vel uno verbo meminerunt. Quemadmodum & USSERIUS l. d. fol. 58. cœlestium corporum motum non tunc fuisse mutatum, per ordinarias ecclipses lunares, ex PTOLOMÆI observatione, demonstrat; etsi diem civilem aliquam habuisse ἀνωμαλίαν, existimat. Et de Babyloniis res vel ex ipsa Scriptura S. etiam certa est, quippe testante, legationem posteà a Rege Babyloniæ esse missam, *ad interrogandum de portento, quod in terra* Judaica *evenisse*, fama acceperat. Notandum, quod dicitur *in terra*, non,

in

in cœlo. Nihil etenim hujusmodi in Babylonia fuerat obſervatum, quia ſic de portento iſto in Judæa ſciſcitari opus non habuiſſent. Reducendum igitur omnino miraculum eſt ad ſolum Ahaſi ſciatericum; quod & a Scriptura S. expreſſe jubemur, collatis inter ſe locis 2. Reg. 20: 11. & Eſa. 38: 8. Ibi enim *Dominus* perhibetur *reduxiſſe* UMBRAM *per lineas, quibus jam deſcenderat in Solario Ahaſi, retrorſum X. gradus:* (Ubi miraculum hoc clariſſimè deſignatur in dicto Ahaſi *ſolario*:) Hic verò Eſaias auctor eſt, *retroverſum eſſe ſolem X. lineis, per gradus quos decurrerat.* Quibus locis, reductio *umbræ* & regreſſus *Solis* unum idemque ſunt; cum nec *umbra reduci* potuerit, quin Sol reverteretur, neque viciſſim *ſol regredi*, quin reduceretur umbra. Id quod & apud Eſaiam d. l. verbis proximè antecedentibus v. 8. innuitur, ubi ait Dominus: *Ego reducam umbram linearum per quas deſcenderat in gradibus ſolaribus* (ſolario) *Ahaſi*, vel, *in gradibus Ahaſi cum ſole. Sol* enim ibi non ipſam ſolis ſubſtantiam deſignat, ſed lumen, quod ille in corporum ſuperficies, quas ferit, effundit: quale & in omnia ſolaria effunditur, adeoque & in ſolarium regis tunc effundebatur. *Lineæ* porro iſtæ, quarum ut ubique locorum fit mentio, ſuper area ſolarii erant deſcriptæ ab umbra gnomonis vel ſtili, ſecundum artem horographicam ex ipſa ſciaterici area erecti. Linearum vero iſtarum præcipuæ notatæ erant duodecim, vel etiam,

ut JUNIUS aliique ad h. l. obſervant, viginti minimum quatuor, (gradus enim viginti quatuor, adeoque ſingulos πρὸς τὸ ἡμιώριον ſaltem, deſcriptos fuiſſe, ex numeri denarii duplicatione videtur colligendum, quâ uſus eſſe Vates videtur, cum Regi optionem ſigni daret, v. 9. 10.) quæ totidem ſciaterici gradus, ſive horas aut potius ſemihoras, (ſi non quadrantia,) indicarent: cum interim umbra ſtili, totam illius aream ſucceſſivè percurrendo, lineas alias innumeras deſcriberet, quibus non minuta ſolum & minutula, ſed & minutiſſima graduum puncta ſignarentur. Lineæ verò iſtæ, uti dixi, promiſcuè hic *umbra* & *Sol* appellantur; quia revera ex umbra & ſole in ſolariis deſcribuntur & componuntur, ſalvis Geometrarum regulis, qui *lineas* definiunt, *puras*, nec compoſitas, *longitudines*. Neque iſtæ lineæ proprie vel *umbræ* vel *ſolis* appellatione venire poſſunt, ſed verius extremitates & diſtinctiones individuæ ſolis & umbræ, appellarentur, cum in illis ultima pars ſolis, prima ſit umbræ; ut & ultima pars umbræ, prima eſt ſolis. At quis unquam Mathematicus tales ſibi lineas in *cœlo* finxerit, ſi Eſaiæ verba de ſole ipſo, non vero de lumine, quod in horologium effundebatur, accipiantur? Certiſſimum itaque eſt, totum hujus miraculi, omnino quidem ſtupendi, negotium in ſola umbra, & horologii iſtius area, eſſe verſatum; cum d. 2 Reg. 20: ubi, ceu juſto loco ſuo, res omnis ex inſtituto enarratur, v. 9.

10.

10. 11. ſimpliciter ac ſemper *umbræ* tantum, non vero *ſolis*, fiat mentio, & ſpeciatim ibi v. 10. exſertè *umbram in gradibus* Deus *reduxiſſe* dicatur: cum dicendum alias fuiſſet, ipſum *ſolem* eſſe retroverſum. Et, quamvis Eſaias d. C. 38: 8. prodigium hoc ad *ſolem* præcipuè videatur referre; attamen, quod de ſole dicitur, etiam umbræ poſſe tribui, &, non ipſam ſolis ſubſtantiam, ſed ſolis tantum lumen, quatenus, alicunde interceptum, umbram in ſolario cauſabatur, intelligi, ex priori loco, & ſupra dictis omnibus, plus ſatis conſtare poteſt. Sic enim & nihil incommodi hominibus, vel per diuturniorem ſolis urentis æſtum, vel per longiorem frigidæ noctis moram, creabatur. Quin & ipſe uſus,

*Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi,*

in communi ſermone ita fert, ut ſolis ſplendor, quem ille in corporis alicujus ſuperficiem fundit, *ſolis* quoque ipſius appellatione veniat. Adeo ut & *Strato* ille *Sidonius*, apud JUSTINUM, *Hiſtor.* L. 18. à regni competitoribus citra controverſiam, & tanquam ex pacto, Rex ſit ſalutatus, cum, non ſolem quidem ipſum, ſed ejus tantum fulgorem, omnium primus ſummo civitatis faſtigio, orientem contra, oſtendiſſet, ſicque, ut loquitur Autor, *ſolis ortum in occidente inveniſſet*; (quod nimirum ita inter eos convenerat, ut, qui primus ſolem vidiſſet orientem, Rex eſſet)

ceteris fruſtra in *ortum* intentis, ut ſolem ibi conſpicerent orientem. Et recta igitur ratio, & probata auctoritas, una cum Spiritus S. relatione, d. 2. Reg. 20. volunt ac jubent, ut hocce miraculum in ſolo *Ahaſi* ſolario intelligamus, in quo decurrente, uti alias ſolet, ſole, rectoque illius ſitu & immoto ejusdem ſtilo, nihilominus umbra, præter ordinem & naturalem effectum ſolis & umbræ, per miraculum, & modo nobis incognito, decem gradibus retrorſum acta fuerit. Ut adeo decipiantur, qui ſolem cœlumque ipſum retroactum opinantur, prodigium hoc quaſi univerſale totius orbis, in cœlo ac ſole quærentes, quod tamen particulare tantum fuit in terra eaque Judææ, ac ſpeciatim in horologio Ahaſi. Neque enim ſecundum ipſam vel interrogantis Eſaiæ vel decumbentis & reſpondentis Ezechiæ mentem, de ſolis in cœlo, ſed duntaxat de *umbræ* in ſolario Ahaſi regreſſu agebatur. Ille interrogaverat, d. 2. Reg. 20: 9. *Num progredietur umbra X. gradibus? an vero regredietur X. gradibus?* Hic vero reſponderat: *Retrogrediatur*: v. 10: factumque adeo revera eſt miraculum, volente Rege, & precante Deum Vate, non in cœlo, ſed in horologio. Nam additur ibi: *Et reduxit Dominus umbram in horologio Ahaſi.* Nec vero *per miraculum* retrogreſſa eſſet umbra in ſolario, ſi ſol retrogreſſus eſſet in cœlo: quia um-

umbra in horologio motum ſolis in cœlo non per miraculum, ſed per rei naturam, ſequitur.

Unum hoc addo, *facile* aut *facilius* viſum eſſe Ezechiæ, ſi umbra in horologio X. gradibus *declinaret* : non, quod in ſe & revera facilius foret, umbram in ſolario momentô temporis X: gradibus creſcere, qui non niſi totidem horis aut ſemihoris poterant confici: Sed, quia rerum naturæ magis videretur conſentaneum umbram progredi, (quod ordinariè fit ſemper,) quam retrogradi, quod ordinarie fit nunquam, rogavit id, quod minus facile, & majus miraculum poterat videri, ut umbra X. gradibus retrorſum abiret. Non itaque illud facilius viſum eſt Regi *rem ipſam extemporali cogitatione ac reſponſione non ſatis* perpendenti, uti aliis, rem hanc ipſam extemporali forſan cogitatione non ſatis perpendentibus eſt viſum. Vid. JOH. CLERIC. ad h. l. B. MANTISSA, de Miraculo *Solis & Lunæ*, medio cœlo conſiſtere a Joſua juſſorum, Joſ. X: 12. 13. 14. Dubitandum non videtur, quin eadem, quâ modo de reducta Ezechiæ tempore in ſolario Ahaſi *umbra* diximus, ratione explicandum atque intelligendum quoque ſit miraculum *Solis & Lunæ*, *medio quaſi cœlo conſiſtentium in Gabaon*, donec Joſua Amorrhæos, quibus cum

confligebat, ad internecionem deleviſſet. Cum nimirum ille hoſtes, quorum acies Deus O. M. conturbaverat, ab excelſis Gibeon in declivia Beth horon fuſos, inque vallibus nunc effugium quærentes, ad internecionem perſequi atque exſcindere vellet, metueret vero, ne feſtina nox ingruens ferro eos & ultioni ſubtraheret, divino percitus Zelo cœlum verſus exclamabat: *O Sol, morare ſupra Gibeon, & tu Luna, ſupra vallem Ajalon!* *Moratique* hoc dicto dicuntur *Sol & Luna, donec ultionem ſumerent Iſraelitæ de hoſtibus ſuis*, ſicque *juſſo hominis Deum paruiſſe.* *Conſtitit* namque *Sol*, ut divinus Scriptor ait, *in medio cœli, & non feſtinavit occidere ſpatio unius diei.* Etſi enim primum hæc legens induci facilè poſſit, ut dicat, ipſum *in cœlo ſolem* reapſe ſtetiſſe, vel ita verba iſta eſſe intelligenda; ſi tamen totam miraculi rationem attentius perpendat, facili deprehendet negotio, miraculum debitos intra limites continendum, *ſolemque*, hoc etiam loco μετωνυμικῶς, non ipſam ejus ſubſtantiam, ſed lumen ſolum aut fulgorem, deſignare. Ita enim hic ſtatuere vel ipſa illa jubent verba, quibus *ſol in medio cœli* conſtitiſſe dicitur. Nam cum Joſua ſolem juberet morari, is certè jam minabatur occaſum, quod & ratio ſuggerit, & ipſa divini Scriptoris verba innuunt, ubi ait, ſolem poſtea ad *occaſum non feſtinaſſe*, לא אץ לבוא ut ante jam fecerat. Quapropter tunc, præciſe loquendo,

do, in *medio cœli*, in quo non amplius fuit, ſtare Sol non potuit; cum *occaſus* a cœli medio toto diſtet quadrante. Et conſtat, apud Ebræos alias etiam voces *medium* denotantes, קרב & תוך ſæpiſſimè vel nihil ei, quo cum conſtruuntur, addere, vel ſaltem non præciſè *medium*, ab extremis æqualiter diſtans, ſignificare. V. Lev. 16: 29. Deut. 21: 12. Gen. 48: 16. Jer. 23: 9. Accipiendum igitur ſic illud miraculum videtur, ut, cum *Sol* quidem ipſe, ejusve corpus, horizontem reverà ſubiret atque juſto tempore occideret, nec adeò naturalis rerum ordo motusque cœleſtis ordinarius ceſſaret aut turbaretur, (quale quid ſi factum tunc fuiſſet, Obſervationes cœleſtes Aſtronomorum veterum, ſuprà memoratæ, quæ Joſuæ ævo omnino antiquiores extiterunt, ingentis ejusmodi cœleſtis motus ἀνωμαλίας utique meminiſſent) ſolis tamen, ſine ipſo ſole, fulgor, per maximum ſanè miraculum, Deique παντοκράτορος virtutem, in atmoſphæra, vel illa regione vaporum, quæ urbi Gibeon cœli aërisque medio incubabat, ſupereſſet; hic verò ſolis fulgor Gibeon urbem & montem perpetim verberaret, ita ut radii ex iſto fulgore reverberati convalles circumjacentes colluſtrarent, ſicque Amorrhæi Joſuam cum ſuis acerrimè illis inſtantem effugere atque evadere nequirent. Adde, quod Joſua dixerit, *Sol, ſupra Gibeonem morare!* Ex quo licet colligere, Solem occiduum montem op-

positum Gibeon tunc illuminasse, adeoque non omnes horizontis plagas; quas ille certè conspexisset, si revera in medio cœli stetisset. Deus itaque in *monte Gibeon*, non in omnibus horizontis locis, stupendo utique miraculo, eundem, quô Sol occiduus in monte illo, locisque adjacentibus, rutilabat, fulgorem retinuit, vel potius, ratione atmosphæræ, &, quæ in illa fiunt, radiorum luminis refractione solis occidui species supra horizontem adhuc apparuisse & mansisse dicenda est, licet sol revera jam occidisset. Quemadmodum Batavi in extrema boreali regione, (Novam Zemblam appellant) post noctem duorum cum semisse mensium continuam, solem denuò sibi conspexisse visi sunt aliquot antè diebus, quam ille secundum leges astronomicas supra horizontem adscendere potuit, aut reapse adscendit: quoniam atmosphæra, per radiorum solarium refractionem, solis speciem, ante ipsum solem, eis tantisper præbuit conspiciendam, illisque sic solis species aliquot diebus, pro sole ipso, illuxit. De cujus phænomeni ratione PETRUS GASSENDUS videri inter alios potest, L. I. *Instit. Astronom.* c. 19. Quando jam porro dicitur, *solem* tunc *non festinasse occidere spatio unius diei*, spatium ibi diei unius non integrum, sed quasi integrum, intelligere nos oportet: Cum & in Ebræo fonte revera sit יום תמים *quasi die integro*. Evanuit nimirum paulatim *solaris*

ris ille fulgor, qui in monte Gibeon rutilabat; & splendor, *lunari* similis, in valle Ajalon solari videtur succesſisse, donec internecione deleti hostes essent. Quo sensu accipiendum, credo, illud: *Luna, supra vallem Ajalon morare!* Sic igitur istic locorum *nec antea fuit, nec postea erit, tam longa dies*: cum *una* illa *dies quasi duo facta sit*: uti Ecclesiastic. 46: 6. dicitur.

Quanquam sub alio cœli climate, & in *sphæra*, quam dicunt *obliqua*, dies plurium dierum, imo sub *sphæra parallela*, continuum sex mensium dari diem, certissimum sit: Quare miraculum hoc solis a Josua detenti, non tam *in* cœlo quam *sub* cœlo, vel in terra, poni oportet atque intelligi: nec tamen in universa, sed in sola Gibeoniticâ: In qua certè neque antea fuit, neque post unquam erit, tam longa dies, seu tam longa lucis quasi diurnæ usura. Miraculum itaque, tum hic, tum & illic sub Ezechia, solâ præpollentis Dei virtute factum omnino esse, dubitandum non est; etsi neutrum vero majus, aut rationi prorsus repugnans, (aliud sanè est, rationem superans) credi necesse sit; sed suos intra limites coërceri utique debeat,

*Ultra quos citraque nequit consistere verum:*

ne, vel hâc vel illâc extravagantes, atheis nos & empæctis ludendos propinemus & deridendos. Lector benevolus de his cogitationibus judicet, & quod rectius videbitur, teneat. Conferre ceterum hoc de miraculo licebit PFEIFFERUM, *Dubb. Vex.* Cent. II. Loc. 49. CALOVIUM, Bibl. Illuſtr. in h. l. MELCH. LEIDEKKERUM, de *Rep. Ebr.* L. 4. C. 18. BUDDAEUM, *Hiſt. Eccleſ.* V. T. p. 228. ſſ. nec non, ex Judæis R. Iſaacum ABARBANELEM, in pecul. *Diſſert.* a Jo. BUXTORFFIO latinè redditâ, ejusque *Diſſertationibus* ſubnexâ, num. IV.

III.

III.

# *Jacobi* STAALKOPFFII,

## Obſervatiuncula

## *in 1. Joh. IV. 13.*

### SYNOPSIS.

§. 1. Epiphanii ſimilitudo hæreticorum indolem adumbrans exponitur. §. 2. Impia Spinoſæ pietas depingitur §. 3. 4. & 5. ejusdem detorſio Scripturæ generatim notatur, & ſpeciatim Oraculi Joannei abuſus refellitur. §. 6. Formalis ratio Unionis myſticæ traditur. §. 7. Deificatio & Chriſtificatio Fanaticorum rejiciuntur. §. 8. Renovatio ſive Sanctificatio ſpeciatim ſic dicta, ceu unionis myſticæ conſequens paucis deſcribitur. §. 9. Diſcrimen inter vitam fidei & oſtenſionem hujus vitæ intercedens oſtenditur & §. denique 10. Spinozæ locum Joannis neutiquam favere, repetitur.

### §. 1.

EPiphanium, priſcæ Doctorem eccleſiæ meritorum gloria inclytum, hæreticos peſtilentiſſimarum virus opinionum, undiquaque paullo liberius ſpargentes, eodemque ſimpliciores non uno miſere turbantes modo, cum certa ſerpentum ſpecie, quæ ſepedonum ipſi venit nomine, admodum ſcite legimus contendiſſe. Hos ipſos autem ſerpentes, velleribus

ribus ovium instar equidem vestitos, nocentissimo tamen instructos esse veneno, tradit Antistes longe celeberrimus. Neque fundamento carere comparationem hancce, verum eleganter satis, cum genio, vafrisque hostium veritatis artibus, convenire, quilibet eorum, quæ in hac rerum universitate geruntur, vel aliqua saltem ratione gnarus, probe habet perspectum pariter atque exploratum. Etsi enim homines isti, innoxiam prorsus præ se videantur ferre simplicitatem, exquisitior tamen nequitiarum quibus orbi illudunt, consideratio, anguem sub herba latere docet. Quapropter dignam homine Christiano prudentiam, a Servatore nostro vehementer suis commendatam discipulis Matth. X. 16. (a) hic requiri nemo non videt.

§. 2. Necessaria inprimis est ista quam laudavi circumspectio, citra periculum animæ in lectione operum Spinosæ versaturo. Hic quippe Diabolicam impietatem, quam scripta ejusdem spirant, angelicis pingere verbis stre-

(a) Vide si placet, quæ scripsi tum in Opusculo Ratzeburgi A. 1719. in 8. sub titulo: Zufällige Gedancken/ über einige Oerter der Heil. Schrifft/ und verschiedene andere Materien edito, num. XXV. p. 54. seqq. tum etiam in Ternario Exercitationum Theologicarum Hamburgi A. 1715. in 8. typis excuso Exercit. III. de nimia Theologorum lenitate, ceu insigni peccatorum omissionis exemplo pag. 93.

strenue (b) adlaboravit. De quo vel sola epistola numero XXXIV. ad Guilelmum data Blyenberghium, qua suam egregie adnisus est perorare caussam luculentissimi instar esse po-

(b) Protestationem hanc facto plane contrariam esse inspectio libri unum quemque docet. Quamvis enim ipse Gisbertus Vöetius, magnum olim Ultrajectinæ decus Academiæ, Belgium Libertinorum omniumque Fanaticorum Africam adpellet T. I. Dispp. Selectarum parte quarta Disp. de Atheismo p. 228. magnos tamen ibidem Spinosae tractatus theologico-politicus, non diffitente ipso autore, Epistola XIX. ad Henricum scripta Oldenburgium, excitavit tumultus, ut vel hinc constet, legibus patriæ istam scriptionem neutiquam respondere. Neque id mirum. Execranda quippe impurissimarum semina opinionum, in opere hoc justo liberius spargere est ausus homo profanus. Haut sine caussa igitur celeberrimus Morhofius quærit: Annon tractatus Spinosæ theologico-politicus, omnem elevat librorum sacrorum divinam fidem? Annon miracula omnia exsibilat & explodit? T. I. Polyhist. L. I. Cap. VIII. §. 15. p. 79. Neque præter rem Joannes Christophorus Sturmius V. CL. T. I. Phil. Electicæ Dissert. III. num. 11. p. 162. judicat in hocce Spinosæ libro, nedum scintillam quidem politicæ prudentiæ, nedum theologicæ veritatis, sed ea principia reperiri, quæ utramque pessundatura essent, si vires eundo adquirerent, quam certissime. Accedit sententia Autoris Epistolæ XLVIII. inter Spinosæ epistolas reperiundæ, Philosophum nostrum Deista pejorem pronunciantis & clam tectis ac fucatis argumentis merum Atheismum docere adserentis. Unde quid de pietate tractatus theologico-politici sit sentiendum haut difficulter colligitur.

poterit teſtimonii. Huic ſi picta phalerata que addantur verba, quibus colophonem & præfationi tractatus theologico-politici, ac ipſimet pariter tractatui imponit, liquido & ad oculum patebit, virum huncce, magnam ſimulaſſe pietatem, Adſerit enim, ſe ſedulo curaſſe & adprime, ut quicquid ſcriberet, legibus patriæ, pietati, bonisque moribus omnino reſponderet. Eadem etiam de cauſſa, fronti tractatus theologico-politici ſequentia ex 1. Jo. IV. 13. inſcripſit verba: Per hoc cognoſcimus, quod in DEO manemus, & DEUS manet in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis.

§. 3. Ubi vero liber Benedicti de Spinoza detur, cui ſplendida hæcce reſpondeat inſcriptio, me neſcire ingenuus fateor. Tractatum quippe ejus theologico-politicum, in confuſione mundi cum DEO, & defenſione emanationis rerum omnium ex DEO, totum verſari, ab eruditis & ſagacibus hujus ſcripti lectoribus, dudum eſt obſervatum. Araneæ, ex amœniſſimis etiam floribus, peſtilentiſſimum longe venenum colligunt, & muſcæ candidiſſima pariter lilia, ſuis turpiter fœdant excrementis. Idem Spinoſæ, in laudandis Scripturæ locis, uſu veniſſe, facta ad Joannis verba in fronte commentationis theologico-politicæ provocatio, clare ſatis teſtatur. Sol indurat & emollit. Nonnullas res atro, quasdam autem albo pingit colore. Ignis non-

nonsolum lucet, & calefacit, verum etiam pabulum exurit suum. Rosa nares suavissimo replet odore, & manum aculeis armata, pungit. Idem de Oraculis divinitus inspiratis, propitia veritate potest adfirmari. Alter inde odorem vitæ ad vitam, alter autem odorem mortis ad mortem haurit. Huic venenum est, quod illi pharmacum erat. Sensum sacris ex Pandectis efferenti, lux oritur salutaris. Inferentem vero in Scripturam sensum, spississimæ opprimunt tenebræ. Hic quippe eamdem in propriam detorquet perniciem 2. Petr. III. 16.

§. 4. Bene idcirco de ejusmodi Codicis sacri abusu cecinit, eximius plane, idemque modestissimus (c) Basileensium theologus (d) Sa-

(c) De insigni plane Werenfelsii modestia, dedicationes & præfationes scriptis ejusdem præmissæ, ampliſſimum perhibent testimonium. Eadem pariter sole meridiano clarior dispalescit ex Epigrammate ad amicos, qui ipsum versibus laudarant, dato:

*Nemo fidem vestris habebit laudibus:*
*Hic non amicis, nec poëtis creditur.*

Cognitionem sui ipsius, adeo impense a Chilone commendatam, & erudite a G. J. Vossio, Charrono, Diodoro Tuldeno, Arnoldo Geulingio, Jacobo Abbadio, Lamio, aliis, peculiaribus illustratam scriptionibus, spirant, hæ modestiæ Werenfelsii significationes. Sui ipsius enim notitia, non vanam hominum ambitionem, aut ineptam prorsus superbiam alere; sed

(*d*) Samuel Werenfelsius in fasciculo Epigrammatum (*e*) num XXX. p. 391.

*Hic liber est, in quo sua quærit dogmata quisque,*
*Invenit & pariter dogmata quisque sua.*

Spinosa etenim in Oraculo Joannis; Per hoc cognoscimus, quod in DEO manemus, & DEUS manet in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis, dogma suum, de Numine caussa rerum omnium immanente, quæsivit, & idem invenisse ibi, visus est sibimet. Maledicti quippe atheismi, quo infectus erat, spinæ impediverunt, quominus veram sermonis Joannei sententiam, cernere potuerit; & præjudicatæ Athei opiniones, densissimam intellectui ipsius caliginem offuderunr. Præcipua illarum caussa, voluntas Spinosæ nimium quantum corrupta fuit. Ubi tamen caus-

sed potius mentes mortalium, ad mansuetudinem morum suaviter debet flectere. Modestia hæc, singulare admodum eruditi ornamentum est, cum castam Musarum indolem, nil magis fœdet, ac tetra labe sua inficiat, quam impurissima longe factus contrectatio.

(*d*) Lege de eruditissimo hocce viro Bibliothecam hanc Class. II. Fascic. II. num. 5. p. 309. seqq.

(*e*) Integer Epigrammatum fasciculus sub finem partis secundæ dissertationum varii argumenti Amstelædami A. 1716. 8. typis excusæ, comparet, modestissima Autoris inscriptione, Henrico Wetstenio consecratus.

cauſſam præjudiciorum ejus, a ſubjecto & ſede illorum, crediderim ſedulo eſſe diſcernendam. Haut invitus enim largior, voluntatem cum judicare nequeat, neque perperam aut infirma ratione, quod in præjudicatis fit opinionibus, poſſe ſententiam ferre, inde vero nondum ſequi arbitror, voluntatem, à productione judiciorum hujusmodi infirmorum, penitus eſſe excludendam. In cauſſa ſiquidem voluntas eſſe deprehenditur, quod intellectus debitam conſiderationi rerum non impendat diligentiam. *Adfectibus quippe ſeu motionibus voluntatis ſturbatus homo, non poteſt non a recto veritatis tramite turpiter deflectere.*

§. 5. Exemplo illud ſuo ſpinoſiſſimus oſtendit Spinoſa. Cunctarum ex Numine, quod ſibi finxit, rerum emanatio, Diva fuit, quam impotenter valde amavit ac coluit. Hanc ſemper in ore habuit. (*f*) Hujus colo-



(*f*) Celeberrimus quondam, in Ultrajectina Muſarum ſede, Philoſophus, Gerardus de *Vries*, in Diatribe, de Ideis innatis, Cl. *Röellio* oppoſita p. 123. circa ideas mentis & materiæ Carteſianas, ceu totidem axes, univerſum circumagi Carteſianum & phyſicum & metaphyſicum orbem haut abs re arbitratur. Emanationem, ſi orbis philoſophici Spinoſæ vocaverim axem, a veritate aliena immerito dixiſſe videor. Doctrina quippe hæc de emanatione, jure cen-

res undique petiit, & pigmenta etiam ex sacris haurire Pandectis non neglexit. Idem quod ebrio ipsi contigit. Uti enim ille, infirmissimos quandoque, ad amoliendos lapsus, arripit baculos: ita & hic, siculneis sæpe, ad defendendam mundi ἀποθέωσιν, argumentis utitur: Colores, quibus Divam pingit suam, ætatem non ferunt, & deformitas illius, per laceras hasce vestes, transparet. Locus quippe Joanneus e. c. plane non ad *institutum Spinosæ facit.* Ratiocinium *equidem sequens ex illo fortassis construi posset: Si homines pii manent in DEO,* sequitur, quod modi Numinis sint, & ex *illo* emanarint. Atque verum est prius per Oraculum Joannis. Ergo etiam posterius. Atenimvero quam lubricum istud sit, quilibet probe habet perspectum, me licet tacente. Ipsa scilicet infirmitate sua corruit, & simili hac argumentatione: Si Petrus, Joannes, Paulus, manent in ædificio quodam, sequitur, quod modi illius ædificii sint, & ex eodem emanarint, felicissime potest everti.

§. 6.

censetur esse fundamentum ac anima, ab Atheo nostro, nomen indeptæ suum, rationis philosophandi. Fons est, ex quo omnes impietatis Spinosisticæ rivuli scaturiunt, & centrum in Spinosismi circulo meretur salutari. Hinc eidem ubique, impius Euclides, suo adesse voluit patrocinio.

§. 6. Oraculum ad hæc Joanneum, de myſterii (g) plena, ſpeciatim ſic dicta, unione myſtica præcipit. Conſiſtit vero hæc, mentes miſerorum longiſſime ſuperans mortalium, Beatiſſimi Numinis, cum credentibus arctiſſima conjunctio, in adproximatione eſſentiæ divinæ, ad eſſentiam humanam (h) Unde & unio eſſentiarum, non vero unio eſſentialis adpellatur.



(g) Omnia prorſus myſteria, eliminare conantur Rationaliſtæ, in quorum claſſem referri merentur, Latitudinarii quos Anglia educavit Theologi, ſatis in doctrina lati, ac in *Diſcurſu* Anglico de Religione Friderico Spanhemio filio judice in Elencho Controverſiarum p. 628. nimium rationi humanæ tribuentes, circa fidei Chriſtianæ myſteria, aut certe myſteriis hiſce tribuentes oppido parum, charitati & operibus omnia. Neque illorum catalogo eximendus erit Anonymus Grœninganus, cujus idem Spanhemius l. c. p. 665. ſeq. facit mentionem, cum & ille, nulla dari in Scripturis contendat myſteria. Præcipue vero Joannes Tolandus atro notandus eſt carbone, propter librum, de Chriſtianismo myſterii experte, editum, meritoque ſuo, poſt Norriſium, Edwardum & Brownium, in Academia Ienenſi, duabus caſtigatum *Diſſertationibus*, a CL. Lungershauſen. Addatur huic, erudita non minus quam pia CL. Heckingii *Diſſertatio*, de uſu myſteriorum fidei practico, Ienæ olim ſub moderamine celeberrimi Buddei habita.

(h) Confer Ioannis Iacobi *Quandt*, V. C. Theorema Theologicum de adproximatione Spiritus Sancti ſubſtantiali, autoresque in eadem laudatos.

§. 7. Abſit igitur, ut eamdem cum ebriis atque inſanientibus Fanaticis, in monſtri plena Deificatione, abſurdiſſima longe Chriſtificatione, aut inepta abyſſali cum Deo identificatione poſitam eſſe doceamus. Fluunt autem hæcce talia ſententiarum portenta, ex impuris Theologiæ myſticæ lacunis. Parens monſtroſi hujus fœtus eſt Plato, Philoſophus Gentilis, Tertulliano hæreticorum quorumvis Promuscondus haut præter rem ſalutatus. (i)

§. 8.

(i) Platonem ſecutus eſt Clemens Alexandrinus, qui ſub finem Seculi II. poſt Servatoris Benigniſſimi nativitatem floruit, & hac ipſa quoque doctrina diſcipulum ſuum Originem Adamantium imbuit, cujus de Platoniſmis Menſem quintum Pietiſticum E. Friderici Chriſtiani Bücheri legiſſe haut præter rem erit. Neque claſſe hac excludendus Philo Iudæus, etſi in contrarium varia adferantur a Ionſio & Buddeo. Celeberrimus quippe Hamburgenſium Polyhiſtor, J. A. Fabricius, Platonismum Philonis, peculiari adverſus Ioannem Ionſium *Diſſertatione*, Lipſiæ A. 1693. edita, oſtendit. Ab his propagata deinceps per alios impura hæc Theologia eſt ad Ioannem Taulerum, Io. Rusbrochium Io. Labadium, Antoniam Bourignoniam, Michaelem Molinoſium, Cardinalem Petruccium, alios. Noſtra inprimis ætate, eamdem ſummo cum ſtudio excoluerunt Fenelonius, Poiretus & Arnoldus. Ceterum de Theologia myſtica egregie diſſeruit, Vitembergenſis Academiæ Præſidium, Theologus celebratiſſimus, Gottlieb Wernsdorfius ſingulari Diſputatione Vitembergæ A. 1712. 4. typis excuſa.

§. 8. Unionem mysticam statim sequitur, & quam proxime excipit Renovatio, quam alio nomine sanctificationem adpellare moris est, & quidem habitualem, ut ab imputata, quam fideles in justificatione nanciscuntur, distinguatur. Mediante hac Renovatione sanctum Flamen, hominis peccatoris intellectum, indies magis magisque, pellucidissimo verbi divini jubare collustrat, voluntatem corrigit, & habitationem suam successive a vitiorum sordibus purgat. Fluit hinc deinceps in Christianis γνησίως talibus, fervidissimum bona patrandi opera studium. Hæc quippe debitum status filiorum DEI sunt, quibus illi, vitam fidei, quam divina illis clementissime & liberalissime indulsit benignitas, demonstrant.

§. 9. Aliud enim est vita fidei. Aliud ostensio vitæ fidei. Prior in fiduciæ plena meriti Servatoris adprehensione consistit. Posterior autem, in adsidua & sedula bonarum effectione actionum, est sita. Pulcre hæc in prima quam scripsit epistola divus ostendit Joannes, Capite V. comm. 20 scribens: Scimus filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum illum, & simus in vero illo, in ejus filio, JEsu Christo & Cap. IV. vers 12. & 13. inquiens: Si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat, & charitas ejus adimpleta est in nobis. Per hoc co-

cognoscimus, nos in eo habitare & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis. Per fidem igitur sumus in DEO, pariter & CHRISTO, quia mediante fide CHRISTUM induimus, & ope illius, dulcissimo Salvatori nostro, ceu viti inserimur spirituali. Ex charitate vero cognoscimus, arctissimam DEUM inter & nos dari unionem, quia illa proximum est consequens unionis mysticæ.

§. 10. Licet ergo vi hujus conjunctionis, Supremum Numen sit in homines & creatura rationalis vicissim in Benignissimo Conditore, exinde tamen nondum sequitur, hominem esse modum, adfectionem & partem rerum moderatoris omnium, cum unio hæc non naturalis aut essentialis, sed singularissima potius & sit & adpellari mereatur.

S. D. G.

IV.

# Hodiernus Academiae (a) *LAUSANNENSIS* Status, qualis fuit A. clɔ lɔcc XX.

L'academie de Lauſanne eſt compoſeé de 7. Profeſſeurs & des 2. premiers Paſteurs de la Ville.

## Les Profeſſeurs ſont

I.

MOnſ. *David* CONSTANT Profeſſ. en Theologie : né a Lauſanne le 15. Mars 1638. Fut reçeu miniſtre du S. Evangile en 1660. & appellé peu de temps apres a l'Egliſe de Coppet par Monſ. LeComte de Dho-



(a) Illuſtris haec ſchola a. 1537. ab illuſtribus reipublicae Bernenſis Proceribus conſtituta eſt. Abundavit magnis ſemper Viris. Vixere enim in hoc loco Petrus *Viretus*, Theodorus *Beza*, qui heic Pſalmos Davidicos numeris Gallicis adſtrinxit. Fr. *Hottomannus*, Cœlius Secundus *Curio*. Aemilius *Portus* Cretenſis, Wilhelmus *Bucanus*, Gabriel de *Petra*, Elias *Merlatus*, alii, Ante aliquot annos non parum illi deceſſit ornamenti, quando celeberrimus Barbeyracus hanc Muſarum ſedem cum incluta Groningâ commutaret. T. d. H.

na, qui en estoit alors Baron. En 1674. il fut appellé pour etre Principal de College de Lausanne.

En 1684. Il fut fait Professeur en Grec & en Morale

En 1702. Il fut fait Professeur en Theologie & Dieu luy fait la grace d'exercer encor cet employ sans incommodité, quoy qu'âagé de 82. ans passés.

Ses Ouvrages Latins Imprimés sont,

*Systhema* Ethico Theologicum 25. disputationibus.

Lausannæ 1695. &c. in 16.

*Dissertationes* de uxore Lothi, Rubo Mosis & serpente æneo. 1693. 4. Lausannæ.

*Transitus* per mare rubrum in 4. Genevæ 1690.

*Florus* cum notis Philologicis & Historicis Genevæ 1684. in 12.

*Cicero* de officiis, senectute, amicitiâ, Paradoxa: somnium Scipionis cum notis, Genevæ 1688. in 12.

*Erasmi Colloquia* cum notis Geneve 1684. in 12.

Les Ouvrages François sont.

*Traitté* de la Providence Leyde 1679. in 12.

*Abregé* de Politique Cologne 1686. in 12.

*Discours* sur se voeu de Jephté 1700. in 8.

-- -- -- sur le figuier maudit. 1700. in 8.

-- sur

-- -- -- sur S. Paul avorton 1700. in 8.
-- -- -- sur les degrés de Gloire 1717. in 8.

Sermons sur la folie de la predication, sur l'arc en Ciel, sur le regard salutaire, sur la vocation de Moyse.

Il a encor un *Traitté de Juramentis in S. Script. memoratis*, qui est pret a mettre sous la presse.

2. M. Albert ROY Professeur en Theologie, à present Recteur de l'academie : est agé de 57. ans. Apres avoir exercé le S. Ministere pendant 15. a 16. années dans les Eglises de Burtigny & de Coppet; a esté etabli Professeur en Hebreu & en Grec lán 1700. & Professeur en Theologie au commencement. de 1702.

Il a fait imprimer 34. Dissertations Academiques assés longues sour le tittre *d' Exercitationes Theologicæ*, & il a dessein de donner par ce moyen un systheme de Theologie instructif & dechargé de plusieurs controverses assés inutiles & des questions vaines des Scholastiques, & en meme temps déxpliquer les matieres d'une maniere simple & claire de maintenir la verité Evangelique, en se proposant toujour dáller a l'union & a la paix.

Il pense a donner dans la suite, si le Seigneur le permet, un Traitté un peu etendu *De Ministerio Evangelico*.

3. M. Jean Pierre CLERC, Professeur en Eloquence est né a Yverdun le 6. Janvier 1648. Il a exercé le ministere dans les val-

lées de Piemont & pendant 6. années dans l'Egliſe de Berchier. Il fut appellé de la pour etre Principal du College & Profeſſeur en Eloquence le 11. Aouſt 1682.

Il a fait imprimer une petite Declinaiſon Latine pour l'uſage du College & a diverſes fois des vers Latins ſur differents ſujets.

4. M. Jean Pierre De CROUSA, Profeſſ. en Philoſophie Theoretique & en Mathematiques, agé dénviron 58. ans, a exercé le miniſtere dans l'Egliſe de Lauſanne 14. ou 15. ans & fut fait Profeſſeur en Philoſophie Theoretique au mois de Juin 1700. Environ 10. ans apres il commenca ſes leçons publiques de Mathematique.

Il a fait imprimer une Centaine de Diſſertations Academiques pour etre le ſujet des Diſputes publiques & qui roulent ſur diverſes matieres de Philoſophie. Il a donné en François les ouvrages ſuivantes, *ſyſteme de Reflexions* & ou *Nouvel Eſſay de Logique* Amſterdam 1712. 8. Tom. 2. dont il doit paroitre bientot une nouvelle Edition, ſous le tittre de *Logique* en 4. Vol. de meme forme que les precedents.

*Un Traitté ſur la nature & les principes du Beau* Amſterdam 1715. in 12.

*Diſcours ſur l'utilité* des mathematiques & ſur la methode de les etudier avec fruit, *avec un Eſſay d'Arithmetique* demontrée d'une maniere tres aiseé a Amſterdam 1715. in 12.

Il a auſſi *examiné le Diſcours dún Anglois ſur*

*la*

*la liberté de penſer*, & ôu ſous ce ſpecieux pretexte on travailloit a renverſer la Religion, le livre eſt imprimé Amſt. 1718. 8.

Il a fait une ſatire de la vie humaine & a taché de mettre devant les yeux des hommes une partie de leur ridicule dans léducation de leurs enfans; dans un petit traitté qui a pour titre *nouvelles maximes pour l'Education des Enfans.*

On ſait l'accueil quón afait a ce petit ouvrage dans les Pays Etrangers: Il n'a pas eſté moins bien reçeu dans celuy de l'autheur, ſi l'on en excepte un tres petit nombre de gens, qui ont cru y trouver matiere a faire eclatter l'envie, qúils portoyeent depuis long temps à ſon autheur.

Il metra ſous la preſſe cette année un *Traitté* ſerieux *de l'Education* ou il entrera dans de grands details, il ſera environ de la groſſeur de L'eſſay de Logique. Il preche de temps en temps & il a entrepris d'etablir demonſtrativement dans divers ſermons la verité de la Religion Chreſtienne & de la defendre contre les objections. On en verra bientot paroitre un petit Volume. On L'a prié de donner ſa Logique en Latin: Il en compoſe une dans cette langue, mais ce ſera plutot une nouvelle compoſition qú une Traduction: elle pourra paroitre l'anneé 1721.

Les livres cy deſſus ont tous eſté imprimés a Amſterdam ches Honoré & l'Chatelain, &

La

La veuve Manet a imprimé une *Geometrie Elementaire.* Ou il s'eſt gliſſé quelques fautes, auxquelles on a ſupplée par un *Errata.* M. Franckius avoit fait là deſſus quelques remarques, ſur cesquelles L'autheur a donné ſes Éclairciſſemens dans le meme Journal.

L'autheur donnera encor au Public divers Traittés de Mathematique : Il en a de commencés, il en a dáchevés & entre autres un Commentaire ſur l'analyſe des infiniment petits publiée par le *Marquis de L'Hopital.*

En general il ſe plaint de la Methode des Mathematiciens qui manquent de ſimplicité & ſur tout de clarté : il voit avec regret le peu d'affection, que les Mathematiciens & les Phyſiciens ont les uns pour les autres, ce qui aneantit tout leur Zele pour ces ſciences. Toujours auſſi prets de ſe critiquer & de ſe traverſer qú eloignés de conferer paiſiblement, de ſe preter du ſecours & de ſe communiquer leurs vuës, qúils cachent comme des ſecrets d'Etat & font ordinairement acheter bien cher au Public, par la peine qúil a d'entrer dans leur Laconiſme Enigmatique. Il trouve que ces diſpoſitions ne ſont pas ſeulement honte au Chriſtianiſme mais quélles deshonorent la nature humaine.

5. Mſ. George *POLIER*, Profeſſeur en Hebreu & Catecheſe, eſt né à Laufanne le 19. Decembre 1675. id fut receu miniſtre le 23. Decembre 1700. & etabli Profeſſeur en Grec

& en

& en Hebreu le 17. Mars 1702. en ſuite Profeſſeur en Hebreu & Catecheſe en Septembre 1703. Il fut reçeu membre de la ſocieté Etablie en Angleterres pour la propagation de la foy le 17. Janvier 1718. Il n'a rien fait imprimer.

6. Mſ. Jean Pierre DAPPLES, Profeſſeur en Grec & en morale, & membre de l'academie des Ricovrati de Padoue, eſt né le 18. Juillet 1656. Il fut reçeu Docteur en Philoſophie & en Medecine dans L'univerſité de Padoue au mois d'Aouſt de 1675. a 28. ans il fut fait Conſeiller du Petit Conſeil de la ville de Lauſanne : & le 18. Septembre 1703. il a eſté appellé a lémploy de Profeſſeur en Grec & en morale Il ná compoſé, que des pieces fugitives dont quelques unes ſont imprimeés dans les Journaux & dans le Traitté de Mſ. Peyer de Ruminantibus animalibus.

7. Mſ. Charles Guillaume Louys de BOCHAT, Profeſſeur en Droit en & Hiſtoire agé ron 25. ans, a eſté elu Profeſſeur a la place del' *l'illuſtre* Mſ. Barbeyrac preſentement Profeſſeur a Groningue au mois de Juin 1718. Il a fait imprimer, ſa Harangue Inaugurale dans laquelle il prouve quil y a une Loy Naturelle. Le ſouverain luy a accordé 3. ans pour voyager.

Les deux Paſteurs de la ville membres de l'academie ſont Mſ. Gabriel BERGIER, agé d'en-

d'environ 62. ans, cy devant Profeſſeur en Hebreu & en Catecheſe il a eté reçeu ſecond Paſteur de l'Egliſe de Lauſannne le 9. Juin 1700. & eſt a preſent Premier Paſteur & Doyen de la V. Claſſe de Lauſanne & Vevay. Il ná rien fait imprimer, mais il a diverſes Traittés de Theologie prets a etremis ſous la Preſſe.

8. Mſ. de SAUSSURE agé dénviron 40. ans il a cy devant exercé ſon miniſtere dans les Egliſes de Berne & de Lauſanne, & a eſté receu ſecond Paſteur de cellecy au mois de Decembre 1713. Il ná rien fait imprimer.

*Tout ce que deſſus eſt tiré des memoires que chaque membre de Lacademie a donné touchant ce qui le concernoit.*

V.

# JOHANNES DURAEI,

## ad Iohannem BERGIUM

# EPISTOLA (a)

*nondum Edicta*

## Gratiam & Pacem,

*Reverende admodum, Doctissimeque Vir & in Christo Frater Colende.*

AGnosco Candorem Tuum in Epistola, quam $\frac{17}{27}$. Octobris ad me Berlino scripsisti, & in ea præstitum mihi officium agnosco : gratias igitur ago R. D. T. quod liberè mecum agere volueris, & de toto negotio quid vel sen-

(a) Lectu hanc dignissimam judicamus, quod multa nos commemorabilia, quae cum personam ipsius Duraei, tum motus illos, quibus tum temporis & regimen & ecclesia Anglorũ conquassata fuere, concernunt, doceat. Debemus eam humanitati pl. R. Viri, Sachsii, qui Altenoviae in Comitatu Marcano gregem Dominicum fideliter pascit. Bergius ille, ad quem hae literae missae sunt, Vir rerum Theologicarum peritia, concordiae studio, & in rebus agendis dexteritate insignis, Theologus primum Francofurtanus ad Oderam &, deinde Regiomonti & Berolini sacrorum in Aula Brandenburgica Minister, frater fuit Con-

sentias vel speres mentem tuam aperire non sis gravatus. Ita decet Fratres, ita decet ejusdem corporis mystici membra inter se versari, præsertim in opere, quod in facie Jesu Christi peragendum est : Nec mihi, prout res jam comparatæ sunt, utilius quicquam accidere potuit, quam ut impedimenta, quæ huic Instituto objiciuntur & remoram tractationi afferre queant, detegantur; Ut si fieri posset, saltem apud ingenuos & cordatos legitima via, id est, clara veritatis manifestatione è medio tollantur. Nolim enim putes, me putare omnibus satisfieri posse: scio esse aliquos, quibus non satisfacias etiamsi satisfeceris ; nec unquam persuadebis ut ad hæc sive apud se, sive nobiscum Consilia fovenda animum adjiciant ; etiamsi non istas solum, sed omnes alias dubitandi causas evidentissime removeris. Sunt qui lucem eo magis fugiunt & in tenebras sese abdunt & eo fortius oculos claudunt, quo splendidiores veritatis radii sese iis offerunt. Et quamvis cum talibus nihil expetam mihi esse negotii : Si tamen in tales incidere contingat; occursum illorum non soleo refugere : nam qui

radi Bergii, Theologi nostratis pariter eximii, & triennio post hanc epistolam scriptam 5. Kal. Jan. a. 1659. desiit vivere. Vide de illo Henn. *Wittenii* diarium biograph. *Becmanni* notitiam Universit. Francofurt. p. 133. Erdm. *Ubsenii* biogr. doct. eccles. sæc. XVI. & XVII. p. 500. sqq. T. d. H.

qui obſtinatis fruſtra impenditur conatus, fruſtra tamen a nobis non ſuſcipitur, nam exſtabit in teſtimonium adverſus illos, & quando aliis, qui malitia aut præjudiciis minus ſunt occupati, patet fie fructu ſuo non carebit tempore præſtituto. Etenim veritas filia temporis eſt, ea creſcit & paulatim ſeſe exerit occulto velut arbor ævo, donec robur & maturitatem acquirat, quæ nullis poſtea tempeſtatibus concuti queat; ſemina ergo veritatis non ſegniter ſpiritui committenda ſunt: Quoniam metemus ex iis ſuo tempore, inquit Apoſtolus, (ad *Gal.* 6, 8. 9.) ſi non frangamur animo, metemus (inquam) vitæ & ædificationis, quem nobis & aliis quærimus, ex ſpiritu fructum. Hac ergo ſpe nunc anſam, quam mihi dediſti, captabo & quæ ad objectas difficultates removendas reſpondenda ex vero videbuntur, graviſſimo Tuo judicio ſubmittam.

Obſervaſti, Celeberrime Vir, duum generum obſtacula, quæ partim ex Angliæ noſtræ partim ex Germaniæ veſtræ præſenti ſtatu emergunt; quæque ſpem felicis exitus in hoc conatu præcidere videntur. In Anglia mutatus Reipublicæ & Eccleſiæ ſtatus occurrit, in quo Rex capite mulctatus, Epiſcopi ab Eccleſiæ Gubernaculis remoti, Sectarum & fanaticorum quorundam profana Licentia horrorem & proteſtantibus & Pontificis incuſſit usque adeò, ut nulla ad pacis tractanda

consilia minus idonei esse videantur, quàm Angli; hinc de mea sollicitudine hoc tempore colligis, sperandum non esse eundem, quem antea mihi spondere poteram successum; quoniam scilicet non laudato ab omnibus transfugio, Regias deserui partes, & ad alias me aggregavi, quibus cum Lutherani Principes nullum sibi volent esse Commercium propter præjudicia de Regicidio & sectarum Licentia.

Hæc, Rev. Vir, præjudicia, antequam ex Anglia discederem, non ignoravi plerorumq; Exterorum animis obversari adversus institutum meum; sed tamen ab eo prosequendo nec debui nec potui ideo revocari: sciebam enim hasce objectiones scrupulum moturas nemini cordato diutius, quam audierit illa, quæ respondenda veniunt & quæ refelli à nemine possunt.

Igitur de transfugio mihi ipsi objecto agam primo loco & affirmo mihi à partibus Regiis ad aliam factionem ex rei veritate transfugium objici non posse: ajo enim me semper extra partes ex professo fuisse; & cum utraque parte in iis, quæ ad pacem faciebant & Licita erant, amicitiam coluisse; Idque fronte aperta & sine involucris. Iisdem ergo Principiis & fundamentis nititur hodie, quibus quondam suffulta fuit, mea solicitatio; nam sive rem spectes sive agendi modum, nihil in me mutatum videbis; in omnibus nostris turbis idem semper fui, qui

jam

jam ſum ; Circa me omnia ſurſum verſum iverunt, ego immobilis conſtiti , Regem & Epiſcopos in Anglia quondam ſpectavi, tanquam Eccleſiæ in civili ſtatu præpoſitos & primæ Tabulæ Legis Divinæ cuſtodes : hos, qui Reipublicæ jam præſunt, illorum loco conſtitutos video ; Authoritatem ipſam, non homines utrobique ſpecto ; Igitur officium ſubditi, quod Authoritati publicæ debebatur, illis præſtiti, his itidem præſto & quod illi ſuo loco Eccleſiæ debebant, ab illis petii, ab his itidem peto, nec quo jure, quave injuria locum ſuum occupaverint illi aut occupent hi, mihi decidendum arrogavi nec arrogo ; quo animo illi erga Dei gloriam & Evangelii propagationem affecti fuerint, obſervavi & quid fecerint vidi : quo itidem animo hi ſint erga hæc vocationis ſuæ munia obſervo & quid faciant video. Extra partes ergo fui & adhuc ſum. Hinc factum quod neutrius partis Conſiliis adhibitus intimioribus, quando mea propoſui utrisque Irenica, vidi me utriusque partis Coriphæis plerumque ſuſpectum fuiſſe, & utrinque ſæpe graviter vapulare; & adhuc jam alibi vapulo & vapulabo usque donec veritati ſua lux conſtiterit remotis nebulis. Scoti initio me Cantuarienſis ( Laudi ſcil. ) illius ultimi Archi-Epiſcopi Clientem, hic autem Cantuarienſis, me Puritanicæ ( ſic vocabatur ) factionis Emiſſarium ad ſe tentandum & explorandum ſuſpica-

ſpicabantur. Interea ego erga utrosque unus idemque in mea ſolicitatione idem proponebam ; In converſatione eodem modo, nimirum ſine præjudicio & offendiculo me gerebam : Evangelica conſilia purè & per ſe tractabam ; nec politicis partium ſtudiis illa permiſceri & ſubordinari permittebam & in ſubſequentibus Reipublicæ mutationibus ad hanc usque diem eundem Canonem ſequutus ſum : Omnibus ſc. ſine reſpectu perſonarum placere ſtudui in bonum ad omnium ædificationem ſecundum Apoſtoli præceptum ad Rom. 15, 2. In hiſce igitur hactenus nullum fuit transfugium. Sed ſi per transfugium intelligatur forte meus ab Aula Principis Auriaci (ad quam Rex me miſerat, ut eſſem filiæ ſuæ à concionibus) diſceſſus ; nec illum diſceſſum mihi ullo jure quisquam objecerit tanquam transfugium : Diſceſſi enim ab Aula illa, cui amplius utilis eſſe non poteram : Cujus conſtitutio, mores, vitæque ratio illis temporibus tam ſtudiis quam ſanitati meæ penitus adverſabantur : Diſceſſi ab Aula, in qua extra partes in pace vivere non poteram ; nempe alteram partem ex alterius arbitrio factioſe condemnare non volebam ; diſceſſi ab Aula vocatus ad miniſterialem alibi functionem obeundam, ubi mei juris eſſe & in pace vivere poteram. Diſceſſi ab illa Aula, Rege, qui me eo miſerat, conſcio, & abitum permittente. Diſceſſi ab illa aula honori-

norifice à Principe Auriaco dimissus; denique discessi ab aula illa, quam integro anno post discessum, quoties Hagam ivi, familiariter per intervalla frequentavi: An hoc transfugium vocari debeat Tuum erit judicare: nec ego ullos unquam idoneos ad consilia deserui: sed illos vel statio sua deseruit, vel illi stationem suam deseruerunt; Nec Tu, Rever. Vir solus aut Primus es, qui talia objicis, nec obscurum mihi est, unde ad te hic scrupulus manaverit: Si videre cupis quid Principi cuidam & Theologo ejus Primario responderim ad graviorem magisque directam objectionem, inspice hasce appositas chartas, notatas, ex quibus sensum meum de Regis Morte, perspicies & quomodo circa illam me gesserim, & hæc quidem hactenus de me ipso, nunc quid de Anglia dicatur, attendamus.

Anglia (inquis) Regem, Episcopos & Nobiles Regi fidos sustulit; hos obtentu Religionis sustulit. Anglia omnibus sectis & fanaticis profanam Licentiam & furores suos permittit; inde omnibus redditur exosa, unde colligis Anglos ad pacis hæc Consilia agitanda non esse idoneos. Memini hoc telum ante annum circiter ex alia depromptum pharetra ad sufflaminandam quorundam promptitudinem sinceram (sed frustra) contortum fuisse, quod ergo tum respondi quibusdam oretenus, id jam reponam. Nimirum me in Anglia civem esse, me turbis mediis interfuisse

fuisse, me nec incurioſum in rebus obſervandis ibi vixiſſe, nec aditu ad res ſcrutandas præcluſum fuiſſe; attamen me unquam exiſtimaſſe vel ad me vel ad alium quenquam privatum hominem licet in ipſa Anglia natum pertinere, ut de controverſia quæ inter Regem & Parlamentum agitata fuit, judicium ferret; quo ſcil. jure inter ſeſe armis diſceptarint ſuas prætenſiones hinc privilegiorum, inde prærogativarum: Rege autem exarmato, poſtquam Senatores Parlamentarii inter ſeſe in Comitiis luctari cœperunt, quo jure potuerit, quave neceſſitate adacta fuerit altera illorum pars, ut alteram à Publicis Conſiliis removeret & cum Rege ſummo jure ageret, id eſt, capitis crimen illi coram ſummo tribunali intentaret? de hiſce inquam, judicium ferre, dico me nunquam exiſtimaviſſe, illud vel ad me, ad ullum privati Subſellii hominem, nequidem apud nos ipſos ortum & viventem multo minus apud exteros natum & alibi degentem pertinuiſſe: nimirum ut definiret, quo jure quave injuria, vel qua neceſſitatis lege (quæ alias omnes hominum leges antiquare ſolet) iſta facta ſint, vel pro ſalute publica fieri debuerint, de iis ergo judicium ego ferre non audeo, an Tu illud, Vir Celeberrime, tibi arrogare velis, non ſcio: Certe fori noſtri non eſſe puto, & ſi forſan eſſe poſſet, judicium tamen ferre non poſſemus propter occultas rerum circumſtantias, quas

quas omnes nemo mortalium unus scire potest: Jam vero quis bona conscientia Judex ausit de re controversa in alterutram partem pronunciare; in qua fieri nullo modo potest, ut vel omnes facti circumstantias certo teneat; vel omnia prætensionum juris utriusque fundamenta liquido intelligat; Itaque coram, si tibi adessem & si expediret de istis differere; id quod mihi maxime probabile videtur referre possem; sed scripto de rebus istis judicium ferre, esset & temerarium & limites meæ vocationis transgredi: Nihil enim in Evangelico Ministerio, ad quod vocatus sum, mihi quoad ista & similia commissum est à Domino; Nam si Christus ipse uti nosti noluit judicem se aut arbitrum præstare ad erciscundam inter duos fratres familiam; Certe meum non erit summarum in mundo potestatum jura aut jurium prætensiones armis disceptatas, interposito meo judicio dividere aut definire: nec puto quemquam, qui ad animum revocat, se ex Domini sui mandato res spirituales in simplicitate tractare, se illas ad Ecclesiæ ædificationem dispensare & Christianorum omnium conscientiis ad salutem animæ applicare debere, ad mixturam hasce politicas hujus Mundi controversias suis de Verbo Dei meditationibus, aliter quam ut Regni Dei statum, qui justitiam, pacem & gaudium in Spiritu S. complectitur (ad Rom. 14, 17.) à mundanorum Regnorum status ratio-

 tioni-

tionibus ſeparet. Atque ideo nullum in Eccleſiis aut Rebuspl. pium ſive Theol. ſive Magiſtratum evangelicum fore ſpero, qui officium, quod communi fidelium commodo debetur, detrectabit publice præſtare; ideo quod in civili ſtatu res humanas & propter civilem ſtatum res Eccleſiæ in aliena Republica ſurſum verſum agitari & omnia perturbari animadvertat: Imo ſi Domino fidelis erit quo majores in mundo turbas videbit; eo magis pacatum reddere ſtudebit Eccleſiæ, id eſt, Domus Dei, ſtatum; ut piæ & ſimplices animæ in rerum externarum motibus & mundi ruinis, ibi pacis aſylum & perfugium, quo ſe recipiant, invenire queant, ut cum Propheta Regio exultanter dicant. Pſ. 46. *Nullam expavemus vim, quatiat licet orbem tumultus, terraque ſedibus convulſa, montium ruinis arctet aquas pelagi frementis: Inſana quamvis æquora ſæviant & vorticoſo gurgite torqueant ſpumentque Limumque & procellis terificis ſcopulos flagellent: Nam civitatem, cui Deus unice indulget, aris & propriam ſuis dicavit algenti pererrans Lympha fugax hilarat liquore: Occulta ne vis aut timor hoſticus, nobis quietem ſolicitet, Deus gentis ſuæ intentus ſolati præveniet auxiliis pericla.* Dabis ergo veniam mihi Rev. Vir, ſi ego illa, quæ in hoc negotio juris ſunt, non attingam, nec ægre feras rogo, ſi præterea putem propter rationes, quas adduxi, neque ad Eccleſias noſtras, neque ad ullas alias ſive Evangelicas ſive pontificias per-

pertinere, ut publico aliquo ſcripto ſuum hac de re judicium interponant. Si Dominus non voluit diſcipulo ſuo, quem ad Evangelium prædicandum vocaverat, permittere mortui Patris ſui ſepeliendi officium, ſed mortuis ſuorum mortuorum curam demandavit: multo minus volet Eccleſiam, id eſt, ſponſam ſuam defunctorum mundi Rectorum jura, funera, aut mortes accurare.

Veruntamen ſi de iis, quæ facti ſunt atque ita manifeſta ut negari non poſſint debito modo & fine legitimo inquiratur, ut quid veri rumoribꝰ paſſim ſparſis ſubſit; intelligatur, ad acta publica, quæ partim latina partim anglica Lingua extant, recurrendum erit: ex iis verarum in ſtatu civili actarum ſeries patefaciet, quibus gradibus ad tantam mutationem deventum ſit. Sed ſi de perturbato Eccleſiæ ſtatu quæratur unde ille extiterit, id intelligi non poterit, niſi perturbati ſtatus civilis cauſas ad minimum generales reſpicias. Revoca igitur ad animum hæc pauca.

(1.) Leges in pace factas inter arma ſilere. (2) Bella inteſtina inter fratres eſſe acerrima. (3.) Regem jam devictum & cuſtodiæ traditum majores utrique genti attuliſſe moleſtias quam in acie ſtantem: nam dum in pugna ſtabant, unitis animis commune periculum propulſabant: Sed capto Rege & ſublato potentiæ metu, ubi ad deliberationem de illo cuſtodi-

endo ventum est, omnes utriusque gentis status & consiliorum rationes subito mutatæ sunt; nec una solum ab altera propter ipsum dissidere incepit, sed utraq; intra seipsam progressu temporis in varias factiones scissa fuit, quas homines utriusque partis Hispani, Galli, & pontificiorum atque Jesuitarum Emissarii in omnibus tribus Regnis, miris & nefandis artibus & incredibili sedulitate auxerunt. Cogita igitur jam quid in statu publico oriri possit, in quo omnes omnium ordinum Societates inter sese dissident, omnia vi agunt; in quo authoritatis omnis & officiorum publicorum respectus concidit; in quo populus Libertatis avidus & armorum licentiæ assuetus, subdolis artibus incitatur in contraria studia, in tumultus & furores: idque à plerisque suis ductoribus tam politicis quam Ecclesiasticis & ab exteris omnibus: In quo denique gentes duæ vel tres, legibus, moribus & studiis differentes, vel de imperio vel de vita certant: Respice jam & perpende, an in tali hominum societate civili Eccclesiæ sua constare possit pax atque incolumitas? sed tamen nec in mediis turbis Ecclesiæ defuit Parlamentum, nec Religioni conservandæ Synodus Nationalis, donec omnia, quæ suarum erant partium perfecit. Si tamen contemplari vis & rerum à Synodo definiendarum gravitatem & à Parlamento in tali statu executioni mandandarum difficultatem, facile mira-

miraberis tantum fieri potuisse tum, quantum factum fuit, ad Ecclesiæ non modo conservationem sed reformationem, nam de justa Conscientiarum libertate definienda, de recto incultu ordine & decoro observando, de disciplinæ Ecclesiasticæ moderata authoritate sancienda; ita ut nec dominium seculare & legum civilium jurisdictionem usurpet, nec tamen scandalis erumpentibus licentiam permittat & frænum laxet, statuere, non fuit res levis momenti & perfunctoriæ deliberationis, uti optimè nosti, & in statu civili, ubi propter accusationem de usurpata in conscientias spirituali Tyrannide, deque in affectato in libera gente absoluto Dominio, omnia erant bello turbata & factionibus implicita, velle omnia subito ad exactam normam reducere & ad amussim exigere, quam hoc facto fuisset impossibile humano ingenio & viribus, tuam prudentiam latere non potest: Quicquid tamen fieri potuit per temporum injuriam, sedulo summoque studio tentatum & factum fuisse à Parlamento, etiam suis factionibus laborante, observari ab omnibus poterat: Nam senatores Parlamentarios etiam homines fuisse fatendum est, & inter tot capita, quorum æqualis erat potestas & liberum suffragii jus, in rebus ad Christi Regnum pertinentibus varios fuisse piorum hominum sensus, & longas lentasque & scrupulosas circumspectasque deliberationes, nemi-

mini mirum videbitur, qui Dominatum à quibusdam in Ecclesiam usurpatum & in cultu mutationes, ante Scotorum motus sensim in pejus introductas observaverit: Unde factum quòd, dum de minutiis omnibus exquisita scrupulositate (ut tenerioribus conscientiis satisfieret) disceptabatur, ne jugum iis imponi videretur: Omniaque in collapsa authoritate & turbato Regimine suspensa hærebant; fenestra hominibus quibusdam vertigine spirituali abreptis aperta fuerit, per quam Satanas, qui se in Angelum lucis transformare solet, introduxit non paucas Sectarum & Cætuum diversitates & cum iis scandala permulta, quæ ipsi hostes Evangelii (scil: Pontificiorum Emissarii) miro astu aliquando apud plebem ignotam ipsi excitarunt: aliquando auxerunt ab aliis excitata; Semper autem & ubique propagarunt & apud exteras gentes traduxerunt odiosissimè, ut parlamento invidiam crearent, eodem planè modo, quo Diabolus solet primo ad peccandum DEI filios tentare, & tum in peccatum prolapsos infamare & accusare ac mendaciis culpam aggravare; nam incredibile dictu est, quam absurda figmenta fuerint imposita & permista rebus pro temporum ratione tolerabilibus, vel etiam licitis piorum hominum actionibus: tam monstrosæ calumniæ de Exercitu, de Cromwello, de ejus Uxore de Ministerio &c: fuerunt per Helveti-

am

am & alibi ſparſæ ab hominibus haud dubie propter ſcelera ex Anglia profugis & ſtipem aut viaticum petentibus, ut cum ſtupore miratus ſim ullos potuiſſe exiſtere homines, aut tam impudentes, qui talia vellent fingere, aut tam imprudentes, ut putarent ſe in iis apud Viros intelligentes fidem impetrare poſſe: ſed ita omnes per naturam facti ſumus, ut citius malè quam benè de ignotis ſuſpicemur & facilius inter notos vitia quam virtutes obſervemus, resque miras non illibenter audiamus: etiamſi incredibiles alioqui videantur. Sed ſi ex me quoque non illibenter intelligere velis meas de ſtatu Eccleſiæ noſtræ obſervationes, ut ſcias, quousque in mediis turbis ſub parlamenti auſpiciis tentata ſecundum fœderis tenorem Reformatio ſuos habuit progreſſus; dicam quam vera & indubitata eſſe ſcio ex actis publicis, quæque omnes ſciunt, qui de rebus noſtris aliquid ſcire accurate voluerunt.

Nimirũ poſt initium Nationale fœdus in ſynodo (quæ tamen ante ſancitum fœdus convocata fuerat) confeſſionẽ fidei (quæ jam apud Helvetios ex Gallico idiomate in Germanicum translata eſt) fuiſſe conſcriptam: Item cultus publici Directorium, Catecheſin majorem atq; minorem, Diſciplinæ & Eccleſiaſticæ & ordinandorũ Miniſtrorum Dogmata atq; Conſilia à Synodo Parlamento fuiſſe oblata, ut ejus autoritate ſuis Eccleſiis proponerentur: quod quidem

dem eo usque factum ut Regiminis Ecclesiarum forma, quæ vocatur presbyterialis, parlamentari Decreto sanciretur, in quo Ministris & Senioribus permittitur, ut suos Classicales & Synodales habeant conventus, hac tamen lege, ne ullus cui persuasum adhuc non erat, Illam Ecclesiastici Regiminis formam DEI verbo convenire, ei sese submittere cogeretur. Volebant enim parlamentarii Senatores, qui se Libertatis Angliæ custodes vocabant, etiam Libertatis Christianæ, quæ cœcam obedientiam conscientiis non injungit, rationem habere, ne quod in Episcopis condemnatum fuerat, postliminio ipsi viderentur introducere, ut scil: propter minutiores in Doctrinâ opinionum, in disciplina constitutionum & in cultu rituum differentias Fratres cætera orthodoxos, pios & pacificos omni jure & Privilegio cætus in publico Religiosos habendi excluderent: atque ita sublato coactionis jugo aliquam multi quidem fuerunt & adhuc sunt, qui cœtus suos ad illam Regiminis formam non reduxerunt: verum si illorum numerus cum aliis, qui illam receperunt formam vel in totum vel ex parte conferatur, pauciſſimi invenientur. Affirmo igitur presbyteriales & synodales conventus in mediis motibus semper celebratos fuisse ab iis, qui vellent illos observare & manifestissimum est Ecclesiæ Anglicanæ corpus ex talibus cætibus constitui non minus

quam

quam Gallicæ atque Belgicæ corpus ex similibus constituitur. Pontificiis autem atque Hierarchicis cœtibus, a quibus originem turbæ magna ex parte traxerant, interdicta fuit omnis Liturgici atque Papistici cultus exercendi publica Libertas : Reliquis denique qui congregationales vocari amant (quod Regiminis Ecclesiastici jura extra unius congregationis suæ pomœria non extendant) inter quos & rebaptizati cœtus censeri volunt (quorum confessio extat planè orthodoxa excepto capite de pædobaptismo) concessa fuit non minus quam presbyterialibus plena cultus sui in publico excercendi libertas, nec in ullo congregationales Orthodoxi cœtus à presbyterialibus quoad jus habendi publicum Religionis Exercitium, differre videntur, nisi in eo, quod hi expresso Decreto parlamentari Regiminis sui formam sancitam habuerunt, illi tacita tantum permissione, quatenus cavetur ne juribus presbyteriorum concludantur, exercitium suum obtinuerunt. Sed quando promiscui & inordinati quidam cœtus sub nomine congregationalium libertate communi abutebantur ad licentiam profanas & seditiosas conciones habendi, aut Blasphemias propagandi, aliaque patrandi maleficia, quæ piis meritò scandalum præbebant, quoties ad parlamentum querelæ de talibus cœtibus fuerunt delatæ, semper in eos animadversum fuisse observavi, ita ut dissiparentur & aliqua-

quando talium dissolutorum cœtuum principes & coriphæi in carcerem fuerunt conjecti, donec culpam agnoscerent, Londini plerumque major fuit horum hominum, quam alibi confluxus: sed siquid æstimare possim, dicere ausim centesimum millesimum hominem ex illo numero non fuisse; maximus tamen de paucis illis clamor & domi excitatus & apud exteros auditus fuit: partim quod proborum animi detestandis furoribus perculsi maximas de iis querelas instituerint, partim quod Reipublicæ hostes in infinitum istas querelas auxerint & odio Rectorum ipsi Regimini, totique genti paucorum intemperiem imputarint; possum autē ego de hisce magis comperta, quā plerique alii referre, quoniam per biennium integrum & ultra, quando vacuum mihi tempus erat ab aliis officiis, solitus fui omnes certo ordine cœtus heterodoxorum & inordinatorum hominum frequentare, ut spiritus omnium probarem, ut numerum illorum scirem, ut cœtus cujusque membra, mores atque consuetudines observarem; ne ex aliorum relatu & de rebus mihi non compertis temerè judicarem. Hic ergo fuit in maximis Reipubl. nostræ perturbationibus Ecclesiæ status: qualis jam sit ex modesta meorum parastatarum declaratione, quam vidisti in fasciculo Sereniſſimo Electori inscripto, conjecturam facere potes. Antequam ex Anglia ultimò discessi, constitutus fuit à Domino Protectore Sena-

Senatus Ecclesiasticus, cui Ecclesiæ reformandæ cura fuit commissa : & intelligo partim ab Amicis, partim ex publicis quibusdam documentis ab eo tempore scandala reprimi, orthodoxiam foveri, pios paulatim inter sese coalescere & heterodoxos præsertim in gravioribus fidei articulis aberrantes, aut vitæ dissolutæ reos ab officiis non solum Ecclesiasticis, sed etiam politicis removeri. Hæc habui ad ea, quæ de Ecclesia nostra objeciſti dicenda, ut scrupulis, quos ex aliorum sensu te protulisse arbitror, aliqua ex parte fieret satis, saltem apud æquos & ingenuos rerum humanarum æstimatores. Sed etiamsi hæc dici non possent ad odiosas illas criminationes diluendas, quas allegasti, tamen non video, qua ratione ulli, quibus hominis Christiani officium cordi est, possint bonâ conscientiâ studium quærendæ pacis Evangelicæ nobiscum tractandum ideò declinare, quia Respub. nostra talibus incommodis fuit antehac obnoxia. Esto enim largiamur id, quod objicitur : Regicidium scil. non per tumultum sed per judicum formam à præpotente in populo factione, factum esse abhinc sexennio. Esto etiam quod sectarum eruptioni & multorum furoribus repagulum objici non potuerit ab iis, qui rebus præfuerunt : Supponamus, inquam, hæc ita sese habere quoad Anglos, quærendũ jam erit, an ideò reliquæ per Europã Ecclesiæ Evangelicæ de Consiliis mutuæ con-

concordiæ & ædificationis inter ſeſe fovendis cogitare non debebunt? an ideò illi, qui in Anglia adhuc orthodoxi ſunt Theologi, nullum jus habebunt de communi Evangelicorum cauſa promovenda cum exteris conſilia communicandi? aut alios ſuo periculo monendi ut à cauſis & fomentis talium, quæ ſenſerunt, incommodorum ſibi caveant? An ideò quia in ſtatu turbato omnia ſurſum verſum apud ipſos jactata fuerunt & inuſitata quædam atque omnibus propemodum improviſa evenerunt, audiendi non ſunt, quando in tranquilliori ſtatu ſuam publico operam pro Eccleſiæ ſalute offerunt? hoſtes Eccleſiarum hoc unicè ſemper antehac egerunt, ut Anglorum conſilia diſtraherent & à curis communibus ſepararent; Amici omnes quondam graviter ea de re conqueſti ſunt & eo nomine vehementer indoluerunt: aſt jam ſi præter omnium expectationem, DEUS hoſtium conatus hac in parte reddidit irritos & quòd ipſis maximè ſemper formidandum, amicis autem cauſæ Evangelicæ maximè exoptandum fuit, effectum dedit, ut Anglia velle incipiat ſua reliquis pro cauſa communi conjungere ſtudia, an ideò hæc voluntatis propenſio in iis fovenda non eſt? quia dum ab hoſtibus perturbabantur extrema quædam inter eos præter morem acta fuerunt? Certe hoc Ithacus & velit & magno mercentur Atridæ. Sed ſupponamus aliud, nimirum paucos tantum eſſe

Or-

Orthodoxos reſpectu aliorum; hos tamen cum fratribus ſuis in exteris locis communionem Sanctorum ad communem ædificationem & veritatis cœleſtis ſive inter ſeſe conſervationem, ſive apud alios propagationem & defenſionem excolere velle? an quia tales obſidentur à multis doctrinæ Orthodoxæ hoſtibus & puri cultus, publicæque pacis turbatoribus, ideò nullum commercium cum iis habendum? putarem ego (ſi Chriſtianos nos præſtemus) eo ipſo majorem talium fratrum curam eſſe habendam.

Si Amicum haberes periculoſo obnoxium morbo, cujus paroxyſmus gravior vires omnes ejus attrivit; an ideo nolles de remedio illi procurando cogitare? Et ſi ipſe de ſua conſervatione ſolicitus conſilium expeteret à te, an nolles illud ei, ſi quod noviſſes, communicare? finge ergo gentem revera talem eſſe, qualem Angliæ hoſtes illam eſſe traduxerunt; finge tumultus non eſſe ſedatos, ſed inferiora omnia ſummis adhuc paria fieri, ab hominibus œſtro percitis zeli vertiginoſi: mihi tamen permittetur ſpero, hoc quod verum eſt profiteri; me à quibusdam ſanæ mentis hominibus veniſſe in haſce partes, ut Evangelicorum Epidemicis quibusdam morbis (nihil enim refert jam ſive apud nos ſive apud alios graſſentur) remedia quædã exquirerem apud peritos animarum medicos. Si tum illi quos hac de re convenire volo, me-

dici loco remedii, aut consilii, quod exquiro, me probris atque scommatibus excipiant, mihique objiciant furores & intemperiem illorum qui apud nos ægrotant, aut ægrotarunt, nec aliud quicquam in medium afferre velint: an putabo illos vel humanitatis vel Christianæ charitatis ullum intellegere officium? vel de conscientia sua coram Deo liberanda pro Christi Ecclesia unquam serio cogitare? Sed si hoc casu omisso, ego revera profitear & meo & parastatarum meorum nomine, nos animo benevolo & sincero erga omnes Ecclesias excitatos esse & testandæ gratitudinis nostræ (pro salute ab hostibus parta) erga Deum causa, nos velle fratribus nostris operas & consilia nostra conjungere ad communia pericula propulsanda, ad talia, quæ nobis evenerunt, mala in posterum prævenienda; ad scandala dissensionum (morbos nempe Evangelicorum Epidemicos) remediis idoneis curanda & ad omnia alia Christianæ communionis officia offerenda aliis & præstanda: si (inquam) hæc ego profitear & debito modo institutum hoc nostrum apud eos insinuo, qui commune periculum ignorare non possunt & qui officii ratione de morbis Epidemicis curandis mecum cogitationes suscipere tenentur, si tum illi, quos ita compello, me sannis, probris & calumniis excipere velint, meque audiendum non esse clament quoniam scil. re-

la-

latum fuit ipsis, morbi Epidemici vim in Anglia nuper vehementius quam alibi exeruisse. Annon ego jure optimo existimare debeo; hosce jam multo magis, quam nostros quondam insanire? finge ergo casum ex hisce quemcunque voles; nunquam efficies, ut appareat, ullum illibata conscientia Christianum posse studium quærendæ pacis Evangelicæ nobiscum tractandum declinare.

Summa ex hisce omnibus liquet, vel rem non ita sese habere uti objicitur, vel etiamsi ita sese haberet, non tamen illam debere obicem ponere meæ negotiationi: nam si sannis & contumeliis me excepturi sunt Lutherani, nec voluerint ad animum revocare hæc indubitatæ veritatis testimonia non tamen turbabor, nec ab instituto ingenuis (si qui inter illos inveniantur) proponendo dimovebor. Et hoc facturus sum, si Deus permiserit, id est, si vitam & vires & commodum apud illos aditum largiatur: Etenim inter illos quoque experiundum erit, an aliqui sint Ecclesiæ Ministri, qui Causam Evangelicam per se spectatam & à politicis partium studiis separatam spectare, & amplecti velint propter obedientiam Deo præcipienti debitam; quisquis hoc animo hæc consilia non tractabit ex Dei verbo, nec in iis Dei mentem percipiet, nec severum Evangelii Ministrum hac in parte probabit. Videtur itaque Deus permittere hasce in opere difficultates ad probandos fideles

deles causæ servos, ut ab aliis dignoscantur, ii, qui homines magis quam Deum in officio suo præstando spectant & certe quicunque in motibus & commutationibus rerum Magnæ Britanniæ Dei manum cuncta dirigentem intueri poterit, is admirabilem consilii divini tam in misericordia quã justitia administranda perspiciet profunditatem: pauca quædam, quæ mihi notatu non indigna videntur paucis indigitabo. Primo licet observare admirandam maximorum Mundi statuum *infirmitatem* omniumque rerum *humanarum incertitudinem & consiliorum inconstantiam*: *nam sub initium* turbarum per Germaniæ statum, quando Ecclesiæ Evangelicæ patroni & protectores socia arma & consilia conjunxerant ad causæ communis defensionem omnes in regem Magnæ Britanniæ Jacobum oculos converterunt tanquam in summum Causæ Vindicem, omnes illum sollicitarunt, & invitarunt, ut Defensoris fidei Titulo dignum aliquid præstaret; ut haut propter causam Genero suo filiæque & nepotibus, aut propter hos causæ non deesset: quod ipsum postea apud successorem Ejus Carolum varie à variis tentatum fuit, sed quo animo uterque erga Causam fuerit & quomodo omnium spes frustraverint, notius est quam ut explicari debeat. Jam vero cum conclamatum esset & à nemine aut expectabatur aut fere expetebatur communi causæ aliquod præsidium: Ecce præter omnium hominum spem emergit

git aliquid quasi ex pulvere, atque ex improviso, qui potentissimos Evangelii hostes affari audeat & in ordinem redigere incipiat: Unde manifestissime colligitur non solũ quam in rebus humanis fluxa & caduca sint omnia, quæ videntur & firmissima; sed circa res divinas spes & metus mortalium juxta esse inanes, cum quæ nobis eligimus præsidia, plerunque à Deo rejiciantur; quæ odio & contemtui habemus, ab ipso eligantur & in causæ suæ patrocinium adhibeantur. Hinc patet soli Deo tribuendam motuum nostrorum catastrophen, nec humanis consiliis, nec viribus Ecclesiam Dei protegi nec tamen præsidio inter homines necessario penitus destitutam relinqui.

Secundo si contemplemur sine præjudicio, non res tantum Britannicas, sed reliquas per Europam statuum mutationes; Nihil magis obvium erit observatu, quam Desertores causæ Evangelicæ à DEO deseri; assertores ejus ab ipso sustentari & fulciri; secundum illud, quod Eli dictum fuit 1, Sam. 2. honorabo (inquit Dominus) eos, qui me honorabunt, qui vero me despectui habebunt, vilipendentur.

Tertio patet hostium Ecclesiæ operosos adversus Evangelium conatus, tum demum nec ante pessundari quam se ex voto rem perfeciisse existiment, usque adeo ut ante jam jam impendentem subito ruinam plerum-

que triumphare incipiant, ac hoſtes minoris æſtiment nihilo ſuos: ſecundum illud quod Jethro Moſi dixit. Exod. 18, 11. Jam, inquit, agnoſco Deum omnibus Diis eſſe Majorem: nam in eo in quo arroganter ſe geſſerunt factus eſt iis ſuperior.

Quarto denique manifeſtiſſimum eſt ex iis, quæ apud nos evenerunt; Deum ſolere aſtutiſſimos homines ſuis ipſorum conſiliis irretitos deprehendere & doloſos in foveam, quam innocuis effoderunt præcipites dare, unde cum Regio Propheta Pſ. 9, 17. merito exclamandum eſt. O miranda Dei judicis æquitas, fraudis fraude ſua prenditur artifex! O res pectoris altis condenda in penetralibus.

Et ne aliorſum quam ego intelligo, hanc rem trahas, dicam me ad pontificia & Hiſpanica adverſus nos conſilia alludere: nam ſiquid unquam de Panzano & Covæo duobus Romani Pontificis in Angliam nunciis & quid per Reginam apud nos molidi ſint audiviſti: Si de Laniena hybernica aliquando intellexiſti, quomodo nutu atque inſtigatione Hiſpanorum ſuſcitata primo & ab aliis deinde fota fuerit. Si de bello, quod propter Lanienam cum Hybernis geſtum fuit, deque induciis in favorem carnificum à non nemine procuratis fando aliquid percepiſti. Si de Scotorum & Anglorum dividiis & de rupta inter Anglos & Belgas pace, deque belli utri-

usque

usque Auctoribus & autorum consiliis & fautorum studiis vera inaudire potuisti & si hæc cum Eventibus rerum inexpectatis, quos Deus ubique produxit, conferre queas & præsentem rerum statum & exitum contempleris, incredibilem stupendæ providentiæ ductum videbis, qui divinæ sapientiæ modum, ut ille ait, longe rivosis montium fastigiis altiorem & vasti maris gurgitibus profundiorem patefaciet; Atque ex illarum verum intuitu facile intelliges permulta, quæ animum tuum confirmare poterunt adversus imperitorum hominum ( qui nec respicere nec intelligere possunt Dei opera ) sannas atque contumelias: nec mirabere tum forsan quare ego talibus non movear, sed potius iis confirmer in proposito, cum videam fidelitatem nostram in opere Evangelico probari hac ratione, quod etiamsi hominibus ludibrium debeamus, ut Tu Vir R. futurum existimas, velimus nihilominus in officio perdurare & eventum studii nostri Deo committere.

Atque hæc de rebus nostris ( occasione tuarum ex ea parte objectionum) fusius differui, quam initio mihi proposueram, quæ autem ex parte rerum vestrarum in Germania objiciuntur, jam non attingam: alia vice id fieri poterit, nec de Consiliis, quæ prudenter suggessisti post annumeratas difficultates, exponam hoc loco quid statuam, ne nimis longus sim, dabo tamen operam, si Dominus

permiserit ut de omnibus sensum meum percipias tempore commodo. Deus tuis in Evangelio laboribus affatim benedicat teque Ecclesiæ suæ bono diutissime incolumem conservet. Vale & in optimam partem accipe hæc, quæ optimo animo non tam Tui causa, quam ut aliis, ex quorum sensu hæc pertulisti, satisfiat, scripta sunt à

R. Dig. Tⁿ.

*Dabam Cassellis d. 1. Januarii Ao. 1656. quem tibi auspicatum & in decursu felicissimum exopto.*

Observantissimo in Christo Servo J. D.

INSCRIPTIO.

Admodum Reverendo & Doctissimo Viro Domino Johanni Bergio S.S. Theologiæ D. &c. Serenissimo Electori Brandenburgico à sacris concionibus: Domino suo Fratri in Christo plurimum honorando.

hæc ad manus proprias,

Berlinum vel alio &c.

VII.

VII.

# EXCERPTA

# Ex literis quibusdam Anglicis de nova *versione Arabica Novi Testamenti* in usum ecclesiarum Orientis.

## A.

## Ex Epistola Salomonis NEGRI, Damasco-Syri, scripta ad Membrum aliquod Societatis Londinensis de propaganda Christiana fide d. 28. Martii 1720.

ADlubuit tibi a mepetere, ut cogitationes meas de necessitate & utilitate Novi Testamenti Arabici in usum Ecclesiarum orientalium tibi aperirem, & rationum mearum aliquas circa hanc causſam scripto consignarem. Qua in re ut pro virili, quantum arcti epistolæ limites permittunt, tibi gratificarer, officii mei esse putavi. Diversa sane sunt momenta, quæ necessitatem pii hujus instituti clare indicant. *Primo* defectus prelorum in oriente libros ita raros & pretiosos reddit, ut pau-

pauperes Christiani eos ære comparare nequeant, qui vix habent, unde tributa solvant & necessaria ad vitam sustentandam comparent, adeo ut pauciſſimis suppetat, unde emant libros ad institutionem & spirituale incrementum necessarios.

*Secundo* pauca exemplaria, quæ adhuc ibi exstant, sive totius Novi Testamenti, sive partes ex eo, difficulter & non nisi ingenti pretio haberi queunt. Quatuor Evangelistæ Romæ 1591. cum versione Latina interlineari impressi, sunt editio melior & correctior, sed ita rari, ut non nisi immenso sumtu vendantur. Alia editio totius sacræ scripturæ Romæ 1671. tribus voluminibus in Folio cura Congregationis de propaganda fide excusa haberi quidem potest. Verum cum versio illa a Maronitis parum in cognitione genuinæ linguæ Arabicæ versatis ex Vulgata sit adornata, ab omnibus eruditis in Oriente est rejecta: præterquam, quod hæc editio inter eos tantum sit distributa, qui Romanæ Ecclesiæ adhærent, atque Roma ad Missionarios ejus missa sit. Editio Erpeniana totius Novi Testamenti non tantum mendosa est, sed etiam suspecta, quod non ex quodam exemplari generaliter approbato exscripta sit: cumque pauca tantum exemplaria ejus impressa sint, hæc quoque rara admodum est. Pulcherrima editio Londinensis, quæ in Polyglottis extat, ob molem & extraordinarium pre-

pretium communis usus esse nequit. Et licet diversæ partes Novi Testamenti separatim sint impressæ in diversis Europæ locis, illæ quoque exigui usus sunt in Oriente, non tantum, quia non completæ, sed etiam quia pauca exempla in has regiones venerunt, exceptis iis, quæ inter Missionarios versantur.

Necessitas & utilitas laudabilis hujus instituti porro apparet, quando consideratur ipsa lingua Arabica, & quam late pateat regio, quæ illa utitur, quotque nationes per hoc medium adepturæ sint occasionem legendi scripturam sacram, atque inde ingens animarum lucrum hauriendi.

Excellentia linguæ Arabicæ, a quacunque parte eam consideres, manifesta est. Cum enim Alcoranus in ea sit consignatus, in omnes se provincias extendit, quæ religionem Muhammedanam profitentur, quin præterea in multas ab ethnicis habitatas. Communis est lingua & maximæ Africæ, & magnæ Asiæ partis; atque ubi in regionibus sub dominio Turcarum positis non in usu vulgari est, docetur tamen in scholis, & excolitur a literatis, uti Latina lingua in Europa.

Sed ut limites huic instituto figantur, quod maxime spectat pauperes Christianos libris ad ædificationem animarum necessariis destitutos, indicabo tantum provincias, in quibus maximus Christianorum numerus reperitur,

quæ

quæ sunt *Palæstina*, *Syria*, *Mesopotamia*, *Arabia* & *Ægyptus*. In omnibus his regionibus numerosi sunt Christianorum cœtus, quibus talis editio insigne afferet commodum. *Arabes* Ecclesiæ Græcæ assectæ, qui generaliter *Melchitæ* dicuntur, numero reliquos omnes vincunt, & eorum præcipua in pio hoc proposito haberi deberet ratio. Adde *Syros* sive *Eutychianos*, *Nestorianos*, *Maronitas*, *Armenos*, *Coptos*, & reliquias exiguas veterum *Naziræorum*. Omnes hæ nationes & sectæ, licet liturgias suas celebrent linguis ab antiquo in ecclesiis eorum usitatis, nihilominus, Arabicam callent, loquuntur, scribunt. Unde facile colliges, quanti usus foret melior quædam Novi Testamenti Arabici editio, præcipue si juncta esset Psalterio, quam avide illam recepturi sint diversi populi & quantus inde fructus benedicente Deo sit exspectandus.

Aperiundum mihi jam esset, quid sentiam de modo præclarum hoc consilium exequendi, quodnam exemplar sequendum sit in nova editione, qui characteres, quæ forma commodissima foret, &c. Verum affatim ad id temporis suppetet, ubi Deo placuerit Societatem ad opus hoc suscipiendum permovere.

Permitte tantum, ut paucis indicem in præsentia, qua via exemplaria inter tot nationes aptis-

aptiſſime dividi queant. Me judice conſultum foret ligata cum commendatitiis congruis mittere ad *Conſulem* nationis Anglicæ Beroœenſis (*Aleppo*) quæ urbs præ reliquis ad hanc rem ſitu maxime commodo eſt, qui junctis cum Eccleſiaſte ſuo conſiliis diſpartitionem Codicum curare facile poterit. Eccleſiaſtes ille lubentiſſime curam hanc in ſe ſuſcipiet, muneri ſuo tam congruam, tam amoris plenam, totique Britannorum nationi tam gloriosam. Et cum reſciverim, eum ſingulare in Arabica lingua plene addiſcenda ſtudium ponere, eo facilius ei aditus ad omnium Ordinum Viros ſternetur. Londino igitur poterit inſtrui, ut commercium inſtituere quærat cum Patriarchis *Hierosolymitano*, *Antiocheno* & *Alexandrino*, nec non cum Patriarcha *Neſtorianorum*, qui in Ninive, & *Coptorum* qui Cairi, (*Grand Cairo*) ſedem habet, illis certum exemplarium numerum, habita proportione provinciarum, in quas Patriarchatus eorum ſe extendit, transmittat, & ſimul, æque ac Archiepiſcopo *Aleppenſi* ſcopum benefactorum in Anglia indicet, & diſtributionem Codicum commendet.

Ita difficultas maxima ceſſat, & ſi nulla major oriatur, ſanctum hoc conſilium tandem impletum iri ſpe certa teneor. &c.

B. Et

B.

## Ex literis Plurimum Rev. Humfridi PRIDEAUX, Decani Norvicenſis ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem d. 20. Maji 1720.

LIngua Arabica non tantum in Arabia', ſed etiam per *Meſopotamiam*, *Erac*, *Syriam*, *Palæſtinam* & *Ægyptum*, quin porro in toto tractu Septentrionali *Africæ*, regnoque *Fezzano* & *Maroccano* usque ad Oceanum Atlanticum, viget. In Arabia & Septentrionali Africæ ora nulli ſunt Chriſtiani, niſi a piratis capti & in ſervitutem redacti, quibus Novum Teſtamentum Arabicum nullius erit uſus, quoniam Arabicam linguam non callent.

In *Erac*, *Meſopotamia*, *Syria*, *Palæſtina* & *Ægypto* adhuc reliqui ſunt incolæ Chriſtiani, diviſi in ſectas Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum & Melchitarum, quibus Novum Teſtamentum aliquod Arabicum inſignem fructum afferret. Quare illius copiam iis facere opus eſſet amoris veri Chriſtiani. Cum enim in illis regionibus deficiant Chalcographiæ, Codices Bibliorum, quos habent, paſſim ſunt Manuſcripti: qui cum admodum cari ſint, & Chriſtiani ſub tyrannide Muhammedica paupertate obſiti eos

eos emere nequeant, plurimi Codicibus sacris carent, neque Scripturæ quicquam norunt, nisi quod audiunt iis prælegi in publicis cœtibus.

Versio illa Arabica Novi Testamenti, quæ exstat in Polyglottis Londinensibus aptissima est in hunc finem. An vero typi illi adhuc extent alicubi in Anglia, ignoro, de quo valde dubito. Quare requireretur, ut novi typi funderentur, novæque formæ ad eos fundendos conficerentur, quod sumtus valde aggravabit. Si tamen opus hoc nihilominus suscipietur, novique typi sunt fundendi, cura debet adhiberi, ut nitidissimi formentur. Qui enim Arabica lingua in Oriente utuntur, circa literas pingendas admodum sunt curiosi: unde illos ex libris nostris quam maxume æstimant, quorum typi ad meliorem Arabum scripturam proxime accedunt. Cumque *Psalterium* Arabicum *Romæ* impressum referatur super omnes impressos libros ab iis æstimari, propterea literis hisce id adjunxi, ut occasione se offerente, istud ad usum præsto sit &c.

## C.

## Decretum de impressione Novi Testamentii & Psalterii Arabici.

SOcietas Londinensis de propaganda cognitione Christiana perpendens necessitatem

& utilitatem editionis Novi Teſtamenti & libri Pſalmorum Arabici in uſum pauperum Chriſtianorum Eccleſiæ Orientalis in Palæſtina, Syria, Meſopotamia, Arabia & Ægypto ex gratitudine erga Deum ob inæſtimabilem felicitatem, qua gaudent tum Chriſtiani in Europa generatim, tum ſpeciatim populus Britannicus, Scripturam ſacram communi uſui expoſitam poſſidentes, uti & ex grata recordatione, qua obſtricti ſunt poſteritati eorum, qui per providentiam Dei inſtrumentum fuere, per quod oracula divina ad nos ſunt perlata; conſtituerunt procurare impreſſionem Novi Teſtamenti & Pſalterii Arabici, quam primum per collectas charitatis membrorum hujus collegii, aliorumque inſtituto huic faventium id licuerit, eaque fini a ſubſcriptis deſiderarunt, ut munera beneficorum hanc in rem iis oblata colligere velint. (a)

(a) Conſtitutum eſt, ſi per munificentiam eorum, qui ſumtus huic propoſito præſtabunt, licuerit, octo decemve exemplarium millia, charactere novo, chartaque nitida in forma quarta excudere.

VIII.

VIII.

# GEORGII SCHAUBII,

## Rotenberga - Haſſi

**Ad loca Jer. XVIII: 23. Job. I: 19. Rom. I: 28.**

## Obſervationes.

### *Jerem. XVIII. 23.*

בעת אפך עשה בהם

*Tempore iræ tuæ age contra eos.*

VEtus Interpres transtulit: *In tempore iræ tuæ ab utere eis.* Veteres *abuti* uſurpabant pro *conſumere.* Uti ex Plauto, Hortenſio & Varrone Joh. Laurenbergius f. 3. *Antiquar:* conſignavit. Imo Cato de re Ruſtica c. 76. ſcripſit: *Donec omnem caſeum cum melle abuſus fueris.* Quæ monente Cel. Diederico f. 27. Antiquar. Bibl. vera lectio eſt præ illa Zwingeri Donec omne, caſeum cum melle abuſus fueris. Hinc Cornel. à Lapide contendit ſuum Interpretem. i. e. Vulgatum eleganter & docte vertiſſe, *Abutere eis*, i. e. conſume & diſperde eos.

Sed quamvis τὸ *abuti* consumendi notione in Latio venire, neutiquam inficias ire velimus, nihilominus tamen haud videmus, quô fundamento, diligens aliàs Interpres à Latina ad Hebræam linguam argumentari queat. Ambabus, quod ajunt, ulnis concedimus, ex Latinismo Hebræas interdum phrases aliquando posse illustrari, sed argumentum firmum ex illa elici, qua ratione possit, non percipimus. Saltem τὸ *abuti* nimis catachrestice de Deo dicitur

Interpretes LXX. transtulerunt: Ἐν καιρῷ θυμῷ σῷ ποίησον ἐν αὐτοῖς, minus apte: Siquidem τὸ ב heic non est *in* sed *contra*. Paulo accuratius tamen legit Codex Alexandrinus: Ποίησον αὐτοῖς, omissa particula ἐν, ubi phrasis nihilominus plenum sensum retinet. Optime itaque versio Germanica, Und handele wieder sie zur Zeith deines Zorns. Nec non Anglus: *Deale thus with them in te time of thine anger*: Particula ב in בעתך adversative reddenda est, per *contra*: Qua notione occurrit Gen. XVI, 12. *Manus ejus* בכל *contra omnes*, & *manus omnium* בו *contra eum*. Exod. XIV, 15. *Nam Jehova pugnat pro eis* במצרים *contra Ægyptum*. Adde Num. XII, 1. XXI, 5. 1. Reg. II, 23. Jer. XXXI, 20. Mich. I, 2.

Dein לו עשה cui exacte respondet ποιεῖν simpliciter quoque usurpatur pro malo quodam afficere vel punire. Sic ad Deum effatur David Ps. XXXIX, 10. *Obmutesco, non aperio*

*rio os meum quia* עשית *tu fecisti*, i. e. punivisti, vel calamitatem immisisti mihi. Luth. Dann du hasts gethan. 1. Sam. VI, 6. Aruspices Philistæis ajunt, Cur cor vestrum obduraretis, quemadmodum Ægyptii & Pharao cor suum obdurarunt? Nonne dimiserunt eos ut abirent, באשר התעלל בהם *cum faceret* (sc: Deus) *contra eos*. Unde &, notante R. Keuchenio p. 76. R. D. Kimchi ad hunc locum notat, actum exitii designari, & cum eo confert Exod. X, 2. ubi Deus de seipso ait: אשר התעללתי במצרים *quæ feci in Ægypto*, & mox subdit, *& prodigia quæ posui in ipsis*, pro τῷ *in* constanter legere poteris *contra*, satis priore vice, non obstante voce synonyma עלל. Cæterum signa hæc nonnisi Dei flagra & Judicia fuisse constat. Idem quoque observamus ad Ezech. XXXV, 11. Ubi Deus Edomitis minatur: יעשיתי *& faciam juxta iram tuam & invidiam tuam* אשת עשיתה משנאתיך בם, *quam fecisti ex odio in ipsos*; Quale autem hoc opus futurum sit, Deus indicat his verbis: *Et innotescam ipsis, ubi indicavero te.* Hinc quod Propheta v. 11. & 15. simpliciter *facere* vocat, id v. 14. exprimit per עשות שממה *vastationem facere*, Spectat & huc, quod Ezech. XXXI, 11. Deus de Assyrio pronuntiat. Et dedisti ipsum in manus robusti Gentium, עשו יעשה לו *ut faciendo faceret ipsi*, quod Targumista recte de vindicta intelligit: Nec aberrant LXX. in versione:

Καὶ ἐποίησε τὴν ἀπόλειαν αὐτῦ, imo ipſe Jehova mentem ſuam hac de re clarius exprimit, adjiciens : Propter impietatem ejus, expuli ipſum.

Sic piorum exultabunda vox eſt : Quid faciat mihi caro ? Pſ. CXIIX, 5. 6. 11. & Hebr. XIII, 6. Et, non facere quidquam alicui, pro ne tantillum quid eum lædere, Gen. XIX, 8. XXII, 12. Et pro afflictionum vel pœnarum omiſſione offenditur vox iſta. 2. Sam. XII, 12. Pſ. CXIX, 126. Eſai. V, 5. Thren. I, 22. Ezech. XVI, 59. & XXXV, 15. Amos. III, 6. 7. Quorſum etiam imprecandi iſta formula reſpicit, apud Hebræos itidem ac Germanos uſitata : *Ita faciat mihi Deus, ſi*, κ. τ. λ.

## *Job. I, 19.*

Καὶ ἔπεσεν ἡ οἰκία ἐπὶ τὰ παιδία.

Et *cecidit Domus ſuper pueros.* Germ. Und warfs auf die Knaben. Elegantiſſime & ſolus accurate Gallus vertit. *Qui eſt tombée ſur ces jeunes Gens.* Nam Anglus ſtatum ſolum in filiis virilem reſpiciens vertit: And it fell upon the yong men, *viros juvenes.* Siquidem nuntius appellat filios Jobi, ſub iisdem & filias comprehendens, qui ſimul mortuæ erant, nuntius quippe ſolus cladem iſtam effugerat, ut illam Jobod annuntiaret. Sæpiſ-

pissime in Scriptura sacra *filii* pro utroque sexu occurrunt, ut 1. Joh. II, 1. & v. 12. 28. III, 7. 18. Imo pro tota posteritate & prole. vid. Ps. CIII, 17. Prov. XIII, 22. Quare Homerus Iliad. γ.

Καὶ παίδες παίδων, τοι μεν μετόπισθε γυνώνται.

Quod imitatus Poeta Mantuanus canit:

*Et nati natorum & qui nascuntur ab illis.*

Ubi ambo utrumque prolis sexum genere masculino eleganter efferunt. Etenim, tam à Græcis, quam in Jure Romano, *pronuntiatio sermonis in masculino sexu, ad utrumque sexum plerumque porrigit.* Leg. 195. ff. de Verborum signif. & semper sexus masculinus fœmininum continet, l. 62. ff. de Legat. 3. cf. etiam l. 201. ff. de V. S. Servi appellatio ad ancillam refertur. l. 40. ead. Patroni appellatione Patrona continetur l. 52. eod. cf. quoque leges 116. 122. & 172. eod. *Pueri* vox varia significatione gaudet. Tres memorat Paulus l. 2. Epitom. vid. l. 204. ff. eod. *Pueri* (inquit) appellatio tres significationes habet: Unam cum omnes servos pueros appellaremus. Alteram cum puerum contrario nomine puellæ diceremus. Tertiam, cum ætatem puerilem demonstraremus. Quibus forsan & quartam non incongrue adjunxeris. Cum filios vel nepotes sic vocitamus.

Puerum pro servo accipit Varro apud Nonium: *Vix vulgus confluit non furiarum, sed puerorum & ancillarum.* Qualis puer olim dictus *por*, unde Marcipor, Publipor &c. pro servis Marci Publii: Ita & stipatores Principum dixit Prudentius in Apoth.

Altera significatio hodie quid evaluit, sed priscis usitatissima erat. Paulus l. 2. ad Sabinum vid. ff. l. 163. §. 1. d. V. S. *Pueri appellatione etiam puella significatur. Nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu, & Græce παιδίον communiter appellatur.* Ubi observandum, Latinos veteres pueram genere fœminino dixisse ut annotat Nonius Priscianus l. 36. 10. 11. & l. XL. *Simul ut pueras has nocte suspirare crevi* i. est. vidi, ex Titinnio Donatus in Andria. *Properate vivere pueræ.*. Varro. Estque id magis viridioris ætatis nomen, quam virginitatis; Nam, ut præter alios Rittershusius ad Oppianum monet, *puellæ* quoque dicuntur, quæ jam maritum habent imo & gravidæ sunt, atque adeo etiam quæ pepererunt, sicut in nostro Jobi loco occurrit. Sic & Horat. l. III. carm. *laborantes utero puellas*, & Ovid. II. Fastorum.

-- *Jubet viduas cessare puellas.*

i. e. abstinere maritorum complexibus. Apud eundem Penelope se puellam vocat, quæ jam Telemachum Ulysi pepererat. Sed & puerum pro puella habuerunt, ut hic docet

cet ICtus, mea puer, ſancta puer, Proſerpina puer. Ut de Livio Andronico & Nævio referunt Chariſius l. 1. & Priſcianus l. 6. itaque vindicatur à calumnia Alciatì, qui Latinorum neminem protuliſſe puerum fœminino genere ſcribit. Et admittunt Fornerius, alii. Conf. Alberici Gentilis Comment in ff. tit de V. S. p. 298. Porro & Græci utrumque ſexum nomine παιδίον efferebant ut citatus Donatus in Andria teſtatur. *Pueros* pro quolibet ſexu, ut Græci pueros παῖδας. Producit inter alia exempla & illud Horatii. *Dicam Alcidem puerosque Ledæ.* Item Chariſius, *puer in fœminino ſexu, antiqui ut Græci.* Eadem voce puellam Lucretiam dicit. Ovid. l. II. Faſt. & Helenam l. II. de Art. Am.

-- *Et dixit, ſemper fac puer eſſe velis.*
*Ille fidem juſſis dedit, & ſi mentiar, inquit,*
*Ultima qua fallam ſit nemus illa mihi.*

Sed & filius ſub *pueri* nomine venit, ut cum Naſo Eleg. de morte Tibulli *Cupidinem* vocat Veneris *puerum*, quomodo etiam illud *ſancte puer* in Virg Culice capiendum, quia a Divo Julio adoptatus Octavianus, adeoque & ipſe Sanctus. Puer etiam dictus Imperator Romanus ad diſcrimen Romani avi, teſte Zonara. Ita quoque Ovid. l. 2. de Ponto Eleg. ad Auguſt. 8.

-- *Parce puer ſecli decus admirabile noſtri,*

cum ante dixisset *Parce Vir.* Sic & intelligenda lex XII. Sabb. SI PARENTES PUER VERBERIT. AST OLLE PLORARINT. PARENTES. PUER. DIVIS. PARENTUM SACER EST.

## Rom. I, 28.

Παρέδωκεν αὐτὺς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νῦν.

Prægnantissimæ emphaseos sunt hæc verba, omnino nostra qualicunque consideratione digna. Ut autem prætereamus emphasin vocis ἔχειν, in hoc versu præcedentis, quæ sæpius *quærendi*, quandoque etiam *retinendi* significationem implicat, dispiciamus nunc verba ἀδόκιμον νῦν. Erasmus illa vertit: Tradidit eos Deus in mentem, quæ propter scelera *omnibus displiceat.* Melius Beza: in mentem *omnis judicii expertem.* Cui consentit Gallus, en un jugement depourveu de tout jugement. A quibus paulo discedit Belga in eenen verkeerden Sinn. Et Germ. In ein verkehrten Sinn; significantius tamẽ Cl. Horchius & Piscator. In einen unachtsamen Sinn/ cum quo facit Cl. Coccejus, vertens, *nihil pensi habentem.*

Τὸ ἀδόκιμον voc. μέσον est, quod passive & active sumitur. Potest active capi ut sit ἐν ᾧ μὴ ἔστὶ δοκιμασία, in quo non est ullius boni probatio, quo sensu occurrit 2. Cor. XIII, 5. 6. Tim. II, 3. 8. recte monente Coccejo. Neq; tamen significationem passivam respuit, ut sit

νῦς

νῦς ἀδόκιμος mens reproba, vel non proba, despicabilis vel rejicienda, ut est Hebr. XII, 17. Cui respondet Hebr. נמאס *contemtus*. Ps. XV, 4. ubi LXX. habent ἐξουδενώται. Sed Jer. VI, 30. vertunt ἀργύριον ἀποδεδοκιμασμένον καλέσατε αὐτὰς, ὅτι ἀπεδοκίμασεν αὐτὰς Κύριος. In hunc sensum textum explicat Continuator Keuchenii, in h. l. Et sane nonnihil roboris ex hisce accederet sententiæ Cl. Hombergii Parerg. S. in h. l. qui cum eodem defendit versionem Erasmi, Nam & quod Aristot. ἀδόκιμον νομίσμα nummus adulterinus, ὁ δεδοκισμένος apud Platonem quoque est in pretio habitus, ut proin ἀδόκιμος sit, qui nullam meretur laudem πονηρὸς ἀπόβλητος, ἄχρηστος, si modo nexus aliam, eandemque commodiorem interpretationem non suppeditaret: Nec minus docte notat laudatus Homberg. elegantem illam antithesin, qua ludere videtur Apost. inter voces ἐδοκιμασεν & ἀδόκιμον, qualis quoque conspicitur apud LXX. in Jerem. loc. cit. Porro tamen animadvertendum, τὸ ἀδόκιμον inhonestatis notione venire Tit. I, 16. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμος, *inidoneus ad omne opus bonum.*

Quando itaque, ut etiam decet, ultimam cum prima significatione conjungamus, sensus erit prægnantissimus. Merito ergo Galli & Bezæ versionem reliquis omnibus præferimus. Nexus talem necessario flagitat. Gentiles nolebant Deum ἔχειν *retinere in notitia*, ergo

go Deus justa vindicta inidoneitatem notitiæ, i. e. judicium aufferebat, juxta illud: Per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Gentes callum quasi huic notitiæ & sensui obduxerant, ut vix sustinerent, eam conservare, vel ultra in ea progredi, quapropter illis totam veluti mentem aufferebat, dum nimirum luce sapientiæ divina illos amplius non ambiebat, & collustrare desinebat, quo factum ut tenebrarum abysso quasi inclusi, divinos radios aspicere non quirent. Ἀπελγηκότες redditi, non poterant non ex uno vitio in alterum prolabi, & belluino quasi impetu in libidinem irruere, ut adeo facerent τὰ μὴ καθήκοντα, quæ non decebant, vel minus conveniebant suis officiis: Cicero officium vertendum censet L. XVI. ad Attic. ep. 14. *Mihi non est dubium, quin quod Græci* καθῆκον, *nos officium.* Adde Budæum, Comment. Ling. Græc. p. 288.

Verbum νῦς, ut sæpe alias, sic & hoc loco pro toto animo & judicio venit. Sapientissime autem Deus illos in eo punivit, quo peccarunt. Agnoverunt hoc & οἱ ἀπόφυλοι. Lectu sane dignissima sunt verba Lycurgi in Orat. contra Leocratem. p. 53.

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ,
Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον αἱ ἐξαφροῦται φρενῶν
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Quæ

Quæ verba melius, quam Phil. Melanchton ita vertit Theophilus Alethæus personatus Joh. Kochius.

*Quod si enim ira Deorum lædit aliquem,*
*Eo ipso primum aufert mentium*
*Sensum bonum & in pejorem vertit*
*Animum, ut sentiat nihil eorum quæ peccat.*

Παρέδωκεν itaq; Deus Gentes εἰς σκληροκαρδίαν, in sensum ἀδόκιμον. Cum emphasis intensissima lateat in voce παραδίδοναι, valde miror interpretes, quod scio, omnes sicco pede illam transiisse. Doctissime tamen observat & Wilh. Momma, literatus infelix, melioreque forte dignissimus, Comment. ad h. l. τὸ παραδίδοναι vocabulum esse forense, atque illos *tradi* dici, qui accusantur, qui rei sunt ac habentur. Sic notione *tradendi* Judici aut tortori venit Act. III, 17. Matth. XVIII, 34. cui sententiæ suum addit calculum Cornel. Adami Exerc. Exeg. p. 694. Chrysostomus interpretatur εἶασιν εἶναι, *sivit esse*, nec abludit Theodoretus. T. III. ad h. l. τὸ παρέδωκεν ἀντὶ τε συνεχώρησε τέθεικε &c. quæ approbat Quistorpius in h. l. Certum quid est, talem permissionem aut desertionem, omnino aliud non efficere, quam ut peccator sibi soli relictus, in omnem nequitiam & insanos errores irruere debeat; Verum enim vero, sensus hic multo prægnantior est, quam ut hisce ei satisfieri queat.

Tu-

Tutissimum igitur erit si τὸ παραδίδοναι reddamus per *concludere*, sensus est: *Ita concluſit eos Deus in mentem omnis judicii expertem.* Particula εἰς hanc explicationem non respuit nec fastidit, ut ex exemplis afferendis patebit. Nec quoque phrasi talis versio insolens est. Nam apud Matth. IV, 12. legitur: Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη &c. quem tamen sc. Johannem carceri inclusum fuisse, constabit ex Lucæ collatione. De Paulo Act. VIII, 3. dicitur: παραδιδὺς εἰς φυλακήν, quo cum conferas Act. XXII, 4. carceri *tradidisse* pro inclusisse, quod ipsemet expressis verbis fatetur. Act. XXVI, 10. Καὶ πολλὰς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς κατέκλεισα. Ps. XXXI, 9. David scribit: Et non הסגרתני *tradidisti me in manum inimici*, LXX. Seniores vertunt καὶ σὺ συνέκλεισάς με εἰς χεῖρας ἐχθρῶν. Amos. I, 6. ubi iterum est verbum להסגיר, ὃ ὁ habent συγκλεῖσει εἰς τὴν Ἰδουμέαν: Hinc Deut. XXIII, 15. quod Deus præcipit, לא תסגיר non trades servum Domino suo. Hi iterum transferunt, σὺ παραδώσεις παῖδα τῷ κυρίῳ αὐτοῦ; verum Josuæ XX, 5. ubi legitur, *non* יסגירו *tradent homicidam in manum ejus*, sc. Vindicis sanguinis, LXX. habent: σὺ συγκλείσασι τὸν φονεύσοντα ἐν χειρὶ αὐτῶν. Ps. LXXVIII. bis occurrit verbum ויסגיר nempe vs. 48. & 62. Priore loco LXX. habent, καὶ παρέδωκεν ἐν χαλάζῃ τὰ κτήνη αὐτῶν, posteriore vero legunt: καὶ συνέκλεισεν εἰς ῥομφαίαν τὸν λαὸν αὐτοῦ &c. Ex qua vocum permutatione

tione apud Seniores clariſſime conſtare arbitramur, illis easdem pro una eademque haberi, & pro circumſtantiarum ratione uſurpari. Adde his colophonis vice 2. Pet. II, 4.

Quapropter non videmus, quid obſtet, quominus huic phraſi illam ſignificationem applicemus. Senſus enim eſt pleniſſimus, nam cum Deus videbat, Gentes tenuem illam notitiam de exiſtentia divina negligere, ſpernere, & pedibus quaſi conculcare, neque juxta exiguæ hujus notitiæ normam incedere, nec ampliorem ad adipiſcendam laborare, concluſit illos juſtiſſimâ vindictâ, in mentem inſanam omnisque judicii expertem, adeo ut ne quidem ad minimum bonum cognoſcendum eſſent idonei. Qualem talionis pœnam vide ſis Act. VII, 42.

IX.

# JACOBI HASAEI

## Observatio Geographico-Critica,

qua

## MACEDONICAM CIVITATEM

&

## ALEXANDRIAM MAGNAM,

In quarum altera *Arabs*, altera *Syrus Graecique* interpretes D. *Lucam* Evangelium consignasse scribunt,

*Eandem* civitatem esse, & quidem

## AEGYPTIACAM ALEXANDRIAM

ostenditur.

### ARGUMENTUM.

Producitur ἐναντιοφανὲς quod est inter *Arabem* ac *Syrum* ceterosque interpretes, & via *conciliationis* ostenditur. §. 1. *origo*, qui factum ut res *Aegyptiae* vocatae sint nominibus *Macedoniae*. §. 2. Hinc (l) evincitur *Aegyptum* ejusque *civitates*, variaque quae ad eam spectant, insignita esse vocibus quae *Macedoniam* alias indigitant, ut aequipollentibus. Sic dictam (a) PELLAEAM, & res *Aegyptias Pellaeas*, *regnum* Aegypti *Pellaeum*, *Reges Pellaei*, *Canopus Pellaeus*. Lucanus passim & Virgilius illustrati. §. 3.

Eadem

Eadem (b) LAGEA dicta a *Lagidis* Aegypti regibus, satrapibus origine *Macedonicis*. §. 4. Quæ & ipsa nomina *Macedonicæ* significationis data esse (II) urbi *Alexandriae* præcipue rebusque *Alexandrinis* evincitur, dictam illam (a) *Pellaeam*, ejusque regiam *Pellaeam arcem* & *aulam*, & *domum* §. 5. atque (b) *classem Alexandrinam* vocatam (b) *Lageam*, regiamque Alexandriae *Lagi regiam* & *Moenia*. §. 6. Nec minus Alexandriam eapropter dictam (c) EMATHIAM voce alias *Macedoniae* propria. §. 7. Porro (III) & ipsum τὸ ῥητὸν MACEDONICUM passim usurpasse veteres de rebus *Alexandrinis* ostenditur, atque adeo (a) *classem Alexandrinam* vocatam *Macedonicum commeatum*. Symmacho lux. §. 8. Tum (b) *Cives* incolasque hujus urbis dictos *Macedonicos* & *Macedonas*, & (c) *reges* aeque *Macedonicos* §. 9. Denique (IV) ipsam *Alexandriam* vocatam esse OPPIDUM MACEDONICUM ex illustri loco apud Dionysium Periegeten evincitur. §. 10. MAGNAM VERO ALEXANDRIAM non esse *Troada* Sed ipsam hanc *Aegyptiacam* adversus S. *Petitum* aliosque ostenditur. Alexandriae Troados cognomina. §. 11. Alexandria *Aegypti* fuit urbs *maxima* & hinc per excellentiam dicta *Alexandria*. §. 12. *Magnæque* hinc adepta titulum ex popp. Orient. Stylo. §. 13. nec desunt quae ad interpretum horum sententiae *verosimilitudinem* faciunt comprobandam. §. 14.

## §. 1.

GRæci, qui quondam N. T. Codices enarrarunt ad calcem Evangelii Lucæ memorant, ipsum illud concinnasse in urbe Αλεξανδρείᾳ ALEXANDRIA. Ut vero scias quam velint *Alexandriam*, addunt μεγάλης *magnae*

epitheton, uti Codex Bodlejanus. Τὸ κατὰ Λουκᾶν ἐγεγράφθη ἑλληνιστὶ εἰς ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΝ τὴν ΜΕΓΑΛΗΝ. Et Parisiensis alter. Εὐαγγέλιον κατὰ Λουκᾶν ἐγράφη ἑλληνιστὶ εἰς ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΝ τὴν ΜΕΓΑΛΗΝ. Quibus adstipulatur interpres *Syrus* in ipso Evangelii exordio hæc commonefaciens. *Evangelium Lucæ Evangelistæ quod protulit & Evangelizavit in ALEXANDRIA* רבתא MAGNA. Eruditos etsi discordes esse vel scias, vel dein erudiaris, de quanam *Alexandria* loquantur hi peregrini homines, utrum illam *Aegypti* an vero *Troados* nuncupatam velint: tanti tamen id negotii haud esse fateberis, quo eos fœdera jungere jubeas, ac si cum his eandem enitaris in amicitiam cogere interpretem *Arabum* qui in fine versionis Lucam id scripsisse Evangelii memorat *in civitate* MACEDONICA? Hoc enim nodo solvendo eruditi impares varià plane difficultate se vident circummunitos. Adeo ut his controversis rebus facile applices illud Flacci,

*TRES mihi convivæ prope dissentire videntur*
*Poscentes vario multum diversa palato.*

Et principio quidem nimis Catholicam hanc apud Arabem culpant locutionem, quod multæ cum variæque fuerint *Macedoniæ* civitates, aeque ac quæ *Alexandrienſium* nomen tulerunt, nimis dubium hic sermonem esse, quo exinde certam urbem, in qua Exangelista

ſta ſcribendo Evangelio operam navavit, colligas. Dein vero maximum cenſent eſſe ἐναντίον inter utriusque partis ſcriptores, dum Arabem terræ *Macedonicæ* credunt indicare *civitatem*, longiſſimo ſane tractu a *Magna Alexandria*, quam *Aegypti* eſſe cenſemus, ſejunctam. Ita enim doctiſſ. *Ludov. de Dieu*, quo ejus ſolum utamur teſtimonio ad Lucæ XXIV: 49. loquitur. *Addo hic Coronidis loco Syrum & Arabem teſtari Lucam Evangelium ſuum ſcripſiſſe Græce, Syrus porro ait ſcriptum eſſe* ALEXANDRIÆ MAGNÆ. *Arabs vero in* CIVITATE MACEDONICA. *Quæ*, addit, MULTUM DIFFERUNT. *Illa enim* AEGYPTI, *hæc* GRAECIAE *urbs fuit.* Verum neutiquam quidem adeo, ut quidem prima fronte videtur, hos adverſa fronte pugnare, conjicio. Neque enim vaga adeo compellatione uſum eſſe putarem, Arabem qua ex ſexcentis urbibus optionem concederet, ſed eundem urbem quandam *certam* & a ceteris *Macedonicæ civitatis* titulo diſcrepantem innuere. Aeque enim *Macedonicæ civitatis* ac *Alexandriæ magnae* urbi *Aegyptiorum Alexandrinae* nomen quondam datum fuiſſe declarabo, adeoque has haud *ſitu* ſed *nomine* dumtaxat differre civitates. Quam proinde conjecturam, quo hi ſcriptores amice in gratiam redeant, magnumque illud ἐναντιοφανὲς tollatur, brevibus exponamus.

§. 2. Revocabis idcirco in memoriam, Lector, & principe quidem loco Magnum *Alexandrum* regem *Macedonum* hujus civitatis autorem esse conditoremque. Tum (2) Alexandro mortuo, à Ptolemæis, æque *Macedonibus* origine, administratum esse *Aegypti* dein longissimo tempore regnum: plurimasque, (3) ut sub peregrinis regibus fieri solet ex *Macedonia* traductas esse in *Aegyptum* colonias. De quibus singulis tam luculenta compluraque apud veteres extant Historicos documenta, ut in historiis tiro nullus hæc exploratissima non habeat. His animadversis facile tibi ratio constabit, cur quidem nomen MACEDONICUM sæpissime datum AEGYPTI tum *regioni* tum *incolis*, tum & *civitatibus* reperiamus. Inde enim (*a*) *Aegyptum* ejusque civitates non modo, sed & (*b*) ipsam *Alexandriam* vocatas esse epithetis quæ *Macedoniæ* alias propriæ sunt: Tum quoque (c) ipsum *Macedonicum* nomen concessum esse *urbi* huic *rebusque* Alexandrinis: Præcipue vero eandem (*d*) & nonnunquam *Macedonicæ civitatis* titulo notatam esse operæ pretium dubio procul in hac caussa erit, ut clarissimis omnique solutis dubio evincamus testimoniis.

§. 3. *Epithetis* (I) propriis alias *Macedoniæ* non modo, sed & qui pro ipsa ponuntur *Macedonia*, ut ἰσοδυναμοῦντα, ornari *Aegyptum* resque Aegyptiacas, ostendet (A) nomen PEL-

PELLAEUM. Cui enim non dictus Hylas? a *Pella* celebri oppido *Macedoniæ*, omne *Macedonicum* vocari *Pellaeum*, uti cum Alexandrum *Macedoniæ* regem *Pellæum juvenem* vocat Juvenalis Sat. X, v. 168. eundemque *Pellæum ductorem* Lucanus L. III, v. 233. uti & *Philippum* patrem ejus pariter *Pellæum Philippum* hoc est *Macedonicum* idem L. X: v. 20. Eodem autem æque nomine venire *Aegyptum* videas & res *Aegyptiacas* ut *Pellaeæ* hoc est *Macedonicæ* compellentur. Clarissime hoc evincet egregius apud Lucanum locus L. V, Pharsal. v. 58. sqq. quo *Aegyptium regnum* vocat PELLAEUM *diadema* memorata de causa quod *Aegypti* reges *Macedonicæ* fuerint originis. Ita quippe Ptolemæum alloquitur,

*Et tibi non fidae gentis dignissima regno*
*Fortunae, PTOLEMAEE pudor, crimenque deorum,*
*Cingere PELLAEO pressos DIADEMATE crines*
*Permissum est, &c.*

Locum hunc egregium explicuit in modum *Joh. Bapt. Pius* in annot. prioribus ad varios autores Cap. 106, quæ in Thesaur. Critico J. Gruteri apparent, unde verba hæc, ut T. I. p. 509. leguntur, depromimus. *Sunt*, inquit, *qui* Pellæum diadema *exponunt* MACEDONICUM, & *consequenter* AEGYPTIUM *quoniam* Alexandria *vertex regni memorat Alexandrum*

*drum* (Macedonem) *conditorem architecto Dinocrate. Ego occultiorem historiam signari crediderim*, AEGYPTIUM *regnum* PELLÆUM *vocari hac ratione quod a rebus* (legendum *regibus*) MACEDONICIS *posteriores* PTOLEMÆI *originem ducant. - - - Quo pacto demum acciderit ut reges* AEGYPTI *nati sint ex* MACEDONICIS *docet Pausanias in Atticæ descriptione. Jam Macedonum opinio est. Ptolemæum Philippi Amyntæ filium fuisse, & ad* LAGUM *patrem per vulgi errorem deferri.* Hæc ille. Verum nec minus magnopere hæc ex aliis ejusdem poëtæ locis elucidari possunt, ubi parem reperire locutionem fas est; Sicuti cum *Aegyptiorum* militum *ensem* vocat *gladium* PELLAEUM L. IX. v. 1073. maxime vero cum eundem Ptolemæum *Aegypti* regem adpellat *regem* PELLAEUM hoc est *Macedonicum*, ibidem v. 1016.

*Rex tibi* PELLAEUS, inquit, *terræ pelagique labores Donat*, &c.

Quæ dein, ut scias eum de *Aegyptiacis* loqui rebus v. 1022. sq. explicat

*Accipe* REGNA PHARI, *nullo quæsita cruore*,
*Accipe* NILIACI *jus gurgitis*, &c.

Pariter *Canopum* celebre oppidum fuisse *Aegypti* novimus, quod cum nec a *Macedonibus* conditum quidem sit, sed *Spartanis* Canobo regis Menelai autore, historia teste: inde, cum eandem civitatem *Pellæam* vocari notamus, manifestius hinc cernimus *Aegyptium* quic-

quicquid erat, *Macedonico* nomine insigniri. Ita autem Virgilius L. IV: Georg. v. 287. agens de *Aegypto*.

*Et qua* PELLAEI *gens fortunata* CANOPI
*Accolit effuso stagnantem flumine* NILUM
*Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.*

Quod ideo testimonium adscripsimus, ne putes Lucano tantum modo id privum esse genus loquendi. Addes & Silium Italicum qui Ptolemæi regnum Aegyptium vocat *sceptra Pellæa* L. XI.

*Hic* PELLAEA *virum Ptolemæi* SCEPTRA, *vehentum*
*Eripuere minis* - -

Quantumvis enim hic de regno ejusdem Ptolemæi Cyrenaico loqui poëtam ex antecedentibus colligas: tamen nomen hoc spectat proprie Alexandrinum seu *Aegyptium* imperium, & Dausquejo, eruditissimo interprete, notante.

§. 4. Pari ratione, cum Ptolemæi, reges *Aegypti*, originis quidem *Macedonicæ*, Ptolemæo *Lagi* nomen *Lagidarum* acceperint, ut Historiæ docent, vetusque Juven. Scholiastes ad Sat: VI: v. 83. notat: inde & notabis omnes (B) res *Aegyptiacas* nomen accepisse *Lagearum* quod eapropter æque altero *Macedonicarum* æquipollet. Sic *classem Alexandrinam* seu *Aegyptiam*, quæ frumentum Romam

deportabat, vocari *Lageam ratim* videmus à Silio Italico L. X: v. 322.

*Sic* LAGEA RATIS *vasto velut insula Ponto*
*Conspecta illi sit scopulis* -- -- --

Atque *Aegyptia* pubes apud eundem *Lagea juventus* L. X: v. 394.

-- -- *Praestet* LAGEA *Juventus*
*Hoc Regi: Romana sibi* -- --

Pariterque ut *Aegyptium regnum* ab eodem *Pellæum* vocari vidimus, sic & eidem audit LAGEUM L. X: v. 4. unde & *Nilus* fluvius *Aegypti* nobilissimus LAGEUS exinde dicitur L. I: v. 684.

§. 5. Ne vero, hæc quidem variis *Aegypti* negotiis accommodari nomina *Macedonica*, ab ALEXANDRINA autem *civitate*, de qua nobis heic loci princeps sermo est, exulare forsan credat quispiam: age & hæc ipsa epitheta (11) *huic* urbi nec minus data esse & concessa annotemus. Sic *Alexandriæ* quæ fuit *arx regia*, imo ipsam civitatem dici (a) PELLAEAM *scias*. *Pellæas arces* vocari certe a Lucano L. IX. v. 153. haud est cur dubites.

*Non ego*, inquit, PELLAEAS ARCES *adytisque retectum*
*Corpus* ALEXANDRI *pigra Mareotide mergam*,

*Alexandri* quippe M. Manes in hac urbe conditi fuere, historiis luculenter hac in re testibus. Consule & Eustathium ad Dionys. Pe-

Perieg. v. 254. Expende & hæc ejusdem Lucani L. X: v. 509.

*Tunc clauſtrum pelagi cœpit* PHARON. *Inſula quondam*
*In medio ſtetit illa mari, ſub tempore vatis*
*Proteos : at nunc eſt* PELLAEIS *proxima* MURIS.

*Pharon* quippe fuiſſe vicinam urbi *Alexandriæ* docebunt abunde Geographi, unde per *Pellæos muros* hanc ipſam civitatem indigitari, neminem ulla dubitatione ancipitem hæſiturum confidimus. Apud eundem & hæc de Cajo Julio Cæſare *Alexandriæ* apud Cleopatram Reginam commorante legimus L. X: v. 55.

- - PELLAEA *tutus in* AULA
*Caeſar erat* - - -

Erat enim *aula* regum Aegypti *Macedonicorum* in urbe *Alexandria*, unde & eadem hinc PELLAEA *domus* audit eidem L. VIII: v. 475.

§. 6. Aeque pariter (b) inde nomen LAGEAE inter ſua nominat Alexandria eadem ex ratione Marcellus Sidetes de claſſe *Alexandrina*.

*Et quicquid confert medicis* LAGEA *cataplus.*

*Cataplus* quippe *Lagea* frumentaria eſt claſſis *Alexandrina*, quemadmodum vel ſolam vocem *Cataplus* pro eadem per excellentiam ſumi in diſſ. de Navib. Alex. Cap. IV: §. 4. indicavi. Sic eandem & LAGEAM *ratim* vocari a Silio Italico §. 4. hujus diſſ. vidimus. Nam

& Alexandriam hinc *Lagi regiam* aliquoties idem appellat Lucanus L. X: v. 527.

*- - - non ipse Tyrannus*
*Sufficit in pœnas, non omnis* REGIALAGI.

Et L. V: v. 62.

*Atque utinam in populos donata est* REGIA LAGI,

Sic & *moenia Lagi*, quod ipsum cum *macedonica civitate* pari significatione ambulat, Juvenalis Sat. VI. v. 83.

*Nupta senatori comitata est Hippia Ludum*
*Ad* PHARON & NILUM *famosaque* MOENIA LAGI.

Ubi hæc veteris Scholiastis annotatione non indigna: *Moenia Lagi*, inquit, ALEXANDRIAM *dicit, quam* LAGUS (Ptolemæus) *tenuit. Ptolemæus cognominatus* Lagus, *atque deinceps ceteri reges* Lagi *sunt appellati.* De quo *Lagi* nomine & *Lagorum* plura Joh: Britannicus in notis ad Juvenalem protulit, & Salmas. Exercit. in Solin. p. 443.

§. 7. Eandem Alexandriam inde quoque dici (c) EMATHIAM commemorabile est. *Emathia* quippe fuit *Macedoniæ* regio, unde & ejus regni epitheton, vicinorumque dioeceseon. Imo nomen omnium Macedoniæ regionum *antiquissimum*, hoc Eustathius ad Dion: Perieg. v. 254. notat. Interea tamen loci & *Alexandriam* vocat eodem jure Lucanus *Emathia tecta* L. X. Phars. v. 58. agens de Cleopatra, quæ sese

*In-*

*Intulit* EMATHIIS *ignaro Caesare* TECTIS.

Quo nomine *Alexandrinam* civitatem denotari nec *Hugoni Grotio* obscurum fuit, ut notatum reperi in annotatiunculis quibus tenebricoso passim huic scriptori facem accendit. Utrum igitur *Emathia tecta* seu *macedonicam civitatem* dixisset poëta, si leges versus jussissent, perinde fuisset.

§. 8. Sed & (III) id evictum dabimus ipsum τὸ ῥητὸν MACEDONICUM passim usurpasse veteres de rebus ALEXANDRINIS civitateque *Alexandrina*, quo *Alexandrinum* pariter ac *Macedonicum* veteribus fuisse Synonyma pervideas. Inde enim est (a) quod Symmachus ALEXANDRINAM *classem* frumentariam sæpius vocet *commeatum* MACEDONICUM, veluti L. III: Epist. 82. *Versus est ex inopia in gaudium publicus metus, postquam venerabilis Pater Patriæ* MACEDONICIS COMMEATIBUS *Africæ damna pensavit.* Et Epist. 55. *Hinc* (ex agro & villa mea) *lubens video quid frugis indies accedat, quid Romanis horreis* MACEDONICUS *adjiciat* COMMEATUS. Nam nomen *commeatus*, uti & aliis Classibus, ita maxime *frumentariae Alexandrinorum* datum esse, docui in dissert. de Nav. Alexandr. Cap. II: §. 5. Nunquam vero accidit ut *Macedonia* impleverit horrea *Romana*, ad sedandam populi famem, frumento; Præter Siciliam enim tum *Aegyptus* tum *Africa* fuere populi Ro-

Romani horrea. Hinc Symmachus ait, quod AFRICÆ *damna* (ea fruges mittere negligente) *commeatibus* MACEDONICIS *pensata sint*, hoc est *Aegyptiis*, qui *Alexandriae*, urbe Aegypti principe collecta, coadunata classe *Puteolos* mittebantur. Vide citatæ differt. Cap. IV. Confer autem cum Symmacho Claudianum de Bello Gildon. v. 56. qui, si *Aegyptus* frumentum negasset, illud contra *Africanis* esse pensatum messibus adserit.

- -- MEMPHIS (Aegyptus) *si forte negasset*
*Pensabam* PHARIUM GAETULIS *messibus*
ANNUM.

Audiendus enim minime & Lipsius qui ex priore loco Symmachi colligi posse existimat & ex *Macedonia* Romam frumentarias naves advenisse, qua de re ne γρὺ quidem apud scriptores reperimus. Sed dudum hunc docti viri errorem me correxisse memini cum in diss. de Nav. Alex. Cap. II. §. 5. tum in alia quæ extat in Tom. XII. Histor: Crit. Reip. litt. sect. III.

§. 9. His addes (b) & *cives* incolasque *Alexandrinæ* civitatis gavisos esse sæpenumero MACEDONICORUM nominibus. De Judæis *Alexandriæ*, incolis annotat Josephus L. II: contra Apion. p. 1063. Edit. Lips. quod eis non solum Magnus Alexander in hac urbe sua locum commorandi concesserit, iisque auxerit privilegiis ut fruerentur ἴσης παρὰ τοῖς ΜΑΚΕΔΟΣΙ τιμῆς, *iisdem cum* MACEDONI-

NIBUS (coloniæ illius novæ autoribus) *honoribus*: *Sed & quod* μέχρι νῦν ἡ Φυλὴ τὴν προηγορίαν εἶχε ΜΑΚΕΔΟΝΕΣ: *inde ab Alexandri* M. *ætate ad sua tempora eorum societas* (quæ *Alexandriæ* est) *nomen habeat* MACEDONUM. Eundem Josephum L. II. Antiq. Jud. Cap. 2. Judæis Alexandrinis permisisse Alexandrum M. se χρηματίζειν ΜΑΚΕΔΟΝΕΣ *vocare* MACEDONAS *observat* Jſ. Vossius Variar. observ. Cap. X. p. 48. Verum cum ibi hæc scripta haud repererim, oportet quo alio apud eundem legantur loco mihi non obvio. Contulisse vero juvabit quæ de *Judæorum* antiquitate ab ipsis urbis *Alexandrinæ incunabulis*, paribusque cum ceteris Alexandrinis seu coloniis Græcis *Macedonicis* eo traductis, privilegiis se compertum habere Claudius Rom. Imp. testatur in Edicto, quod apud Josephum legimus L. XIX: Orig. Jud. Cap. 4.

Adde vero quæ idem Vossius (c) illic ex Pausania notavit de *regibus Aegyptiacis* æque hinc MACEDONICIS vocatis, qui magni Alexandri vices exceperunt.

§. 10. Verum, ne quispiam dubitandi supersit locus *Alexandriam* veteres vocasse nonnunquam *Macedonicam civitatem*, adeoque & ab *Arabe* eandem heic insignitam videri, adest (IV) illustrissimus apud Dionysium Periegeten locus v. 254. ubi eadem apertissime Μακηδόνιον πτολίεθρον vocatur.

Τῆς πρὸς μὲν ζεφύροιο ΜΑΚΗΔΟΝΙΟΝ ΠΤΟ-
ΛΙΕΘΡΟΝ.

*Ad hujus* (lacus Serbonii) *Zephirum eſt* MA-
CEDONICUM OPPIDUM.

Elegantiſſimum hoc teſtimonium quondam me fugit cum hoc ſuper negotio de Arabis interpretis mente, ſententiæ meæ ſummam litteris mandabam, quam in Tom. XII. Hiſtor. Crit. Reip. litt. ſect. III. leges. Sed editor politiſſimi hujus libelli *Samuel Maſſo*, vir exquiſitiſſimæ in Sacra Critica variiſque eruditionis partibus doctrinæ, eundem meos ad uſus notavit in additionibus ad hunc Tomum pag. 469. quo nomine, ut par eſt, amiciſſimo mihi viro, plurimas gratias refero. Neque enim dubitandi ſupereſt locus quin magnopere ſententiam noſtram illuſtratum eat. Quemadmodum enim rerum ſeries ſuadet (quod de *Aegypto* Geographo ſermo ſit) intelligendam eſſe Μακηδονίᾳ πτολιέθρᾳ nomine ALEXANDRIAM; ita & elegantiſſimas Euſtathii in hunc ſcriptorem notas id obſervaſſe pervideas. Τὸ ΜΑΚΗΔΟΝΙΟΝ πτολιέθρον, ait, ἐστιν ἡ τοῦ ΜΑΚΕΔΟΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ὁμώνυμος πόλις κ. τ. λ. MACEDONICUM OPPIDUM *eſt urbs quæ ab* ALEXANDRO MACEDONE *nomen habet* &c. At hanc aliam haud eſſe, quam *Aegypti* Alexandriam, ut rerum ſeries jubet nos credere, ſic & ex iis apparet quæ

dein

dein differit Eustathius, pergens. Ὁρᾷ δὲ ὅτι παρέφρασε ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΝ ἐκ αὐτὸ τοῦτο εἰπὼν ὅπερ καλεῖται, ἀλλὰ Μακηδόνιον ὀνομάσας πτολίεθρον ὡς ἂν εἰς μνήμην ἱστορίας ἀγάγῃ τὸν ἀκροατήν. h. e. *Vide autem quomodo periphrasi utens* ALEXANDRIAM *haud consueto illo nomine* (quo κατ' ἐξοχὴν *Aegypti* illa vocatur) *appellat, sed* Macedonium *vocat* oppidum, ut *Lectorem in rerum gestarum memoriam introducat*: Nimirum conditæ a *Macedone* Alexandro urbis, ejus sepulturæ, dein & regum *Macedonicorum*, &c. Pari proinde gaudet periphrasi dictio interpretis Arabi qua hæc Periegetis Dionysii ῥῆσις, quibus & similis est alia Ovidii qua hanc civitatem *urbem* dicit *Alexandri* æque periphrastice L. I: Trist. Eleg. II: v. 79. memorans se ideo ab Augusto in exilium mitti

*Non ut* ALEXANDRI *claram delatus in* URBEM
*Delitias videat*, NILE *jocose*, *tuas.*

Atque hæc de Arabi interpretis *Macedonica civitate.*

§. 11. Nunc & alterum τῶν ἐναντιοφανῶν expediamus, numque & *Alexandria*, quam Syrus ceterique Græci memorant, ipsa hæc *Aegytia* sit, seu *Macedonica civitas* Arabo memorata, dispiciamus. Dignus & ipse vindice nodus, quoniam TROADENSEM hic innui *Alexandriam* sententia eruditissimorum hominum haud caret Autoritatibus. Legimus enim

nim, hæc ſcripta à longe Celeberrimo ſummæque eruditionis *Joh. Alb. Fabricio* Bibl. Græc. L. IV. Cap. V: §. 4. p. 134. *Alexandriæ Evangelium protuliſſe Lucam Syrus interpres annotavit.* ALEXANDRIAM *intellige* TROADIS (*vide Sam. Petiti Varias Lect. L. I. Cap.* 12.) *ubi Pauli ſe factum comitem teſtatur Lucas Act. XVI:* 11. Vellem ut Petiti liber mihi ad manus eſſet quo videre poſſim quibus argumentis ſententiam hanc adſtruxerit. Sed quantum conjectura adſequi poſſum tanti non erunt, quo id perſuadere nobis facile poſſent, intelligendam hic eſſe Alexandriam *Troados.* Quippe (a) ſi vel ſolius apud Syrum extaret *Alexandriæ* nomen haud addito epitheto רבתא *magnae*, facile intellexiſſes *Aegyptiacam* indigitari, utpote quam per excellentiam ita vocari apud ſcriptores §. 12. cauſam commemorabimus. *Troadenſem* enim, tametſi egregia ſane urbs fuit, haud quaquam nomine unico *Alexandriae* gaviſam eſſe unquam memini, quippe quæ ad diſcrepantiam ceterarum ejus nominis urbium perpetuo certis circumſcribitur nominibus: Vel enim (1) nude *Troada* appellant veteres, ut in SS. litt. Actor. XVI: 11. XXII: 6. 2. Cor. II: 12, 2. Tim. IV: 13. & in Digeſtis. *l.* 7. *l.* 8. *ff. de Cenſib.* aut (2) *Alexandriam Troados* addito principe nomine. Vide Plinium Hiſt. Nat. L. V: Cap. 30 quem titulum potiſſimum nummos exhibere docuit Cellarius P. II. Ant. Geogr. p. 55. & in diſſ. de

Amoen.

Amoen. Hiſtor. & Geogr. in Itin. Pauli aliaque veterum loca quæ Spanhemius ad Callim. H. in Cerer. p. 742. protulit. Alias & ſæpius (3) titulo Col. AUGTROAD. vel COL. ALEX. AUG. in nummis venit, ſed additis ſemper his appellationibus, ut ibidem loci docet Spanhemius: Præter hæc tamen ſolemniora etiam (4) nomen occurrit *Antoninianæ*, ceu in nummo apud Spanhemium de uſu & Præſt. numiſm. p. 776. Edit. ſecund. nec non & (4) ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΥ, quod propter *Scamandrum* fluvium *ſitum* nacta ſit. Quo rariſſimo titulo occurrit in elegantiſſimo nummo quem illuſtris *Cuperus* exhibet in Monum. Antiq. p. 210. cujus fide hac in re nitor atque explicatione.

§. XII. Quicquid autem horum ſit, Alexandriam Troados (b) unquam MAGNAE ſuperbiiſſe nomine, ullo poſſe quempiam comprobare veteri documento valde incredulus ſum. Nam haud ſolum Alexandriæ mentionem facit Syrus interpres, ſed præcipue & δεικτικῶς certam innuit cui רבתא MAGNAE nomen ex veterum ſtylo aptum eſt, ut & Græci ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ ΜΕΓΑΛΗΣ. *Magnam* autem (c) *Alexandriam* eam eſſe, qua *Aegyptus* quondam nobilis fuit, & quidem heic loci notari verſio nos docebit *Perſica*, quam Græcis & Syro haud adverſam eſſe putamus, utpote quam & ex *Syriaca* translatam eſſe plurimi cenſent. Ea habet ut in Polyglottis Waltoni ex-

tat. *Evangelium Lucæ, quod lingua Graeca*, ÆGYPTIACA *in* ALEXANDRIA *scripsit*. Et recte quidem sive ille Græcum interpres seu Syrum textum transtulerit, *magnam Alexandriam* nomine *Aegyptiacae* venire censuit. Inter ceteras enim hujus nominis urbes & *magnitudine*, & rerum gestarum gloria magnopere caput extulit, ita ut, cum omnium princeps esset, καθ' ἐξοχὴν dicta sit, πόλις, ut Athenæ ἄστυ & Roma *urbs*. Erat enim ΜΕΓΙΣΤΗ μετὰ τὴν ΡΩΜΗΝ πόλις, MAXIMA *urbs post Romam* Josepho teste L. IV. de Bello Jud. Cap. ult. Quinimo eandem hinc dici ΡΩΜΗΝ Αἰγύπτου in nummo Antonii triumviri nonnullis ostendere annisus est Patinus in Hist. Imp. Num. p. 21. quod insigni ornamento esset, quemadmodum ita & Constantinopolin Justiniani ævo *Romam* vocatam esse nos Pandectæ juris docent in confirmationibus Digestorum & Codicis, quæ extant Cod. L. I. Tit. 17. At cum hæc nota satis res sit, conferantur modo quæ de hujus *magnitudine* civitatis atque excellentia monuere cum Is. Vossius Var. observ. Cap. X. tum Freinshemius ad Curtii L. IV: Cap. VIII: §. 1-6. collato Plinio L. V. Hist. N. c. 10. & Josepho L. II: de Bello Jud. c. 28. Atque inde eadem & solo *Alexandriae* nomine millies usu venit in scriptis veterum: velut apud Josephum Ant. J. L. XVIII. Cap. 1. Plin. L. V: c. 10. Strabonem L. XVII: p. 547. Ammian. Marcellin. L. XXII: c. 41. Horatium

L. IV:

L. IV: od: XIV: v. 35. Philonem in Flaccum p. 1028. Sueton. Veſpaſ. Cap. 5. Neron. cap. 20. Plinium Procœm. Hiſt. Nat. L. XIX. & L. VI: c. 23. aliosque in locis innumeris. Rectiſſime hinc illuſtriſſ. Spanhemius ad Callim. H. in Cerer. v. 135. alium errorem Iſaaci Voſſii, priori quem Petitus commiſit fere parem, corrigit, quod nummum ſolo ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ inſignitum nomine addito epitheto nullo, de *Troadenſi* acceperit *Alexandria*, cum ex ipſo nomine hoc, *Aegyptiam* indicari ſcire ſatis potuerit, utpote quo illa per excellentiam ſalutatur, de quo nummo & Patinum adeas Hiſt. Imp. Numiſm. p. 273.

§. XIII. Si vero in *originem* inquiras tituli *Magnae* Alexandriæ, cenſeo non usque adeo ob diſcrepantiam a ceteris hujus nominis urbibus id datum eſſe huic civitati, ſeu ea propter quod plures fuerint Alexandriæ: Sed potiſſimum quod ſtylo populis *orientalibus* (Aegyptus enim æque ad *orientem* ſpectabat) familiari, urbes civium numero & ædificiorum multitudine amplitudineque ſpatii inſignes, nomine *magnarum* decoraverint, tametſi alias ejusdem nominis urbes orbis terrarum ſaltem eo tempore ignoraverit. Sic *Sidon* dicitur צידן רבה *Zidon rabba* plane ut a Syro Alexandria noſtra רבתא *rabatta* ſeu *Magna* uti & Græca verſio habet Σιδὼν ἡ μεγάλη. Joſuæ. XI: 13. hoc eſt, ampla, dives, potens, & nobilis. Et Babylon Dan. IV: 27. בבל רבתא *Babel rab.*

*rabbeta* i. e. magna quæ ſane & maxima urbium erat. Hieroſolyma vocatur μεγάλη Appiano in Syriacis p. 191. Conſtantinopolis קוסמנרינה רבתא *Conſtantinopolis* MAGNA apud Rabbi Eliam orientalem occurrit Conſilior. Cap. 57. & 58. Et quis neſcit Romam toties גדולא & רבתא ſeu *magnam* vocari ab orientalibus? Hinc & vetus Carthago a Plinio L. V: Hiſt. Nat. c. 4. nomen *magnæ* accepit ab *amplitudine* ejus, non ad diſtinctionem ab alia Carthagine in Hiſpania ejusdem colonia. Pari jure & *Nilum* aliquoties vocari נהל גדול *fluvium magnum* ſeu *Nilum magnum* (eſt enim nomen ipſum *Nili* νείλος a נהל) in Sacris litteris meminimus, qui & inde μεγάλος ποταμὸς nomine venit apud Ptolemæum L. IV. Cap. 5. qui *maximus* fluvius erat, non quo ab aliis Nilis diſcerneretur.

§. 14. Et hæc quidem ſunt quæ ad horum interpretum veterum mentem pernoſcendam aperte, quamque illi civitatem, in qua Lucas Evangelium ſcripſerit, innuant, ne hos adverſis pugnare aciebus eruditi deinceps ut olim exiſtiment, perſpiciendum, adducere in præſenti adlubuit. Quæ vero ad eorundem ſententiæ faciunt *comprobandam veroſimilitudinem* (certi enim in his tenebris veteris ævi nihil dicere habemus) DEO fortunante ſequenti Faſciculo tradituri ſumus, ubi nos illuſtraturos uberius ſperamus veteris Lexicographi Syriaci teſtimonium, *Theophilum* cui Lucas

eas Evangelium inscripsit fuisse ALEXANDRINUM tradentis, quod Celeberrimus *Heumannus* in diss: de *Theophilo*, hac ipsa in Bibliotheca impressa nupero Fasciculo, citat §. 5. p. 491. nosque quondam ad harum facere nonnihil illustrationem rerum existimavimus.

## X.

# Das Gericht des Allerhöchsten ꝛc.

Id est

Judicium Altissimi in terrorem & abolitionem Regnorum mundi hujus animalium ac solarnen firmamentumque Ecclesiæ Dei gerendum nec non glorioſum Messiæ Regnum in fine dierum pleno splendore erigendum, quod Danieli in Visione c. VII. monstratum est; addita exegesi quorundam selectorum Scripturæ sacræ locorum, Authore

## JOANNE DANIELE MANN, Eccleſiæ Reformatæ Clivenſis Paſtore, Suſati. 1720. 4. Partes duæ, quarum prima habet pag. 128. ſecunda pagg. 229.

EXhibetur hic faſciculus materiarum Theologicarum & maximam partem Propheticarum, quæ & ponderatu ſunt digniſſimæ & diligentiæ Admodum Reverendi Authoris ſpecimen egregium exhibent. Viſum Danielis hoc ordine pertractatur, ut primo ſingulorum verborum, phraſium, emblematum emphaſis perſpicue doceatur, dein implementum indicetur, ex quo hypotheſin Cl. Authoris paucis communicare juvabit. Rejiciuntur & refutantur in anteceſſum ſententiæ aliorum Interpretum, qui aut de IV. Monarchiis, aut de ſolo tempore N. T. hanc Prophetiam explicarunt. Noſter *Leonem* habet pro emblemate Regni Medo-Perſici, ſub Cyri Imperio. *Alæ* hujus Leonis duo Regna Medorum & Perſarum exprimunt: *Cor humanum* ei datum, agnitionem Dei Iſraëlis, qua permotus Judæis libertatem reddidit. *Urſum* confert cum *Xerxe*. In *Pardo* invenit Regnum Macedonicum ab Alexandro M. erectum. *Quartum animal* ei eſt Imperium Romanum. *Cornu* illud *parvum* deſignat

signat Regnum Ottomannicum, cujus finis incidet in Regnum Sanctorum adhuc erigendum.

Textus reliqui, quos methodo grata & facili pertractat Author, hi sunt. I. 1. Petr. II. 9. II. Zach. I, 1. III. Jes. LII. 8. 9. 10. ubi in demonstratione nexus problema proponitur, annon caput Jesaiæ LII. a commate secundo possit haberi pro compendio vaticinii prolixioris, quod a cap. LIII. usque ad finem capitis LX. decurrit, & ita quidem, ut in capite textuali septuplex Ecclesiæ sors brevissimis thesibus dein latius exponendis proponatur. Secundum hanc hypothesin cum vs. 2-6. confertur Caput LIII. cum vs. 7. Caput LIV. cum vs. 8. 9. 10. Caput LV. LVI. cum vs. 11. 12. Cap. LVII. cum vs. 13. 14. Cap. LVIII. LIX. cum vs. 15. Cap. LX. IV. Sequitur Psalm. LXXXIX. 10. 11. ubi per *Rahab* intelligitur Ægyptus, quia nempe רהב apud Arabes *pyrum* designat, cujus figuram Ægyptus inferior refert, unde Metropolis Ægypti inferioris dicebatur *Athribis*, id est, *cor pyri*. V. Jes. LXIII. 1-6. in quo loco hypothesis eorum eligitur, qui non de Passionibus Messiæ, sed de Vindicta ejus ultimis diebus exercenda Prophetam agere censent. Sententia eorum his argumentis corroboratur 1.) quia nexus id requirit, tum capitis antecedentis, quod in temporibus ultimis finit, cum v. 7. statim sequentis, a quo Propheta ultimam Judæo-

rum converſionem deſcribere pergit. 2.) Quia Meſſias hic conſideratur non tanquam patiens, ſed agens, non calcatus ſed calcans incolas Edomi & Bozræ. 3.) Quia vindemiæ ſymbolum indicat hic reſpici non initium ſed finem anni acceptationis. 4.) Quia congeſtio botrorum in torcular, ejusque calcatio eſt pictura judicii diſcretivi bonorum a malis. 5.) Accedit parallelia locorum Gen. XLIX, 11. Apoc. XIX, 11-16. VI. Ultimus locus, qui explanatur eſt Hoſ. XIV. 6. 7. In his omnibus Rev. Author hieroglyphica ſacra haut pauca eleganter explanat, talesque eruditionis ſuæ ſtricturas dat, ut dubitandum non ſit, ſi ei placuerit, cujus ſpem quandam in præfatione excitat, commentarios in quosdam ſacri Codicis libros pro ſuggeſtus explicatos publici juris facere, illum operam ſuam ad ædificationem Eccleſiæ impenſam plane non luſurum eſſe.

XI.

# THEODORI HASAEI,

# De Phrasi Ebraeorum,

## TEGERE PEDES,

## Observatio,

## qua probatur illa eos denotare

## *Dormitionem.*

### SUMMARIUM.

Phrasis hæc notare vulgo creditur d*ejectionem alvi* §.1. De*Somno* tamen capienda est. Dicendorum summa §. 2. Illam enim interpretationem ferre (A) *potest.* §. 3. Quod ostenditur a ritu veterum, qui dormientes tegebant pedes *stragulis* §. 4. מרגלות. Ruth. III: 5. §. 5. Et (B) *debet.* Quod docent circumstantiae historiae Eglonis Judicum III: 24. §. 6. 7. 8. Et Davidis & Saulis 1. *Sam.* XXIV: 3. §. 9. Neque haec (C) prorsus ignota fuit veteribus. *Josepho, Syro, Arabi, Chrysostomo.* §. 10. *Sulpitio* Severo. Notatur Possinus. §. 11. Ex recentioribus anonymo Anglo §. 12. Των LXX. versio adducitur, examinatur, Ανασκευασασθαι. Παρασκευασασθαι. §. 13. Σκευ& pro re turpi. Παρασκευων. Vulgata Strabonis lectio contra Casaubonum defenditur §. 14. Epigramma de *Pachomio.* §. 15.

§. 1.

NOtus omnibus est ille apud Ebræos tritus loquendi modus, סך רגלים, *Tegere pedes*, qui bis in sacris paginis, nimirum Jud. III: 24. & 1. Sam. XXIV: 3. occurrit. Valde tritum est, eum vulgo per εὐφημισμον, quem Judæi dicunt לשון נבוך explicari de κοιλιολυσια, sive ea per alvi, sive vesicae dejectionem fiat. Id quidem a magistris recutitae gentis fit, quantum scio, omnibus, qui videntur ducem secuti Jonathanem Targumistam, qui in loco illo Judicum habet עביד הוא ית צרכיה, & in altero Samuelis למעיר צורכיה, quasi dicas *necessitatem facere*, quæ locutio apud Anglos & Germanos nostros, illi enim dicunt *te do their needs*, hi autem, seine Nothdurfft verrichten / etiamnum superat. Horum vestigia, ut solet alias, pressit Hieronymus, vel quisquis vulgatae versionis auctor est. Illum autem reliqui interpretes Christiani facto veluti agmine sectantur, ut nullum paene sciam recentiorum, qui exposuerit aliter. Imo Johanni DALLAEO, viro sane magno, & splendidissimo cœtus nostri ornamento, tam insolita atque ἀπροσδιονυσον visa est Johannis Chrysostomi explicatio, qui de capto somno fuerat phrasin interpretatus, ut Patrum errores recensiturus, hunc quoque tamquam insigniorem & exempli loco reliquis adjunxerit in doctissimo de

usu

usu Patrum scripto, libri nimirum secundi capite tertio.

§. 2. Verum enimvero, quomodocunque etiam se res habeat, jam diu est, quod de illa phrasi cogitanti intensius, visa illa est mihi non id significare, quod vulgo significare putant, sed Ebraeis nihil esse *aliud, quam somni captandi gratia se conferre cubitum.* Quam opinionem, ne olim aliquis inter gravissimos errores recenseat, ostendam *primum* illius rationem, *deinde* vix aliam locis scripturae, in quibus legitur, convenire, *denique* non ita esse peregrinam, ut ab omnibus vel veterum vel novorum destituatur auctoritatibus.

§. 3. Quamquam enim (A) prima fronte *somno* cum *pedum tegumento* parum intercedere familiaritatis videri posset, non minor tamen haec, quam illa ἀναλογια est, quam illi, qui de exoneratione ventris cogitant, inter hanc & pedum tegmen adesse deprehendunt. Hi enim petitam locutionem hanc volunt, a more loquendi Hebraeis, praesertim in sacris monementis usitato, quo factū aliquod ab actione quadam, quae cum illa conjuncta est necessariò, denominant, atque ita, cum qui operantur naturae solent inferiora corporis membra, quae Apostolus ἀπιμωτερα καὶ ἀσχημονα nuncupat 1. Cor. XII: 23. vestibus, quibus orientales populi longis utebantur, contegere, hinc illos dictos esse *pedes tegere* opinantur. At similem plane in modum se

res

res habet, cum illis, qui fruendae quietis causa in lectis cubant.

§. 4. Nimirum cum veteres plerumque nudatis incederent pedibus, aut tantum eorum inferiores partes soleis essent munitae, illi, qui ad carpendum somnum se in lectum conjiciebant, id potissimum curabant, ut pedes stragulis (*a*) quae Graeci περιστρωματα vel περιπετασματα vocant vel etiam vestibus (*b*) tecti, ut ab injuria aeris, & frigore, quo nihil illis magis est noxium, tuti atque immunes praestarentur. Praeterea, ut Græcis & Romanis, ita & Judaeis illarum vestium usus, quas *femoralia*, & *tibialia*, *vel braccas* hodie vocamus, plane erat ignotus. De qua re consule ante omnes Isaacum *Casaubonum* ad Suet. Aug. c. 82. Hinc cum illae partes, quae honeste non nominantur, facile adstantium oculis paterent, hinc curandum erat sollicite illis, qui in mollibus toris decumbebant, ut illae vel veste

(*a*) De veterum stragulis injectis vide Alstorphium de lectis Vett. c. 8. & 15. Raderum ad Mart. L. II. ep. 14. Marcellum Donatum in dilucid. Auct. ad Liv. p. 74. 75. Nicol. de substr. & oppign. vest. c. IX. §. 4. Grapaldum in Onom. L. II. p. 280. Salmas. ad Vopisc. p. 398. Meurs. de luxu Rom. c. 10.

(*b*) Vestes injectas lectis docet elegans locus Ovid. L. VIII. Metam. vs. 655. sqq.

*-- In medio torus est de mollibus ulvis*
*Impositus lecto, sponda pedibusque salignis*
*VESTIBUS hunc velant, quas non nisi tempore festo*
*Sternere consuerant --*

veſte vel ſtragulis obtegerentur. Cum autem τὰ αἰδοια Hebræi ἐυφημισντες appellant(c) *pedes*, vides, qua ratione, qui dormitum iverant, ad ſomnum præcipue meridianum carpendum, dici potuerint *texiſſe pedes*.

§. 5. Ejuscemodi autem pedum ſtragulas dormientibus in gente Judaica jam ab antiquisſimis temporibus fuiſſe in uſu, diſcimus ex hiſtoria Ruthae c. III: vſ. 5. 7. 8. 14. ubi mentionem fieri vidimus τῶ מרגלות, i. e. pedum tegumentis. Ut enim à ראש *caput*, fit מראשות, pulvinaria, quae capiti ſupponuntur, ita à רגל *pes* fit מרגלית, quaſi *pedalia* diceres vel *pedanea*, i. e. ſtragula, quæ injiciuntur dormientium pedibus.

§. 6. *Poſſe itaque* phraſin noſtram eam, quam dedimus, explicationem pati ex dictis conſtat, ſed & vix aliam locum habere (B) in utroque illo, in quo legitur, loco totius narrationis circumſtantiae docent. Quod enim attinet hiſtoriam Eglonis, Moabitarum Regis, quae in libro Judicum recenſetur, ille, poſtquam in cœnaculo aeſtivo (בעלה המקרה, ταμειῳ τῳ ϑερινῳ, ut habent LXX. ἐν δωματιῳ δεξιως προς ϑερῳ ἐχοντι, ut vertit Joſephus vel in בת קיצא Domo aeſtatis, ut explicat Targumiſta, i. e. *Coenaculo facto cum multis fene-*

(c) Vide de hac phraſi *Gatak.* in Cinno L. II. c. 3. Druſ. in quaeſt. per Epp. & in L. Judicum. *Sanctium* ad Eſ. c. VI, 2. ut & in h. l. Samuelis. Feſſ. in adverſ. L. M. c. 6. int.

*feneſtris, per quas ingredi poſſit ventus* לקרר *ad refrigendum, ubi commorari ſolent tempore aeſtivo*, ut explicat Kimchius, Lutherus haud male vertit Sommerlaube) Ehudem ad ſe ablegatum, ſolum omnibus remotis arbitris, haud dubie in throno regio, quod diſerte teſtatur Joſephus ut cauſam dicentem audiret, excepiſſet, ab eo gladio in ventrem adacto trucidatur. Hic perpetrato facinore actutum aufugit, erumpit, evadit, fores claudit, peſſulumque obdit oſtio. Satellites regii clauſas fores deprehendunt, diuque nequidquam Domini ſui adventum praeſtolantes tandem inquiunt, מסיך הוא את-רגליו *Tegit ille pedes ſuos.*

§. 7. Putabimusne haec verba de alvi intelligenda dejectione? Quomodo itaque coenaculum regium captando refrigerio deſtinatum cum foetenti conveniet latrina? Qua ratione thronus regius & talis foedus ſeceſſus in una ſede morabuntur? Ecquis in locis ejusmodi Reges populorum legatos admittere, audientiamque illis facere, quod Eglon Ehudi tum fecit, ſibi perſuadeat? Neque tam diu in tali ſede moras trahere ſolent homines, Regesve, ut in illam ſuſpicionem devenire potuiſſent ſatellites Regis, Regem, cujus reditum adeo longum exſpectaverant, turpi illi operi tanto temporis intervallo vacare.

§. 8. Quae omnia, ut nos impediunt, quo minus illam phraſin ita, ut vulgo fit, interpre-

te.

temur, ita ex adverſo, ſi de *dormitione* intelligas, conveniunt omnia apprime, plenoque fluunt alveo. Sollemne enim valde fuit temporibus omnibus, quod noſtra, qua vivimus, aetate paſſim fieri ſcimus, praeſertim in plagis Eois, ut, tempore praecipue aeſtivo,

*Flammiferis tellus radiis cum exuſta debiſcit,*
*Candentique globo medius coquit aethera fervor,*

a meridie ſublatis menſis homines modico ſomno corpus laſſum reficiant. Quamquam enim multi cum Simeone apud Plautum (Moſtell. Act. III. ſc. 2.) *non bonum judicent homini ſomnum de prandio*, ſunt tamen longe plurimi, qui cum Fundanio apud Varr. de re ruſt. L. I. c. 2. *aeſtivo die, ſi non diffindant inſititio ſomno meridie, vivere non poſſint.* Poſſem hæc nube teſtimoniorum firmare, ſi in re notiſſima vellem operam abuti. Huic autemrei certa conclavia erant deſtinata, cujus generis illud quoque fuiſſe, in quo Eglon Ehudi Judaeorum nuntio fandi dedit copiam, ex ipſa illius denominatione patet. In eo haud dubie pro more ſuo meridiari Regem ſuſpicati ſunt ejus ſatellites. Cum autem ſolito diutius fruſtra egredientem exſpectarent, mirantur primo tam alto ſomno ſepultum herũ tandem, cum neſcio quid mali praeſagiret animus,

mus, apertis foribus tristi ac inopino spectaculoexternantur.

§. 9. Neque alia ratio est alterius narrationis, quae apud Samuelem occurrit de Davide, fugiente Saulem, comitatum exercitu ter mille virorum, qui secesserat in speluncam ad TEGENDUM PEDES. In hoc antro cum ipse cum copiis suis armatis delitesceret, reperit ille hostem hunc suum, miraturque eum ex improviso sibi in manus esse traditum. Parcit tamen illi cum ad arbitrium suum eo uti posset, amputataque tantum illo non sentiente vestis lacinia, frustraque ad vindictam tam insperatâ atque commoda occasione oblatâ impellentibus, quibus stipatus erat, sociis, dimittit incolumem, postquam hostilem ejus atque iniquum animum ei exprobravisset. Has circumstantias, quisquis apud animum suum perpenderit, animadvertet illico, Saulem non eo tantum fine subiisse specum, ut pareret necessitati. Tum enim utique vigilasset. At vigilare non potuit, cum isthaec, quae narrata sunt, fierent à Davide. Quomodo enim fieri potuit, ut cum tot armati, erant autem sexcenti milites, Davidis comites in antro illo laterent, repente omnes obmutescerent nullo vel levi edito strepitu vel susurro, ex quo homines in eo absconditos esse, Rex animadverteret? Quomodo porro tam suspensis gradibus incedere potuit David, ad eum propius appropinquare, apprehendere

dere pænulam ejusq; fimbria praeſciſſâ retrogradi, ſermones, qui commatibus 7. & 8. deſcribuntur, cum Comitibus ſuis caedere, & de iis, quae cum Saule agenda eſſent, deliberationem inſtituere, quomodo, inquam, haec omnia fieri potuere vivo, vidente, vigilante, neque tamen quidquam horum ſentiente Saule? Heic cum multis Interpretibus miſere ſe torquentibus ſine cauſa ad miracula confugere, & Sauli eo temporis momento vel ἀ'οεγσιαν ſeu cœcitatem inflictam, vel ſurditatem inductam, vel miram Davidi pedum levitatem conceſſam velle comminiſci, id vero nodum ſecare, non ſolvere, & tantum non deſperatae cauſae indicium eſt. Iſtae autem difficultates, quae vulgarem ſententiam comitantur, evaneſcunt prorſus, ſi noſtram ſequare, & ſi de ſomno phraſin interpretere, & facile cognoſces, ut Saul ſpecum illam iniverit, meridiatum videlicet pro illius regionis conſuetudine, & qua ratione David, quae de illo narrantur, non animadvertente Saule potuerit efficere, intelliges, quod nempe itinere feſſum, -- aeſtuque gravatum

Sole carens antrum tenuit, preſſitque jacentem,
Dulcis & alta quies ſomno vinoque ſepultum.

Quali poſtea altera vice deprehenſo in deſerto Siph rurſus pepercit David, id quod capite XXIV. enarratur.

§. 10. Quae cum ita ſint, mirum profe-

ctο foret, ſi nemo ante me de tali interpretatione unquam cogitaſſet, Sed bonum factum eſt, & hic nihil a me dici, quod non dictum ſit prius. Joſephus quidem, cum hiſtoriam illam, quae apud Samuelem exſtat, recenſet Ant. J. L. VI. c. 13. Saulem quidem deſcribit *pedes tegentem* ἐπαγομενον ἐπι των κατα φυσιν. Alio enim codice oportet uſum fuiſſe Theodoretum, qui eum in quæſt. in L. I. Reg. 56. ſcribit phraſin hanc adhibuiſſe. Τας φυσικας χρησεις ποιησασθαι. Quando tamen idem nobiliſſimus rerum Judaicarum ſcriptor L. V. cap. 8. quae de Eglone in *libro Judicum* recenſentur, commemorat, comma 24. capitis XXIV. ita transfert. ὁιτε θεραποντες ἠρεμων ΕΙΣ ΥΠΝΟΝ ΤΕΤΡΑΦΘΑΙ νομιζοντες τον βασιλεα, quae ita vertit Ruffinus, *Miniſtri vero quieſcebant, credentes Regem IN SOPOREM CONVERSUM.* Hujus veſtigiis inſiſtunt & SYRUS & ARABS quorum uterque vertit *dormivit* vel *jacuit.* Johannes quoq; *Chryſoſtomus* ea ratione explicuit, ſaltim in illo Samuelis loco. Exſtant enim ejus tres Orationes de illa Davidis Sauli parcentis hiſtoria, quas primus edidit, Latineque loquentes fecit Eraſmus. In hac verſione, quae hujus operum volumine VIII. exſtat, neque enim nunc Graeca ad manus ſunt, cum ipſa hiſtoria ex ſacro codice narratur, phraſis, ut vulgo fit, per exonerationem alvi explicatur, ipſum tamen aurei oris Doctorem de *ſomno* intellexiſſe, ex his quae ſequuntur, verbis eluceſcit. *Hanc hiſtoriam in*

*ſuo*

*suo quisque corde sibi depingat, proponens sibi speluncam illam, illam Chlamydem, ipsum Saulem intus DORMIENTEM, SOMNOQUE perinde ut Catena VINCTUM, David imminentem DORMIENTI;* Et deinde; *Atque illi quidem accusabant, accusabatur autem Saul DORMIENS.* Et paulo post; *Ubi nunc ille furor, ubi insidiae? perierunt exigui SOMNI incursu. Conspiciebat illum DORMIENTEM.* Et iterum; *Sed quomodo potuit Saul harum rerum esse testis, qui cum haec fierent DORMIEBAT, neque verba audivit, neque Davidem vidit praesentem.*

§. 11. Chrysostomo aliquantum junior Sulpitius Severus hist. sacrae L. I. c. 63. ita historiam illam παραφράζει. *Erat in deserto spelunca, vasto recessu patens. In hujus interiora David se conjecerat. Saul nesciens in primo speluncae aditu, reficiendi corporis gratia successerat, ibique SOMNO CAPTUS REQUIESCEBAT.* Recte, belle, σοφως! Carolus *Sgonius* putat haec de somno a Sulpitio adjecta esse ἀπὸ γραφῆς, non cogitans Ebraeam phrasin obscuriorem bene ita ab eo esse interpretatam. Petrus *Possinus*, societatis Ignatianae Theologus eruditus, non intelligens locutionem illam de somno capi posse, putat Sulpitium per dormitionem longe quid aliud intendisse. Ita enim in spicilegio Evangelico c. 27. *Severus*, ait, *Sulpitius ad aliud genus turpitudinis velandum isto (somni) vocabulo usus est, dum in historia referens, quod legitur L. I. Reg. c. 24.* Ingressum Saulem in speluncam

ad purgandum ventrem, *scribit in ea spelunca dormivisse Saulem; honeste videlicet exprimens rem dictu subturpem.* At quis unquam audivit, *Dormire* bonis auctoribus idem esse, quod *exonerare alvum?* Scio quidem dormire vel cubare cum aliqua, in sacris pro consuetudine muliebri vel conjugali vel illicita, ita ut nunc fit apud Germanos nostros multoties sumi, de quo εὐσχηματισμῷ vide *Fesselii* Advers. S. L. II. c. 19. verum *somno captum requiescere* rem subturpem, atque obscoenam significare, id neque apud sacros scriptores neq; τȣς ἀλλοφυλȣς me legisse memini. Unde tuto colligas, Sulpitium in eadem sententia, quam defendimus, quoque fuisse.

§. 12. Ex recentioribus neminem scio, qui in similes cogitationes inciderit. Videntur enim omnes nimia auctoritate, Judaeorum, & versionis Vulgatae, & των ἑβδομηκοντα abrepti rem non satis accurato examini subjecisse. Deprehendi tamen nuper aliud agens scriptorem anonymum Anglum, cujus *Annott. in V. Testamentum & in epist. ad Ephesios* e bibliotheca *Johannis*, Archiepiscopi Eboracensis in lucem Londini in forma, quam vocant, octavam erutæ, opera D. *Scattergoodi* & ante decennium curante Jacobo *Rhenferdio* Franequerae recusae exstant, plane mecum facere. Ita enim ille pag. 286. PEDES TEGIT; hoc est, *somnum capit, stragula tectus pedali, ut derepente noluerint infestiores esse. Vulgo interpretantur* alvum purgasse, *coactius.*

*actius. Vestis stragula pedalis dicitur* Ruth. III: 7. Et deinceps pag. 344. AD TEGENDUM PEDES. *Junius reddit ad alvum purgandam. Verum nisi somnum Saul captasset, motus in spelunca sensisset militares.* Haec ille.

§. 13. In versione των ὁ in codice Alexandrino, quem Aldina & Complutensis editiones secutae sunt, legitur in loco illo Judicum; Μηποτε προς διφρȣς καθηται ἐν τῃ ἀποχωρησει τȣ κοιτωνος. Sed hoc glossema esse, quod in textum irrepit, recte observat eruditissimus Clericus. In Romano Codice est, Ἀποκενοι τȣς ποδας ἀυτȣ. In loco Samuelis apud Theodoretum quidem legitur ἀνασκευασασθαι, quod eodem teste Aquila transtulit ἀποκενωσαι & Zonaras Ann. T. I. p. m. 45. εἰς ἀποπατον. At nunc in nostris codicibus legitur παρασκευασασθαι. Quod moneo non quod inde meae sententiae putem aliquid accedere posse praesidii, sed quo illius loci, qui in mendo cubare videtur, medicinam tentem. Quo enim sensu Saul dici possit ingressus specum παρασκευασασθαι, ut se *praeparet* vel *accingeret*, quae illius vocis significatio est, videtur in obscuro esse. Henricus Stephanus in thesauro haec habet. Παρασκευαζεσθαι *pro Ventrem purgare vulg. lex. ex L. I. Reg. c. 24. sed vide, ne reponendum sit* ἀποσκευαζεσθαι. Ex quo constat Viro huic Graece doctissimo suboluisse mendam, neque ullum ei vel apud septuaginta, vel alios scriptores locum occurrisse, in qua

illa significatione veniret. Ἀποσκευασασθαι apud Pollucem quidem L. V. c. 14. eum ἀποπατησαι & χεσαι, quod est ventrem deponere permutatur, & το ἀποσκευαζομενον apud eundem ibidem τ ἀνθρωπ κοπρ, σκωρ explicatur, sicut & Herodiano, ἀποσκευασασθαι τ ἐνοχλουντα simili significatu venit. Sic ἀποσκευη est latrina. Verum illa vocis notatio saltim apud Alexandrinos non occurrit. Quid si itaque vel unica literulâ mutatâ υ nimirum in π legeremus παρασκεπασασθαι vel παρασκεπαζεσθαι, *ad tegendum*, sc. pedes? Sic enim ipsam phrasin, quae in Ebraico est, ad verbum retinuissent.

§. 14. Dubito tamen an quidquam heic corrigendum. Quem enim habere sensum potest τὸ ἀποσκευασασθαι, illum non magnopere refugit το παρασκευασασθαι. Praepositiones enim ejusmodi verbis praefixae apud Graecos saepissime permutantur. Actio autem illa, quam indigitamus hoc vocabulo commode significari potuit, cum σκευ saepissime pro illis vasis sumitur, in quae sordes humanae egeruntur, quod vel ex Rom. IX: 21. & 2. Tim. II. 21. colligas. Immo σκευ aliquando sumitur pro re sordida, instar stercoris, in fimetum projicienda; Vide loca, quae in hanc rem ex Epicteto adduxit Cl. *Raphelius* in Annot. ad N. T. ex Polybio & Arriano collectis p. 327. Praeterea non tam insolens illius vocis usus est, ut putas. Strabo L. XIV. p.m. 646

646. enim vocem παρασκευων vel pro σκυβάλοις, vel pro loco, in quo illa ejiciuntur, usurpavit. Scio quidem magnum Casaubonum illam voluisse eliminare, & in illius locum substituere ἀποσκευων, sed num hujus correctionis, nullius codicis auctoritate suffultae, ei fuerint sufficientes causae, dispiciant alii.

§. 15. Ego hoc schediasma claudam epigrammate, quod his diebus excidit, in lepidam, quae ubique circumfertur, historiam quæ cum nostra phrasi, quam discussimus, aliquid habet adfinitatis. Si fortassis taedium, quod ex minus gratae ῥησεως examine contraxisti, quodammodo tibi, B. L. possimus abstergere.

Epigramma de *Pachomio.*

PACHOMIUS *gravidam cum solveret anxius alvum,*
*Cantat, & innocuas fundit ad astra preces.*
*Accessisse ferunt atratis Daemona pennis,*
*Talibus & dictis exagitasse Virum;*
*Tene preces pudet in turpi dixisse latrina,*
*Foetentique melos concinuisse loco?*
*Respondit*que SENEX; habeat mea carmina coelum,
Cetera, quæ promo, sint tua; CUIQUE SUUM!

XII.

Vita

# JOH. CHRISTOPHORI PFAFFII, (a)

## Theologi Tubingenſis.

JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO, naſcendi initium fuit Pfullingæ in Ducatu Würtembergico Anno clɔlɔcLI. D. XXIIX. Maji, ubi Vir R. JO. GU-

(a) Excerpta haec ſunt ex programmate, quo Viri hujus celeberrimi funus a Rectore Univerſitatis Tubingenſis publice indictum eſt. Lubentiſſime illius memoriam conſervare voluimus. Si enim vel nullis aliis meritis illuſtris fuiſſet, multum tamen ei deberet eccleſia, quod ex eo genitus ſit Chriſtophorus Matthæus PFAFFIUS, ἀ'νηρ πολλων ανταξιος ἀ'λλων, Patris ſui collega & ſucceſſor, qui non ſolum praeclariſſimis ſcriptis ſibi orbem literatum, qua patet, devinxit, ſed & controverſias, quae eccleſias Evangelicas eheu! tam diu diſcerpunt, ſepoſitis praejudicatis opinionibus, rariſſimo ſane & optimo exemplo, examinare, ac minuere, quam augere atque exaſperare maluit. Generoſis ejus conatibus, ut adſpiret, eosque quam primum fortunet, ringentibus fruſtra Principis tenebrarum & diſcordiae ſatellitibus, Patrem miſericordiarum flexis genubus oramus. T. d. H.

GUILIELMUS PFAFFIUS Ecclesiæ illius tunc Pastor, postea vero etiam Pastor & Superintendens Gœppingensis, ex ANNA CATHARINA, ESLINGERIA, quæ Viro DN. JOANNI ZELLERO, Abbati Mulifontano acSuperintendenti Generali postremum mum nupserat, ex voto suscepit. In Scholis Cœnobiisque Hirsaugiensi & Bebenhusano rite præparatus in Stipendio dein Theologico, quum academica luce dignissimus habitus esset, varia indolis eximiæ ac diligentiæ rarioris specimina edidit, ita ut A. cIↃIↃCLXXIII. quum summos in Philosophia honores capesseret, secundum inter suos locum obtineret & postea quoque in Repetentium Collegium cooptaretur. Publicas eo tempore disputationes tres defendit; unam quidem contra Atheos, Præside B. D. Wagnero, Universitatis Cancellario, alteram suo marte elaboratam sub moderamine B. D. Osiandri, pariter Cancellarii, cui titulus Theologiæ Paulinæ præfixus est, tertiam denique, quæ Inauguralis secunda fuit B. D. Mülleri, ejusdem postea Cancellarii, tunc vero Ecclesiæ nostratis ad D. Georg. Pastoris, de Invocatione Sanctorum. A. cIↃIↃCLXXXIII. Ecclesiæ Uracensi Diaconus datus est, & post biennium A. cIↃIↃCLXXXV. ad Ecclesiam Stuttgardianam, in qua vicarias quoque antehac operas præstiterat, revocatus, ibidem ad annum usque

cIↃIↃCXCVII.

clɔlɔcxcvii. ſubſtitit. De hinc A. clɔlɔcxcviii. medio effectum eſt, ut, inde devocatus non tantum Extr. Theologiæ ſed & Philoſophiæ Primæ ac Rationalis Profeſſor Ordinarius crearetur, & in Academia Tubingenſi atque Eccleſia ea iniret munera, quæ tot meritis ornavit. Tum vero porro A. clɔlɔcxcix. ſub finem illa Profeſſio Theologica, quæ olim conjunctum habuit Concionatoris Veſpertini munus cum Superintendentis in Illuſtri Stipendio Theologico dignitate, illi concredita fuit eodemque anno Doctoris etiam Theologi honores collati ſunt. Non multo poſt autem, anno clɔlɔccv. Ordinaria Profeſſio cum Paſtoris Eccleſiæ functione illi demandata eſt. Mox etiam A. clɔlɔccvii. ſecundum in Ordine Venerandorum Theologorum locum nactus & Eccleſiæ Decanus & Illuſtris Stipendii Theologici Superattendens factus eſt. Erat autem Vir expertæ dexteritatis, fidei ac conſtantiæ, ita quidem, ut, quum vix corporis animique vires amplius ſufficerent, ſermones tamen ſacros ad populum habere non neglexerit. Ætatem ferent, quæ poſteritati elucubravit, ſcripta & Diſſertationes Academicæ, inter quas eminent illæ, quæ in Matthæum Evangeliſtam ſcriptæ editæque ſunt; quanquam poſtremam ob invaleſcentem morbum publico conflictui ſubmittere non valuit. Exſtant præterea annotationes in Synopſin in-

insignis quondam Theologi Tubingensis, Theodori Thummii : tum Sylloge Controversiarum denuo tritiorum, nec non Dogmata Protestantium ex Jure Canonico deprompta, cum Supplementis ad Dorschæi, Theologi olim Argentoratensis atque Rostochiensis postea celeberrimi Commentarium in Epistolam ad Ebræos. Tandem vero, quod dolendum, operi egregio, in quo Pontificios e Tomis Conciliorum antiquorum confutaturus erat, immortuus est, & in scriniis quoq; adhuc latet Commentarius manuscriptus in Propheticos Veteris Noviq; Testamenti libros, magna cum eruditione, judicio atque perspicuitate conscriptus. Inter hæc autem, matrimonii ineundi consilium cepit, & DN. ANNAM MARIAM, e domo Summe R. Viri, B. MATTHÆI AULBERI, Consiliarii Wirtembergici, & Abbatis Murrhardensis, atque in Delectu Ordinum Provincialium majori Assessoris, in suam duxit A. cIↃIↃcxxcIv. D. IX, Septembris; ex eaque suscepit liberos septem : e quibus tres Parentem optimum jam antecessere ad superos. Filia vero natu maxima, ANNA MARIA. DN. JOANNI GRAVIO, Serenissimi Wirtembergiæ Ducis Consiliario ac Summi Dicasterii Assessori meritissimo nupta, jam A. cIↃIↃccx. decessit, ex quâ & unica neptis MARIA REGINA supersest. Filius unicus, DN. CHRISTOPHORUS MATTHÆUS PFAFFIUS, SS. Th. D. ac Pr. Publ. Ord. lon-

longe celeberrimus, multis maximisque in rem Sacram atque Literariam meritis non in ſua ſolum Academia, ſed & toto literato Orbe inclareſcit. Reliquæ filiæ tres ſunt: etiamnum ſuperſtites DN. JOANNA, a Viro CL. JOANNE CHRISTIANO KLEMMIO, Philoſophiæ Profeſſore Extraordinario, in torum aſcita: CHRISTINA ELISABETHA, DN. JO. THEODOSIO WOLFFIO, J. U. Lic. & Summi Provocationum Tribunalis heic Tubingæ Advocato, matrimonio juncta: & DN. JULIANA DOROTHEA. Ceterum valetudine per omnem fere vitam integra firmaque uſus eſt B. Vir: Superiore autem anno in febrim incidit, quæ, quum ſæpius & quinquies quidem recurriſſet, vires ejus valde fregit atque imminuit, & præcipue, ex quo nuper admodum grave animi deliquium acceſſit, continuaque fieri febris cœpit, fortiſſima quævis medicamenta eluſit. Neque tamen ideo rationis integræ uſus animique præſentia, &, quod potiſſimum, pietas Eum deſtituit. Quin converſus ad Deum divinisque myſteriis expiatus & ſolatii ac fidei plenus magno animo ſuis ultimum dixit vale, & ad beatum ex hac mortalitate exitum ſe comparavit, qui tandem nuperiore VI. die menſis Febr. a. 1720. ſine quidem ullo gravi dolore ſecutus eſt, quum hora XI. antemeridiana Servatori ſuo animam, jam antea ipſi conſecratam pie placide que reddidit.

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartae*

FASCICULUS QUINTUS.



*BREMÆ,*

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXI.

VIRO

*Amplissimo, excellentissimo eruditissimoque*

# JOHANNI CHRISTIANO KIRCHMEIERO,

*Theologo in Academia* Heidelbergensi vetustissima celebratissimi nominis,

CONSILIARIO ECCLESIASTICO Archipalatino,

& ad D. Petri oraculorum divinorum Interpreti praestantissimo,

Viro pietatis in Deum haud tralatitiae, juxta & doctrinae laude,

Multisque in ecclesiam emendatam difficillimis potissimum his temporibus, meritis valde insigni,

Ter.

*Tertium* hunc supra *vicesimum*
HUJUS
# BIBLIOTHECAE
FASCICULUM,

Tamquam haut fucatae
amicitiae atque observantiae
suae
Τεκμηριον atque interpretem transmittunt,

UT HOS INCREMENTO SACRAE
cognitionis
Consecratos labores, sibi jubeat
esse quam commendatissimos,

Pulcherrimique, quo floret, ingenii
foetibus adaugeat, maximopere
optantes

EDITORES.

Le-

## Leges in hoc Fasciculo

I. Joh. Georg. SCHELHORNII ad quædam N. T. loca annotationes pag. 777.
II. Yvonis GAUCKES de *Diluvio* differt. Physico-Geometrico-Theologicam p. 798.
III. Casp. MAURITII de *Confessione* & *absolutione privata* Theses p. 853.
IV. Joh. Casp. MERCKEN *cogitationum sacrarum* specimen p. 883.
V. Epistolarum ineditarum M. LUTHERI vel ad eum scriptarum ΔΕΚΑΔΑ, nempe.
A. Jac. MEIERI, ad *Lutherum* p. 903.
B. LUTHERI ad Jac. *Meierum* p. 907.
C. & D. Ejusdem ad *Capitonem* duas p. 911. & 913.
E. Ej. ad eundem & Collegas p. 914.
F. Ej. ad *Schwenckfeldium*, p. 915.
G. Ej. ad *Bucerum* p. 917.
H. Ej. ad *Capitonem* p. 918.
I. & K. W. Fabr. CAPITONIS ad *Lutherum* duas p. 920. & 929.
L. Ej. ad *Melanchthonem* p. 931.
VI. Chr. Aug. HEUMANNI ad J. L. *Moshemium* Epistolam responsoriam p. 935.
VII. CLEMENTIS VIII. Papae epistolam ad Senatum *Basileensem* p. 945.

I.

# JOH. GEORGII SCHELHORNII,

# Annotationes ad quædam Novi Fœderis loca.

## ARGUMENTUM.

2. Cor. III. 6. γράμμα non litera, ſed immediate lex reddendum. Nam & Græcis Scriptoribus quandoque legem ſcriptam denotat: Iſocrati, Libanio, Ariſtophani. §. 1. Eph. IV. 13. μέτρον ἡλικίας, menſura ætatis: apud Plutarchum, μετρον βιοτῆς menſura vitæ apud Lucianum. Locus Heliodori de diſcrimine ætatis, γυνὴ τελείᾳ quo ſenſu dicatur? §. 2. 1. Pet. I. 9. Σωτηρία ψυχῶν videtur metonymice deſignare ipſum Chriſtum, Salutis noſtræ autorem. Contextus huic ſententiæ favet. Hoc ſenſu Romanis Dea, quæ ſaluti tuendæ & recuperandæ præerat Salus, Græcis Σωτηρία dicta. Alia conjectura de hoc loco. §. 3. 1. Cor. XIII. 12. de cognitione Dei, quæ in hanc vitam cadit, Plutarchi locus inſignis, ejusdem verba de notitia Dei exacta & perfecta poſt hanc vitam. §. 4. ad Matth. XXI. 41. de phraſi, κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐ-

ἀυτὰς, quædam exempla ex profanis autoribus afferuntur. §. 5. Hebr. VII. 3. Melchisedecus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, quia nec Pater, nec Mater illius in Scriptura indicantur. Similis locus Comici. Homines ignotis parentibus orti Romanis novi dicti & a se orti, Calasiridis apud Heliodorum παῖδες ἀμήτορες, quo sensu? Minerva ἀμήτωρ. Bacchus διμάτωρ, viperarum catuli ἀμήτορης, Deus ex responso Apollinis ἀμήτωρ. Inter gentiles multi ἀπάτορες. §. 6. Matth. VI. 28.29. Julianus pauperrimum τὸ κρίνε γυμνότερον dixit. §. 7.

## §. 1.

AMbabus manibus amplector probatissimorum interpretum sententiam, qui 2. Cor. III. 6. verbis τὸ γράμμα ἀποκτείνει de lege divina sermonem esse, ejusque variis effectibus asserunt, ut occidere dicatur, dum e. g. peccatorum gravitatem & multitudinem manifestat, certissimam condemnationem indicit, & ultimos conscientiæ angores ac terrores procurat, peccatorem denique, nisi Christum respiciat, ad desperationem adigit, & s. p. At vocem γράμμα non literam hic, sed immediate legem denotare simul contendo. Quid enim opus, ut multis ambagibus demonstres, quare lex hic vocetur litera, si ipsi Scriptores Græci purissimi vocabulo γράμμα legis significatum nonnunquam tribuerunt. Exemplis hoc ostendam paucis, sed sat luculentis. Provoco nimirum ad Isocratem, Græcorum facile disertissimum, in

Areo-

Areopag. p. 288. edit. Wolf. οὐδὲν κωλύειν, ὁμοίως ἅπαντας εἶναι τὰς ἡλικίας, ἕνεκά γε τοῦ ῥᾴδιον εἶναι τὰ γράμματα λαβεῖν παρ' ἀλλήλων i. e. *nihil prohibere, quominus omnes Græci æquales essent: cum proclive sit, leges alios ab aliis exscriptas mutuari & iterum:* δεῖ τοὺς ἓν πολιτευομένους ἀλλὰ τὰς στοὰς ἐμπιμπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. *Decet prudentes magistratus, non porticus implere legibus, sed efficere, ut cives animis insitum habeant Justitiæ studium.* Libanio in Parentali in Julianum Imp. C. XLVI. p. 231. J. A. Fabricii Bibl. Gr. Volum. VII. γράμματα sunt decreta & edicta: Καὶ τούτους οἱ νομίζοντες τοὺς νόμους καὶ πολλὰ ἕτερα γράμματα, τὰ μὲν ἀχείρω, τὰ δὲ καὶ βελτίω, πολλοῦ τὸν ἀπείχον τοῦ μισθὸν ἐπὶ τοιούτοις αἰτεῖν, ὥσθ' ἑκόντων διδόντων ἀπροσίεντο. Godofr. Oleario interprete: *Tales autem leges, immo & alia edicta, vel non minus, vel etiam longe magis proficua quicunque ad civitates perferebant, adeo mercedem navatæ in perferendo operæ non exigebant, ut ultro etiam oblatam non admiserint.* Ita Aristophanes in Concionatr. v. 1042.

Αὐλῆ σὺ ποῖ παραβᾶσα τὸν δὲ τὸν νόμον
Ἔλκεις, παρ' ἐμοὶ τῶν γραμμάτων εἰρηκότων
Πρότερον καθεύδειν αὐλόν;

*Heus heus tu! quonam ipsum trahis contra legem,*
*Scilicet qua cautum est, ut is juxta me*
*Prius dormiat?*

in quem locum Tanaqu. Faber. γεγράμματα ex Aristotele & aliis sunt leges scriptæ quid sint autem proprie, olim explicaverat Hesychius, sed hodie locus ille mutilus est.. Supplet eum Faber, ut nunc sic sibi constet: γεγράμματα τὰ γεγεγραμμένα καὶ συλλαβαὶ καὶ τὰ ζωγραφήματα, καὶ τὰ ἐν ταῖς δικαστικαῖς ψήφοις τυπώματα, καὶ ἀπογραφαί. Loca Aristotelis nonnulla, ad quæ laudatus Faber respicit, notavit Vir κριτικοτατος Joh. Clericus in Nov. Test. Hammondi ad Matth. V. 17. quanquam illa eo fine citaverit, ut ostenderet, γράμμα dici simplicissimum legis sensum, quem Grammaticum seu literalem vulgo vocamus, qua ratione ritus externi innumeri lege sanciantur; πνεῦμα vero animum legislatoris, sub symbolicis illis præceptis latentem: de quo alii viderint. Ego mihi persuadeo, ex iis locis Aristotelis clarissime eluceſcere id, quod dixi, nempe γράμματα Græcis interdum denotare leges scriptas: quamvis non sine causa hoc potissimum nomine Apostolum fuisse usum, facile cuivis largiar. Unum adhuc moneo: cum γράμμα aliquando sit lex, hinc γραμματέα subinde Legisperitum, Jurisconsultum, Cancellarium, γραμματεῖον vero & γραμματείδιον legum tabulas designare. Νόμον crebro idem esse ac jus non scriptum, idque universe approbatum & gentium nationumque cultiorum consensione roboratum, alii jam observarunt.

§. 2.

§. 2. Eph. IV. 13. B. Lutherus μέτρον ἡλικίας cum Vulgata reddidit menſuram ætatis: alii malunt ſtaturæ, inter quos Lamb. Bos in Exercitat. Philol. & verſio Tigurina, ein vollkommen Mann werden/ der da ſeye in der Maß der völligen Gliedmaß Chriſti. Quamcunque elegeris interpretationem, ſenſus enaſcetur haud incommodus. Prior firmatur teſtimonio Plutarchi de Conſolat. & Apollon. f. 113. T. II. Opp. εἰ δὴ ὁ τῆς ζωῆς τῶν ἀνθρώπων χρόνος εἰκοσαετὴς ἦν, τὸν πεντεκαιδεκαέτη ἀπογενόμενον, ἐνομίζομεν ἂν μηκέτι ἄωρον τελευτᾶν, ἀλλ' ἤδη μέτρον ἡλικίας ἔχοντα ἱκανόν. *Porro ſi ætas hominis ſpatio XX. annorum determinaretur, natum annos XV. putaremus jam non immatura morte decedere, ſed ad juſtæ ætatis menſuram progreſſum.* Sic Timolaus apud Lucianum in Navigio: *Atque hæc omnia habeam, non in breve tempus ac ſtatim moriturus,* μηδὲ κατὰ μέτρον ζῶν τῆς ἀνθρωπίνης βιοτῆς *neque etiam ad menſuram humanæ vitæ vivens, ſed annos mille, ſubinde juvenis ex juvene renaſcens, vivendo exigam.* De differentia ætatis peregregie Heliodorus L. VII. C. VIII. Æthiopic. diſſerit, qui locus, etſi paululum prolixior, ob elegantiam adſcribi meretur: ἐξεχύθη γὰρ πᾶσα (πόλις) διὰ πυλῶν, καὶ τὸ προκείμενον πεδίον ἐπλήρου διὰ πάσης ἡλικίας. Τῶ μὲν ἐφηβεύοντος τῆς πόλεως, καὶ εἰς ἄνδρας ἄρτι παραλλάττοντος, τῷ θεαγένει προτρέχοντος· τῷ δὲ θυαμιδι ΤΗΣ ΑΚΜΑΖΟΥΣΗΣ ΗΛΙΚΙΑΣ, καὶ τὲ ἄνδρας ὁλοκλήρως πληρῶσης, καὶ τι καὶ ἀναγναρίζειν τὸν Θυα-

μιν ἐχέσης. Τὸ δὲ παρθενέυον τῆ ἄϛεος, ἤδη νυμφῶνας ἤδη φανταζόμενον τὴν χαρίκλειαν περιεῖπε· πρεσβυτικον δὲ ἡ ἱερον ἅπαν γένος ἐδορυφόρει τὸν Καλάσιριν. *Effusa namq; fuerat per portas, patentem campum frequentia cujuslibet ætatis impleverat : parte civitatis pubere, & virilem ætatem tum primum attingente, accurrente ad Theagenem ad Thyamidem vero florentis ætatis & exacta maturitate viros constituentis atque etiam per ætatem Thyamim cognoscentis. Porro virginea urbis portio de sponso jam cogitans ad Charicleam adhæreſcebat. Senile autem & ſacrum genus totum ſtipabat Calaſiridem.* Ἀνδρα τέλειον dici Græcis, qui juſtam jam ætatis & virium menſuram complevit, ab aliis ad h. l. ſufficienter eſt demonſtratum : hoc igitur tantum adjicio, iisdem mulieres viro maturas, & perfectæ ætatis nominari conſueſſe τελείας γυναῖκας, quo titulo præſertim eæ fuerunt inſignitæ, quæ jam matrimonii vinculo ſociatæ viris erant, ætate florentes. Sic celebratur. Ἥρα τελεία in Pauſaniæ Arcadicis f. 253. ubi traditur, in priſca Stymphalo Temanum Junoni tria fana cum Deæ cognominibus totidem dedicaſſe. Puellam enim, dum Virgo eſſet : Jovi vero nuptam τελείαν ſeu adultam : divortio ab eo facto, cum ſtymphalum ſe recepiſſet, viduam appellaſſe, Cf. ejusdem Bœotica. f. 283.

§. 3. 1. Pet. I. 9. fideles dicuntur reportaſſe τὸ τέλος τῆς πίϛεως, σωτηρίαν ψυχῶν. Conjecturam ad te fero de hujus loci ſenſu : in quo omnes

omnes fere, quos vidi, interpretes consentiunt, ut per σωτηρίαν ψυχῶν *salutem æternam* notari asserant: sed fateor, mihi, totam orationis seriem consideranti, videri illud dubium. Paucis dicam, quid sentiam: quamvis mihi perinde fuerit, sive id tuo calculo approbaveris, sive obelo confoderis. Scilicet Σωτηρία ψυχῶν videtur hic esse ipse Christus per metonymian effectus, qui ponitur pro causa efficiente, cujus plura exempla subministrat Glassius in Philol. S. p. 1448. Illum hoc sensu jam Simeon τὸ σωτήριον τ῀ θε῀ Luc. II. 30. nominavit. Paulo autem absque tropo & plenius Hebr. V. 9. αἴτι@ σωτηρίας αἰωνίε & Cap. II. 10. Ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας dicitur. Christus τὸ τέλ@ πίστεως, fidei finis & scopus, in quem veteris Test. fidelium spes omnis ac desiderium ardens collimavit. Hunc jam obtinuerunt novi fœderis cives, cum de priscis fidelibus contra Gentium Doctor illustris scribere necessum habuerit: χ' κομίσανπο τὴν ἐπαγγελίαν Hebr. XI. 39. Cui verbo in nostro textu eundem significatum tribuimus. Non temere & inconsulto in hanc sententiam incidimus, nec novaturiendi animo, sed ipso contextu permoti, qui nostram hanc interpretationem fulcire videtur. Præterquam enim quod Petrus in præsenti, non in futuro loquatur, ubi temporum enallage sine necessitate haud fingenda, quia non librum Propheticum præ manibus habe-

mus : verſus 10. & ſqq. nobis ſuffragantur. Si enim de ſalute æterna ſermo eſſet, ſane & priſci fideles ejus participes compotesque dicerentur : nam tantum abeſt, ut inde excluſi ſint, ut potius & nos confidamus, eadem, qua ipſi, ratione beatitudinem conſequi. Veriſimilius igitur eſt, eorum deſiderium, quo adventui Meſſiæ inhiabant, indigitari, de quo ſexcenta veſtigia in V. T. comparent. Sic v. g. ſcrutabatur & anxie deſiderabat eum Jacobus moribundus Geneſ. XLIX. 18. לישועתך קוותי יהוה quod LXX. Seniores reddiderunt, τὴν σωτηρίαν περιμένων Κυρίε, per quam Σωτηρίαν multi commentatorum fontem ſalutis noſtræ Chriſtum, quem ardenter ſitiebat pius Patriarcha, intelligunt. Σωτηρίαν & Σωτήριον LXX. Interpretibus idem eſſe multis locis comprobare poſſem, ſed ſufficit unus cum l. c. collatus, nimirum Pſ. XIV. 7. Τίς δώσει ἐκ Σιὼν τὸ σωτήριον τῦ Ἰσραήλ, ubi in fontibus Hebraicis eadem vox ישועה, quæ Gen. XLIX. extat, reperitur. Quid multa? Petrus v. 11. expreſſe dicit, Prophetas ſcrutatos eſſe tempora Meſſiæ, quod ab iis factum eſt vel vaticinando de illius adventu, vel flagranti deſiderio felicia aureaque iſta ſecula, quibus ſerpentis infernalis contritor appariturus eſſet, exoptando, vel denique illius temporis momenta & præcipuas circumſtantias digito velut intento monſtrando. Noli autem arbitrari, hanc quam diximus, me-

metonymiam esse N. T. tantum stylo congruam, adeoque forte Hebraisinum sapere: nam quid aliud est, cum ipse Romanæ eloquentiæ parens Clodios, Catilinas, Antonios, Reip. pestes, nec non Messenii apud Ælianum p. m. 798. Epicuræos λυμεῶνας τῶν νέων vocitant, sive eos, qui præcipui autores erant pestis & interitus Reip. juvenumque? Non opus est, ut in re minime dubia exempla cumulem: unum saltem noto. Hoc sensu Romanis Dea, quæ Saluti tuendæ & recuperandæ præerat, SALUS dicta est, quam Græci Σωτηρίαν appellare solebant. Sic Cicero in Orat. pro Fontejo: *Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest.* Ita & Plautus Captiv. III. 3. 14. *Neque jam salus servare, si vult, me potest, nec copia est.* Ex quo deinde Terentius Adelph. IV. 7. 43. fere eadem habet. E Græcis Pausanias in Achaicis f. 22. memorat templum & signum e lapide, quod Σωτηρίας sive Salutis nuncupatur. cf. f. 231. Sic a Græcis quoque culta fuit Ὑγεία, quæ sanitatem sartam tectamque conservare credebatur. Extat in eam hymnus apud Orpheum, nec non Ariphronis Pæan, quem servavit Athenæus in calce Libri XV. Deipnosoph. Hæc non ideo adduximus, ac si testudinem pegaso, rem nihili optimo Salutis nostræ fonti conferre animus esset, sed eo duntaxat fine, ut perspicias, non adeo etiam apud exteros insolentem esse eam loquendi rationem, qua

Petrum l. c. usum fuisse conjecimus. Si hæc sententia tibi displicuerit, forte per Σωτηρίαν τῶν ψυχῶν intelligi posset benedictum redemtionis opus, quo Salus nostra nobis restituta est: quodque jam perfectum & comsummatum esse, Novi Test. fideles gaudere poterant. Cæterum per me quivis suo abundet sensu.

§. 4. Præclare S. Paulus 1. Cor. XIII. 12. disputat de cognitione Dei, quæ in hanc vitam cadit, & valde imperfecta obscuraque est: eidem vero subjungit illustrem & plenariam Numinis intuitionem, quæ fidelibus continget in vita æterna. Non abs re fuerit, hic notasse insignia verba Plutarchi, quæ in eadem materia adhibet Libro de Iside & Osiride f. 382. T. II: Opp. postquam de symbolis cum Ægyptiorum tum Pythagoræorum aliorumque, quibus Deum quodammodo delineabant, nonnulla disseruisset: εἴπερ οὖν οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων, οὐδὲ ἐν ἀψύχοις καὶ ἀσωμάτοις πράγμασιν αἴνιγμα τοῦ θείου κατιδόντες ἠξίουν ἀμελεῖν οὐδὲν οὐδὲ ἀτιμάζειν, ἔτι μᾶλλον οἴομαι τὰς ἐν αἰσθανομέναις καὶ ψυχὴν ἐχούσαις καὶ πάθος καὶ ἦθος φύσεσιν ἰδιότητας κατὰ τὸ ἦθος. Ἀγαπητέον οὖν οὐ ταῦτα τιμῶντας, ἀλλὰ διὰ τούτων τὸ θεῖον, ὡς ἐναργεστέρων ἐσόπτρων καὶ φύσει γεγονότων, ὡς ὄργανον ἢ τέχνην ἀεὶ τοῦ τάντα κοσμοῦντος θεοῦ νομίζειν καλῶς. Vel ut transtulit Xylander: *proinde cum philosophorum probatissimi conspectam* ALIQUAM OCCULTAM DEI IMAGINEM *ne in animæ qui-*

*quidem corporisque expertibus rebus neglexerint, aut contemnendam senserint: multo, nisi fallor, pluris faciendæ sunt, quæ in sensilibus animatisve proprietates eo pertinent, eorumque affectionibus & moribus. At enim probandi sunt, non qui isthæc, sed qui per hæc numen venerantur: istaque recte habentur pro* SPECULIS *clarioribus & a natura suppeditatis, tanquam instrumenta & artificia Dei universa ornantis.* En tibi αἰνίγματα καὶ ἐποπτείας θεότητος in rebus inanimatis (symbolis scil. variis &c.) & sensilibus! Omnes omnium rerum perfectiones testimonium perhibent de absolutissima Dei creatoris & consummata perfectione. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Ps. XIX. 2. Hinc iterum Plutarchus ad principem indoctum f. 781. de Deo scribit, quod solem in cœlo pulcherrimum sui documentum composuerit, *in quo* δι' ἐσόπτρου εἴδωλον ἀναφαίνεται τῆς ἐκείνου ἐνοράν δι' αὐτῆς δυναλοῖς, *tanquam speculo gnaris se cernendum præbet.* Sed quantumvis omnia sint illustria majestatis divinæ monumenta: attamen nondum sufficiunt nobis ad plenariam Numinis infiniti cognitionem: sunt saltim ænigmata καὶ ἐποπτεία divinitatis, quam per ea ἐκ μέρους duntaxat & obscuriuscule in hac vita agnoscimus: futuri demum seculi erit, Deum contueri ipsum, καθώς ἐστι. 1. Joh. III, 2. πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Hujusmodi ænigmata complectitur Arbor Cabbalistica, quæ sub involucris obscuris multa de

de Deo ejusque attributis tradit. Post hanc vitam retecta facie se nobis contemplandum sistet supremum Numen: cujus rei etiam gentiles aliqualem habuere notitiam. Audi, si lubet, rursus Plutarchum in libello de Is. & Osir. pag. cit. & sq. ἀνθρώπων δὲ ψυχαῖς ἐνταυθοῖ μὲν ὑπὸ σωμάτων καὶ παθῶν περιεχομέναις ἀκ ἔστι μετουσία τοῦ θεοῦ κ. τ. ε. *Hominum autem animæ, quamdiu hic a corporibus & adfectionibus continentur, nihil habent cum Deo consortii, nisi quatenus Philosophiæ adjumento veluti per somnium intelligentia eum attingunt. At postquam solutæ migraverunt in purum, & visui atque perpessionibus non obnoxium: ibi tum earum ipse Deus ductor est, ab ipso pendentium, spectantiumque absque ulla satietate & desiderantium ineffabilem hominibus pulchritudinem.* Sunt certe, si sano accipias sensu, verba omni auro cariora, cujusmodi pluribus passim utitur Plutarchus, multijugæ scientiæ vir, qui thesauros, non libros nobis reliquisse merito censetur. Unum solummodo adhuc ex eo delibare placet: in παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον f. 108. T. II. ἀλλὰ τῷ ὄντι ἡμῖν δέδεικται, ὅτι εἰ μέλλομέν ποτε καθαρῶς τι εἰσεσθαι, ἀπαλλακτέον αὐτοῦ καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα, κ. τ. λ. *Itaque revera demonstrat* (Plato) *quodsi aliquando volumus pure aliquid cognoscere, corpus exuendum sit, ipsoque per se animo res intuendæ; ita demum consequemur, quam expetimus, & cujus amatores nos esse profitemur, sapientiam. Eam autem ratio docet, non viventibus, sed mor-*

*mortuis nobis adfuturam. Si enim fieri non poteſt, ut corpore præditi quicquam ſincere cognoſcamus, alterum horum ſit neceſſe eſt, ut aut nunquam aut mortui ſcientiæ fiamus compotes. Tunc enim ipſe ſecum erit animus a corpore ſeparatus, non ante &* paucis interjectis: *tum demum* (poſtquam nos Deus exſolverit) *puri & ſtultitia corporea exonerati cum Diis erimus, omnia nobis ipſis ſincera cernentes, ſcilicet ipſam veritatem. Nefas enim eſt, purum ab impuro contingi.* Recte equidem, ſi quid judico. Profitetur enim hic Plato clariſſime, cognitionem divini Numinis poſt mortem fore demum nobis perfectam. Sed hoc ejus mentem fugit, quod nec corpora beatorum, in judicii die reſuſcitata, ac cœleſtibus donis aucta impeditura ſint illuſtrem hanc notitiam & intuitionem Dei, cujus nos certiores reddunt divinæ litteræ.

§. 5. Notum eſt, priſcis frequentem fuiſſe imprecationem hanc: male pereas, ὡς ὄλοιτο παγκάκως, Dii te male perdant, & ſic porro. Novimus quoque genus juris jurandi, apud Ariſtophanem præprimis creberrime obvium: ἀπολοίμην κάκιστα, quod Plauto Terentioque eſt: male, peſſime peream. Nec inſolens erat convitii formula, ὦ κάκις' ἀπολούμενε, peſſime, perdite. Pariter tritum fuit veteribus, de interitu facinoroſorum dicere, quod male perierint: quin juſtitiæ divinæ id omnino convenire illis perſuaſum erat. Sic Herodianus

L. I.

L. I. C. IX. v. 16. de Perennio: εἶχεν τὸν περέννιον σὺν τοῖς παισὶ διολέσθαι κακῶς, *æquum erat, ut Perennius una cum filiis male periret.* Ita & Matth. XXI, 41. prædicatur Nemesis divina contra pessimos vinitores, qui pro merito suo pessime perdendi erant. Scilicet κακὸς κακῶς perire æquum & justum fuit. Elegantissima autem est Matthæi locutio, & purissimis quoque Græciæ Scriptoribus usitata. Dederunt ejus exempla quædam Viri Doctissimi, Hombergius, Majus & Raphelius: sed nec nos ἀσύμβολοι ab hoc loco recedemus, ut eo illustrior evadat Matthæi elegantia ac venustas. Demosthenes Orat. adversus Midiam f. 413. εἶτα θαυμάζεις, εἰ κακὸς κακῶς ἀπωλῆ; Et miraris, te, malus cum sis, male periturum? Idem adversus Zenothemid. f. 575. ἐκεῖνος μὲν οὖτος, ὥσπερ ἦν ἄξιος, κακὸς κακῶς ἀπώλετο, αὐτὸς τοὺς ἄλλους ἐπεβούλευσε ποιῆσαι ταῦτα παθὼν αὐτός. *Ille igitur sic, uti merebatur, malus male periit: suis ipse insidiis, quas in alios instruxerat, captus atque oppressus.* Plutarchus Lib. Amat. f. 768. T. II. Ἀπόλοιο τοίνυν κακὸς κακῶς. Euripides in Hecub. v. 844.

Ἔφυ γὰρ ἀνδρὸς τῇ δίκῃ θ' ὑπηρετεῖν,
Καὶ τοὺς κακοὺς σφᾶν πανταχοῦ κακῶς ἀεί.

*Boni enim viri est justitiae servire,*
*Et malos punire ubique semper.*

Idem alibi: κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί. Sophocles in Ajace v. 1248.

Κα-

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός.
*Malus male insepultus excidat terra.*

Idem in Philoctete:

Ἐκ κακῶς ἀύλους ἀπόλυσθαι κακούς.
*Sine sceleratos illos male perire.*

Euripides iterum in Trojad.

Ἐλθὼν δ' Ἄργος, ὥσπερ ἄξια, κακῶς
Κακὴ θανεῖται.
*Ubi venerit Argos, ut digna est, male*
*Mala morietur.*

Idem in Medea:

Σὺ δ', ὥσπερ εἰκὸς, κατθανῇ κακὸς κακῶς.

Aristophanes in equitibus:

οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
Πλὴν γραμμάτων, κἀγὼ τἄν τα μὲν κακῶς κακά.
*Neque musicam doctus scio, sed literas tantum,*
*atque eas malas male.*

Idem ib. mox ab initio:

Ἰὼ παλαιὰ ξ τῶν κακῶν Ἰατταταὶ
Κακῶς παφλαγόνα τὸν νεώνητον κακόν.
Ἀνταῖσι βλαῦς ἀπολέσειαν οἱ θεοί
*Heu mala & calamitates! Dii male perdant,*
*Hunc sceleratum Paphlagonem recenter emtum.*

Diphilus apud Clementem Alex. Stromat. L. V. f. 606.

Εἰ δὲ τὶς πράττει κακῶς
Κακὸς πεφυκὼς, τὸν χρόνον κερδαινέτω,
χρόνῳ γὰρ ἔτι ὕστερον δώσει δίκην.
*Si quis interim scelus*

Pa-

*Patrat sceleſtus, ponat in lucro moram,*
*Namque ille tandem maximam poenam dabit.*

In inſcriptione veteri apud Schurzfleiſchium, in Actis Literariis p. 73. ex mente Gruteri:

Τίς μ' ἐν Σειρῆνα κακῶς κακὸς ἥρπασε δαίμων.

Theognides in Sentent. v. 279.

Εἰκὸς τὸν κακὸν ἄνδρα κακῶς τὰ δίκαια νομίζειν.

*Veriſimile eſt, malum virum male jura adminiſtrare.*

Incerti epigramma in Timonem τὸν μισάνθρωπον, Anthol. Gr. L. III. C. VII.

Ἐνθάδ' ἀποῤῥήξας ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι,
Ὄνομα δ' ἐ πεύσησθε κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε.

Interprete Joh. Sleidano:

*Hic recubans abrupta anima infelice quieſco,*
*Nomen ne quæras: mala peſtis perde ſceleſtos.*

Adde etiam Suidam in: κακὸς κακῶς ἀπώλοιτο. Plautus in Rudent. A. II. S. III. v. 7.

Trach. *Quid agis tu hic?* Ampeliſc. *aetatem haud mala male.* Id. in Caſina:
*Mala, malæ male monſtrant.* & paſſim alibi.

§. 6. Hebr. VII, 3. Melchiſedecus nominatur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Plurimi commentatorum eum ſic dici exiſtimant, quod illius nec pater, nec mater, nec genus in

in Scriptura indicentur. Loca quædam ex profanis autoribus, huic gemina, dederunt Clericus, Grotius & Alex. Morus; ex quibus elegantissimum esse judico Senecæ Epist. 108. *Duorum Romanorum Regum alter Patrem non habet* (ἀπάτωρ) *alter Matrem* (ἀμήτωρ) quod Seneca explicans, de Servii matre, ait, dubitari, Anci patrem nullum dici. Addo verba Comici, a Cicerone L. II. de Oratore p. 132. edit. Aldinæ allegata:

*St, tacete, quid hoc clamoris est? quibus nec pater, nec mater sit,*
*Tanta confidentia estis, auferte istam enim superbiam.*

Sic homines ignotis parentibus natos, & *novos* & à se ortos appellare solebant Romani. Ipse Cicero de se Orat. pro Cn. Plancio: *idem virtutis cursus ad gloriam: hoc facilior fortasse, quod ego huc A ME ORTUS, & per me nixus, adscendi: istius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum.* Ælianus V. H L. XII. C. XLIII. Ὑπερβόλου δὲ καὶ Κλεοφῶντος, καὶ Δημάδου, καὶ τοι προστατῶν γενομένων τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, οὐδεὶς ἂν ἔτποι ῥαδίως τοὺς πατέρας. *Hyperboli vero, Cleophontis & Demadæ, tametsi principes in Atheniensium Rep. extiterint, tamen eorum parentes difficulter quis retulerit.* Istiusmodi homines proverbiali locutione commode dixeris *terræ filios*; sic enim olim obscuro ignotoque genere prognatos fuisse vocitatos, parœmiographi plenius edocent. Juvenalis eos fraterculos

gigantis appellat, de quo videndus est Angelus Politianus in Miscellaneis Cap. XVIII. pag. m. 26. sqq. Noti quoque sunt αὐτόχθονες, qui nullis parentibus, sed ex solo natos se jactabant. Immo non homines tantum, sed & res, quarum obscura & incognita erat origo, ἀρανοπετεῖς & διοπετῆς nominabantur. Vide Suidam in Διοπετές. Sensu non facile alias obvio Calasiris apud Heliodorum Æthiop. L. II. C. 23. Theagenem & Charicleam liberos suos ἀμήτορας nuncupat, quorum revera pater non erat, sed amore saltim : παῖδες ἀμήτορες ἐμοὶ γεγονότες. τύχῃ γὰρ με θεοὶ τέκνα ἀνέδειξαν, καὶ ἀπέπεκον αἱ ψυχῆς ὠδῖνες, καὶ φύσις ἡ διάθεσις ἐπ' αὐτοὺς ἐνομίσθη, καὶ πατέρα με ἀπὸ ταύτης ἐκεῖνοι καὶ ἐνόμισαν, καὶ ὠνόμασαν. *Liberi, qui mihi absque matre nati sunt. Casu enim meos filios Dii eos designarunt, & ediderunt animi dolores, & constitutio animi erga illos a me pro natura habita est : ex qua illi me quoque patrem & putarunt esse & nominarunt.* Reipsa autem Minerva ἀμήτωρ erat, si fabula vera, utpote ex Jovis cerebro nata, nisi Jovem & matrem & patrem ejus extitisse velis. Ἀμήτορα eam vocat Julianus Orat. VII. f. 230. Ὁ πατὴρ δὲ ὁ Ζεὺς ἐκέλευσε καὶ τὴν Ἀθηνᾶν τὴν ἀμήτορα, τὴν παρθένον, ἅμα τῷ ἡλίῳ τὸ παιδάριον ἐκλέφειν. Imo quod mireris, Bacchus δημάτωρ, bimater fuit, quo nomine eum præter alios insigniit Orpheus in hymno Διονύσου Ληναίου. Galeno Lib. ad Pisonem de Theriaca viperarum pulli ἀμήτορες nasci dicun-

cuntur. Fabulantur enim quidam veteres, viperam, cum mari copulatur, caput ejus suo ori inserere, ac abrodere in Veneris conflictu præ nimia dulcedine: fracta deinde matris alvo egredi catulos, moræ impatientes.

ὅιδε πατρὸς λώβην μετεκίαθον αὐτίκα τύτθοι
τεννόμενοι ἐχίηες ἐπὶ διὰ μητρὸς ἀραιὴν
γαστέρ' ἀναβρώσαντες ἀμήτορες ἐξεγένοντο.

*mox damna parentis*
*Extincti fera progenies ulciscitur, alvo*
*Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur.*

Apud Lactantium, Institut. divin. L. I. C. VII. extat carmen Apollinis, respondentis quærenti cuidam, quid esset Deus? ubi inter alia ita insit:

Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος.

Ex sese constans, sine matre, a nemine doctus, Immotus &c. Quantus vero inter gentiles est numerus eorum, qui ἀπάτορες extiterunt, sive incerto parente geniti, & ex illicito concubitu procreati, qualem etiam Melchisedecum fuisse falso finxerunt Judæi quidam, si Epiphanio & Chrysostomo fides habenda (cf. Suiceri Thesaur. Ecclesiast. P. II. f. 340.) Sæpenumero illi ethnici spurii se, dum verum patrem ignorabant, Deorum quorundam filios mentiti sunt. Forsitan & compluries

contigit, ut Sacerdotes aliique nebulones Jovis, Mercurii & cæterorum Deaſtrorum perſonas induerint, ac his larvis comti formoſis mulierculis impoſuerint. Liceat hic κατ' ἐπιμονὴν tradere, quæ Æſchines, magnus orator, hanc in rem refert in Epiſt. X. haud illepida. Nempe cum Ilii verſaretur, inciderat dies, qua plerique periclitantur conjugia filiarum, quas lex & ætas nubere ſinit. Moris autem fuerat in Trojana terra, nupturas virgines ad Scamandrum ire, ex eoque lotas verba hæc tanquam ſacrum quiddam recitare : λάβε μᾶ σκάμανδρε παρθενίαν, cape meam Scamander virginitatem. Inter alias itaque virgo quædam nomine Callirrhoe, procera & illuſtri patre nata, ad fluvium venit lavandi gratia. Cimon autem, Æſchinis ſocius, occuluit ſe in frutice Scamandri, atque arundinibus coronavit. Cum igitur lavaretur virgo, & de more verba illa pronunciaret, proſiliens e fruticibus Scamander Cimon : libenter, inquit, accipio & ſumo Callirrhoen Scamander, & multa in te conferam beneficia. His dictis abripuit puellam, & ſe occultavit. Narrat ibi etiam Æſchines ex ore Cimonis bina adhuc iſtiusmodi exempla. Ταῦτα δ' ἐν παρόδῳ εἰρήσθω.

§. 7. Ἐπιμέτρου inſtar hæc paucula ſunto. Matth VI: 28. 29. Chriſtus ad diſcipulos ait: καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ· οὐδὲ Σολομὼν ἐν πά-

πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τύτων. Aliter Julianus Apostata, qui pauperimum τῦ κείνυ γυμνότερον dixit. Orat. VI. adversus Cynicos f. 181. *Memini, me certos quosdam homines videre, qui se in morbis ipsis delicatius curarent, quam in sanitate: quamvis tum alioqui splendidissime viverent. Quamobrem dixi aliquando sodalibus quibusdam meis, satius illis videri servis esse quam dominis,* ἢ πένεσθαι τῦ κείνυ γυμνοτέροις ἔσιν, ἢ πλυτεῖν, ὥσπερνῦν. Dionysius Petavius in notis ad h. l. f. 92. *Proverbium est*, inquit, *hactenus, quod equidem noverim, a Paræmiographis omissum.* Eodem pertinet, quod κείνον de πτωχῷ dici refert Hesychius & Suidas. Quanquam aliter in Evangelio veritas ipsa: quæ lilia sic vestita esse dicit, ut ne Salomon quidem ita coopertus fuerit. Hæc jam sufficiant.

II.

# YVONIS GAUKES, M. D.

# Dissertatio Physico-Geometrico-Theologica de DILUVIO.

## ARGUMENTUM.

1. Principia, 2. Tres sunt regiones *telluris*, 3. cujus figura Physice rotunda capacitasque demonstratur; ut & 4 capacitas oceani universi, & 5 planitie telluris ac altitudine montis altissimi comprehensa. 6 Quatuor minimum oceani universi requiruntur ad universam tellurem supra montes altisimos aquis suis inundandam, 7 quæ provenerunt ex imbre mediantibus vaporibus aquosis, nebulis, & nubibus. 8 Aquis nubium vel cataractarum cœli apertarum arca è terra elevata est, 9 quantitate quadam ab imbre allatis. 10 Imber non factus est per ignem telluris centralem, nec per radios solares, sed per miraculum, 11 quo nubes non factæ sunt ex aliis partibus telluris, nec è nihilo. 12 Imbris aquis accesserunt aquæ ex abysso magna, 13 quæ est oceanus inferior, 14 cui sunt fontes, 15 per quos ex illa aquæ vi affluxerunt in maria, 16 non per ignem centralem, 17 nec per terrarum presionem in superficiem aquarum abysi factam, 18 sed per miraculum. 19. Aquæ sursum elevatæ sunt, non per lapsum terræ superioris in inferiorem, 20 unde Cel.

Bur-

Burnettius erravit. 21 Quatuor fuerunt aquarum accretionis gradus, 22 quæ universam tellurem 15 cubitis supra montes altissimos operuerunt per miraculum, 23 aere loca in abyssio ab aquis derelicta occupante. 24 Omnis caro expiravit, 25 & vento aereque premente aquæ quieverunt, quæ, postquam 26 obstructi sunt fontes abysi, 27 ac cataractæ cœli, 28 recesserunt in abyssum aerem dispellentes, 29 initio celerrimo, sed deinde 30 lento refluxu.

(1) *Principia.*

*Postulata.*

1. DEus est ens simplex.

2. Quælibet res operatur convenienter suæ naturæ.

3. Quod per se manifestum est, demonstratione non eget.

4. Quicquid in Divina scriptura extat, id verissimum est.

*Assumptiones.*

1. Tellus olim fuit sidus lucidum instar solis, sed eo multo minus, è materia primi elementi vel igne æthereo I. (vide *fig. apud Cartesium, art. 3. p. 4. Pr. Ph.*) constans; & circa se habens magnum vorticem, in cujus centro consisteret. Præterea e particulis ignis ætherei crassioribus & irregularibus mutua adhæsione in materiam tertii elementi vel crassissimam conversis primo maculæ circa illud sidus, uti circa solem etiamnunc, generatæ sunt & dissolutæ. Deinde particulæ ex hac

macularum dissolutione remanentes composuerunt ætherem huic sideri circumdatum. Tum ex hoc æthere admodum aucto maculæ densiores circa hoc sidus ortæ sunt, quarum multæ sibi mutuo incumbentes, & corpus M constituentes (vide *fig. apud Cart. art. 32. p. 4. Pr. Ph.*) illud contexerint totum, atque obtenebrarint. Tandem id jam obtenebratum cum toto æthere, qui *Chaos* A (vide *fig: ibidem*) est, circumdato delapsum est in vorticem majorem, in cujus centro nunc sol existit. Hoc autem delapsum sidus terra vel *tellus* appellatur. Omnia hæc à *Cartesio Pr. Ph. p. 3. ab art. 87. ad art. 120.* demonstrata sunt.

2. E *chao* formata sunt tria vulgaria elementa, primo *aer* B, & *terra* C; deinde inter hæc duo *aqua* D, (vid. *suprad. fig. art. 32.*) Particulæ aquæ D non nisi longæ erant, in aquosas & salinas mutatæ: ergo hæc est origo *oceani.* Tum hæc tria singula elementa facta sunt duplicia, unde primo *terra* est *inferior* O, & *superior* E (vid. *fig. art. 40.*) & deinde *aqua* vel *oceanus inferior* D. D. & *superior* 2. D. 3. 8. & 7. 6. X. (vid. *fig. art. 42.*) Hic uterque oceanus (quæ *maria universalia* sunt) Lapsum terræ superioris E in inferiorem O, ob fissuras calore solis in illa contractas, factus est.

Eadem opera facta sunt *maria particularia*, & *montes*: nec non *planities.* Hæc autem omnia

mnia Demonstravit *Cartesius ab art. 32. ad art. 45. p. 4. Pr: Ph.*

3. *Quicquid vera sensuum experientia constat, id verum est.* Hoc est 1. *Lemma Diss. n. de mirac.*

4. *Quicquid rationi consentaneum est, est pro vero habendum; & contra.* Hoc est 1. *Coroll. ejusdem Lemm.*

5. *Proportio peripheriæ ad diametrum est, ut 22 ad 7.*

6. *Superficies oceani superioris præter propter æqualis est superficiei terræ superioris.*

7. *Altitudo montis altissimi est unum milliare Germanicum.*

8. *Per particularem naturæ legem levia sursum feruntur.* Hanc legem demonstratam videsis *Diss. n. de Mirac. 11. Theor.*

9. *Per particularem naturæ legem gravia deorsum cadunt.* Hæc lex demonstrata est *Diss. n. de Mirac. 12. Theor.*

10. *Non datur vacuum.*

11. *Non datur penetratio dimensionum.*

12. *Omnis motus naturalis fit per propulsionem.*

13. *In omni motu integer circulus corporum movetur.*

14. *Aer pressionem habet versus telluris centrum.*

15. *Sol ex igne æthereo constans circa axem suum movetur.*

(2) *1. Theorema.*

*Prima regio telluris est ignis centralis.*

*Explic. Cartesius Pr. Ph. p. 4. art. 3.* terram vel tellurem in tres regiones distinxit, quarum *Prima* erat intima, materiam primi elementi vel ignem æthereum continens I. *Secunda* Primam circumambiens erat corpus opacum & densum M, *ibidem art. 4.* Et *tertia* apud eum erat *chaos* A, *ibidem art. 5.*

*Demonstratio.*

Quia tellus olim fuit sidus lucidum instar solis ex igne æthereo constans, quod multis maculis densioribus sibi mutuo incumbentibus circumdaretur (1 *Assumpt.*) ideo manifestum est in telluris centro esse ignem æthereum, & primam ejus regionem esse ignem centralem. Q. E. D.

*1. Scholion.*

Hæc demonstratio etiam confirmatur ingenti calore in locis montosis montibusque, quem in metallifodinis fossores sentiunt sic, ut vel acerbissimis frigoribus in eas nudo corpore subintrare cogantur. Item montibus ardentibus, ut Ætna, Vesuvio, &c. Nec non levitate telluris, unde propinqua soli existit. Nam planetæ quo solidiores, adeoque graviores sunt, eo longius à sole distant (*art. 147. p. 3. Pr: Ph. Cart.*) & cometa ob soliditatem suam adhuc majorem in vortice nostro non manet, sed ex eo in alios transit. (*art. 119. p. 3. Pr. Ph:*) *2. Scho-*

2. *Scholion.*

Quoniam autem Aristotelici originem telluris è sidere lucido ignorant, vel saltem non admittunt; eamque in mundi medio universi, atque adeo gravissimam supponunt, non demonstrant: ideo illi tellurem in suo ipsius centro densissimam esse opinantur quæ opinio omni ratione destituta est.

3. *Scholion.*

Imo invenias, qui abyssum aquarum usque ad telluris centrum esse protensam putant, propterea quod alioquin tantam aquarum copiam invenire nequeunt, quibus tota terra supra montes altissimos operta fuerit:

2. *Theorema.*

*Secunda regio telluris est corpus opacum & densum.*

1. *Explic. Corpus opacum* appellatur, quod ob poros suos curvos reflectit radios luminares, vel globulos cœlestes secundum lineam rectam pressos.

2. *Explic. Corpus densum* dicitur, quod angustos poros habet.

*Demonstratio.*

Cum secunda telluris regio vel hoc corpus M è multis maculis sibi mutuo incumbentibus sit conflatum (1. *Assumpt.*) ideo palam est, hoc corpus poros habere curvos, radios luminares reflectere, adeoque opacum esse. Q. E. D.

Por-

Porro, quia maculæ, è quibus hoc corpus conflatum est, densiores sunt (1. *Assumpt.*) adeoque poros angustos habet: idcirco patet, hoc corpus etiam densum esse. Q. E. D.

*Corollarium.*

Ex hoc & præced: theor. fluit, abyssum aquarum non ad telluris centrum esse protensam.

*Scholion.*

Hoc corpus M est ejusdem naturæ cum maculis solis, præterquam quod hæ maculæ multo sunt tenuiores atque rariores. Et quia hæ maculæ nihilominus transitum luminis vel radiorum luminarium impediunt, ideo id multo magis hoc corpus facit. Unde liquet, hoc corpus poros habere multo angustiores quam maculæ solis habent.

3. *Theorema.*

*Ad secundam regionem telluris nemo vivus accedere potest.*

*Demonstratio.*

Quum terra superior E, & inferior O, nimis crassæ sint, si ad hominum vires comparentur; & priusquam ad hanc regionem perveniunt fossores, in locis montosis ab intolerabili calore impediantur, & in aliis locis obruantur aquis subterraneis, uti hæc omnia vera sensuum experientia constant (3. *Assumpt.*) ideo in propatulo est, neminem vivum ad hanc regionem accedere posse Q. E. D.

1. Scho-

1. *Scholion.*

*Tertiam telluris regionem*, quæ *Carteſio* dicitur *chaos*, ego intelligo eam, quæ compoſita eſt è terra ſuperiore & inferiore cum aqua ſuperiore & inferiore è chao formatis (2. *Aſſumpt.*) unde commode vocari poteſt *regio telluris terraquea.*

2. *Scholion.*

Ut in terræ ſuperioris ſuperficie vivunt homines ac animalia, plantæque naſcuntur; ita in aqua ſuperiore reperiuntur piſces, non in inferiore, utpote ad quam aer, ſine quo vivere non poſſunt, accedere nequit.

(3) 4. *Theorema.*

*Tellus eſt phyſice rotunda*

*Demonſtratio.*

Vera viſus experientia (3. *Aſſumpt.*) conſtat, lunam in lunaribus eclipſibus hoc diutius in umbra à tellure projecta commorari, quo eam magis perigea tranſit; & contra lunam eo brevius in ea commorari, quo magis apogea. Hinc patet, iſtam umbram eo acutiorem eſſe, quo diſtantia lunæ à tellure longior eſt. Et quoniam vera quoque viſus experientia docet, globum opacum à globo lucido majori colluſtratum umbram conicam projicere; ac tellus opaca eſt, ſolque globus lucidus tellure multo major: ideo manifeſtum eſt, tellurem eſſe rotundam nempe *phyſice* vel non perfecte. Q. E. D.

1. Scho-

1. *Scholion.*

Hæc figura telluris rotunda etiam confirmatur variis phænomenis & rationibus, ut, quod ſtellæ orientaliores prius, occidentaliores ſerius oriuntur & occidunt; quod calculo inveniri poſſunt certa tempora, quibus eclipſes apparent; quod tellus circumnavigari poteſt, velut à nonnullis factum eſt; quod quindecim horis verſus ſeptentrionem profecti polum ſeptentrionalem uno gradu altiorem comperiunt, &c.

2. *Scholion.*

Tellurem verò non *mathematice* vel perfecte rotundam, ſed circa polos pauliſper depreſſam eſſe, pendulum horologii docet. Nam compertum eſt, pendulum juxta æquatorem 2 lineis, vel $\frac{1}{8}$ digiti (nempe, quia hic radius à ſuperficie telluris ad centrum longior eſt, quam *Pariſiis*) brevius quam Pariſiis, ut iſochronum ſit, vel ut minuta ſecunda utrobique ſimilia indicet, requiri. Imo quod certius experimentum eſt, *Caſſinus* meridianum per Galliam ad montes Pyrenæos verſus auſtrum menſurando comperit ſpatia inter circulos parallelos verſus æquatorem paulatim longiora. Quin *Newtonus* pendulorum ope invenit diametrum æquatoris axin telluris $31\frac{7}{12}$ milliaribus Gallicis excedere.

1. *Problema.*

*Menſuras à nobis in hac Diſſertatione uſurpatas explicare.*

Re-

*Resolutio.*

Milliare Germanicum continet 4 Italica; unum milliare Italicum 1000 passus, Anglicum 1091, & Gallicum 2400; unus passus 5 pedes; unus pes 10 digitos; unus digitus 10 lineas. At pes Rhinlandicus constat è 12 digitis; & unus digitus e 12 lineis. Præterea *cubitus*, cujus in Divina scriptura fit mentio habetur vel *communis*, vel *sacer*, (nam *geometricus* non fuit) quorum *ille* mensura sit ædificiorum publicorum 1½ pedem vel 6 palmas habens; & *sacer* ædificiorum sacrorum 5 palmas complectens. Sed quælibet palma 4 digitis transversis æquatur. Q. E. E.

2. *Problema.*

*Invenire telluris peripheriam.*

*Resolutio.*

1. Ab austro ad septentrionem sub meridiano 15 milliaria Germanica progrediatur aliquis. Quo facto, polum septentrionalem uno gradu altiorem reperiet; & contra. Hinc constat, unum gradum in cœlo respondere 15 milliaribus Germanicis in tellure.

*Scholion.*

Juxta 2 *Scholion* 4 *Theorematis*, milliaria supradicta, quo quis propius accedit ad polum borealem, eo paulatim breviora esse oportet. Sed hæc differentia, quia respectu magnitudinis universæ telluris parvi momenti

ti est, vulgo non in considerationem venit.

2. Ista 15 milliaria, Germanica in 360 gradus, è quibus circulus maximus constat, ducat; factum exhibebit 5400 milliaria Germanica.

360
15
1800
36
5400. Milliaria Germanica, quæ peripheria telluris est. Q. E. D.

*3. Problema.*

*Invenire telluris diametrum.*

*Resolutio.*

Quia ut peripheria, ad diametrum est ut 22 ad 7 (5. *Assumpt.*) ideo per regulam auream procedendum, ut 22 ad 7, ita peripheria telluris 5400 milliaria Germanica (2 *Probl.*) ad diametrum telluris 1719 milliaria Germanica quam proxime.

*Schoon.*

Pro quibus 1719. milliaribus, quo numerus sit rotundior, adeoque calculus pro superficie & soliditate telluris invenienda reliquus facilior, vulgo 1720 milliaria sumuntur.

22 : 7 : 5400
7
37800

1720 milliaria Germanica, quæ diameter telluris est. Q. E. J.

5. *Problema.*

*Invenire telluris superficiem.*

*Resolutio.*

Ducatur peripheria telluris, 5400 milliaria Germanica (2 *Probl.*) in diametrum telluris, 1720 milliaria Germanica (3 *Probl.*) prodibit superficies telluris, 9288000 milliaria Germanica quadrata.

1720
5400
---
688000
860
---
9288000 milliaria Germanica quadrata, quæ superficies telluris est. Q. E. J.

5. *Problema.*

*Invenire telluris soliditatem vel capacitatem.*

*Resolutio.*

Tertia pars telluris superficiei (4 *Probl.*) vel 3096000 milliaria Germanica quadrata, ducatur in dimidiam diametrum telluris (3 Probl.) vel 860 milliaria Germanica: factum dabit 2662560000 milliaria Germanica cubica pro soliditate vel capacitate telluris.

3096000
860
---
185760000
24768
---
2662560000 Milliaria Germa-

nica cubica, quæ capacitatem telluris constituunt. Q. E. J.

(4) 6. *Problema.*

*Invenire capacitatem oceani universi.*

1. *Scholion.*

*Ex descriptione Globi intellectualis Cap. 8. Verulamii* non instrenui rerum naturalium indagatoris liceat mihi supponere *terræ superioris* E (vide *2 Assumpt.*) crassitiem ad minimum esse duorum milliarium Anglicorum. Et quia nulla ratio est, cur terra superior crassior aut tenuior sit, quam *inferior* O, ideo utramque præter propter ejusdem esse crassitiei putamus. Sed quare non aqua vel universus oceanus, id est, *oceanus superior & inferior* eandem crassitiem vel profunditatem, nempe duorum milliarium Anglicorum haberet? Et quid obstat, quo minus liceat & secundæ regioni vel corpori M crassitiem eandem vel duorum milliarium Anglicorum tribuere? Porro quoniam milliaria Anglica Italicis majora sunt (1. Probl.) patet è suprapositis, *terram superiorem & oceanum simul sumpta* poni licere 4. milliaria Italica vel unum Germanicum crassa.

2. *Scholion.*

*Cl. Burnettius* supposuit oceanum superiorem ubique $\frac{1}{4}$ partem milliaris Italici, vel 250 passus profundum. Et quidni etiam $\frac{1}{2}$ partem mil-

milliaris Italici profunditatem oceani ponere licet? Quando quidem inveni, qui oceano ubique profunditatem integri milliaris Italici adscripserit.

*Resolutio.*

1. Subtrahe utrinque unum, adeoque ia totum 2 milliaria Germanica vel crassitiem terræ superioris & oceani (*1. Schol. in fine*) à diametro telluris, 1720 milliaribus Germanicis (*3. Probl.*)

2. Beneficio hujus diametri, quæ habet 1718 milliaria Germanica, quære peripheriam hoc pacto, ut 7 ad 22, ita 1718. ad peripheriam, 5399 milliaria Germanica.

3. Hanc peripheriam in illam diametrum multiplicando inveni superficiem, 9275482 milliaria Germanica quadrata.

4. Tertiam partem hujus superficiei, 3091827 milliaria Germanica quadrata, in dimidiam diametrum 859 milliaria Germanica multiplicando, capacitas, videlicet $265587939\frac{1}{2}$ milliaria Germanica cubica, invenitur.

5. Hanc capacitatem subtrahe à soliditate telluris, id est, 2662560000 milliaribus Germanicis cubicis, & habebis capacitatem terræ superioris & oceani, id est, 6680907 milliaria Germanica cubica.

6. Hujus capacitatis dimidia pars est oceani capacitas.

1. 1720
2
1718 Diameter.

2. 7 : 22 :: 1718
22
3436
3436
37796

~~2663~~
~~37796~~ ( 5399 peripheria.
~~7777~~

3. 5399
1718
43192
5399
37793
5399
9275482 superficies.

4. 3091827
859
27826443
15459135
24734616
2655879393 capacitas.

5. 2662560000
2655879393
6680607 milliaria.

Ger-

Germanica cubica.

I

6. ßßßßßßß

xxxxxxx (3340303 milliaria Germanica cubica oceani capacitatem universi adæquantia. Q. E. J.

1. *Corollarium.*

Hinc sequitur, capacitatem terræ superioris etiam comprehendere 3340303 milliaria Germanica cubica.

*Scholion.*

Hoc quodammodo confirmatur eo, quod superficies oceani superioris præter propter æqualis est superficiei terræ superioris (*6. Assumpt.*)

2. *Corollarium.*

Hinc rursus fluit, oceanum inferiorem & superiorem esse præter propter ejusdem capacitatis, nempe, 1670151 milliarium Germanicorum cubicorum, quæ est dimidia capacitas universi oceani.

(5) *7. Problema.*

*Invenire capacitatem planitie telluris universæ, & altitudine montis altissimi comprehensam.*

*Resolutio.*

1. Addantur duo milliaria Germanica (quia mons altissimus unum milliare Germanicum altus habetur (*7. Assumpt.*) diametro telluris 1720 milliaribus Germanicis.

2. Beneficio hujus diametri vel 1722 mil-

liarium Germanicorum inveniatur peripheria per regulam auream hoc modo, ut 7 ad 22, ita 1722 ad peripheriam 5412 milliaria Germanica.

3. Hanc peripheriam in illam diametrum ducendo inveniatur ſuperficies, 9319464 milliaria Germanica quadrata.

4. Tertiam partem hujus ſuperficiei vel 3106488 milliaria Germanica quadrata in dimidiam diametrū vel 861 milliaria Germanica ducendo inveniatur Capacitas vel 2674686168 milliaria Germanica cubica.

5. Ab hac capacitate ſubtrahe capacitatem vel ſoliditatem telluris, id eſt, 2662560000 milliaria Germanica cubica; & reſtabit capacitas quæſita.

1. 1720
2
1722 Diameter.

2. 7:22:: 1722
22
3444
3444
37884

37884(5412
7777 peripheria.

3.

3. 5412
1722
10824
10824
37884
5412
9319464 Superficies.

4. 3106488
861
3106488
18638928
24851904
2674686168 Capacitas.

5. 2674686168
2662560000
12126168 milliaria

Germanica cubica, quæ capacitatem inter planitiem universæ telluris, & altitudinem montis altissimi conficiunt. Q. E. J.

(6) 8. *Problema.*

*Invenire, quot oceani universi requirantur ad implendam capacitatem planitie telluris universæ, & altitudine montis altissimi comprehensam.*

*Resolutio.*

Divide capacitatem planitie telluris universæ, & altitudine montis altissimi comprehensam, id est, 12126168. milliaria Germanica cubica

bica (7 *Probl.* §. 5.,) per capacitatem universi oceani, id est, 3340303. milliaria Germanica (6 *Probl.* §. 6.:) & quotus dabit 4 oceanos universos proxime.

1 2 1 2 6 : 6 8 (4 oceani universi proxime. Q. E. J.
3 3 4 0 3 0 3

1. *Corollarium.*

Hinc sequitur, octo oceanos universos fuisse necessarios, si oceanus haberet profunditatem unius milliaris Italici, *Sedecim, si quidem* profunditas oceani sit $\frac{1}{2}$ pars milliaris Italici. Atque triginta duos, si juxta *Cl. Burnettii* mentem profunditas sit $\frac{1}{4}$ milliaris Italici (Conf. 2. *Schol.* 6. (*Probl.*)

2. *Corollarium.*

Hinc etiam promanat præterea adhuc pluribus oceanis opus fuisse, si capacitas inter planitiem universæ telluris, & 15 cubitos supra altitudinem montis altissimi esset replenda.

(7) 5. *Theorema.*

*Diluvium incepit ab imbre.*

*Demonstratio.*

Diluvium incepisse ab imbre, patet (4 *postul.*) ex *Gen.* 7:4. *Die, pluam super terram.*

*Scholion.*

Ego מַמְטִיר *pluens* ero vel pluam. Hanc autem pluviam fuisse densam, id est, *imbrem*, vernacule, *een plasregen*, manifestum est ex eo, quod vox גֶּשֶׁם! quæ *imbrem* significat,

*Gen.*

*Gen.* 7: 12. & 8: 2. reperitur. Is etiam magis ſcopo Dei irati conveniebat, quam ſimplex pluvia.

6. *Theorema.*

*Imber provenit è nubibus.*

*Demonſtratio.*

Quoniam vera ſenſuum experientia conſtat (3 *aſſumpt.*), imbrem è nubibus provenire (nam imbrem nunquam de cœlo, quam cum nubibus craſſis obductum eſt, decidere experimur;) ideo verum eſt, imbrem è nubibus provenire. Q. E. D.

*Scholion.*

Ut autem modum cognoſcamus, quo imber in diluvio è nubibus provenerit, demonſtrare oportebit, (1) vapores aquoſos calore ex aqua fieri, (2) eos elevari in aerem; (3) elevatos nebulam conſtituere; (4) nebulam in altum ſublatam conſtituere nubem; (5) nubem vel humilius, vel altius in aere hærere; & (6) nubem ubicunque hærentem producere imbrem.

7. *Theorema.*

*Vapores aquoſi calore ex aqua fiunt.*

*Demonſtratio.*

Vapores aquoſos calore ex aqua fieri, vera ſenſuum experientia conſtat (3 *aſſumpt.*:) nam quotidie experimur, cum olla aquam habens ſuper ignem impoſita eſt, ignis calore vapores elevari. Etiam ex aqua deſtillationi commiſſa ignis ſubjecti calore vapores

in alembicum vitreum aſcendere videmus. Q. E. D.

8. *Theorema.*

*Vapores aquoſi calore elevantur in aerem.*

*Demonſtratio.*

1. *Hypoth. Aliæ particulæ aquæ aliis ſunt ſubtiliores & leviores.* Hoc palam eſt ex eo, quod dum aqua igni admota eſt, aliæ particulæ celerius, aliæ tardius avolant.

2. *Hypoth. Particulæ aquoſæ ſunt leves & lubricæ* anguillarum exiguarum inſtar: hoc liquet ideo quia vapores facile ex aqua, etiam marina vel ſalſa; & è corporibus aqua madentibus elabuntur.

3. *Hypoth. Particulæ* (vel potius moleculæ) *ſalinæ particulis aquoſis graviores*: hoc in propatulo eſt, eo quod dum aqua marina deſtillatur, vapores aquoſi tantum in alembicum aſcendunt, relictis in fundo cucurbitæ moleculis ſalinis.

4. *Hypoth. Aer calore rarefit*: quia nempe ejus moleculæ utpote è particulis aquoſis & ramoſis maximam partem conſtantes, calore motæ ſeſe latius inſtar tenuium funiculorum celeriter agitatorum extendunt:

Igitur quia particulæ aquæ ſubtiliores ſunt, (1. *Hypoth.*) & per particularem naturæ legem ſurſum feruntur (8. *Aſſumpt.*:) ideo hæ ob ſuam lævitatem & lubricitatem (2. *Hypoth.*) ex aliis extricatæ, poris aeris calore rarefacti (4. *Hypoth.*) excipiuntur, adeoque in aerem ele-

elevantur, moleculis ſalinis, ſi aqua ſalſa ſit, ob ſuam gravitatem (3. *Hypoth.* infra relictis. Q. E. D.

*Scholion.*

Sunt qui putant, particulas aquoſas calore adeo expandi, ut diameter earum vel decies major ſit, ac proinde moles earum vel millies major, quam antea. Hinc fieret, ut particulæ aquoſæ de gravitate cum aere convenirent (quum proportio gravitatis aquæ ad aeris ſit ut 1000 ad 10,) ac idcirco in altum aſcenderent, quemadmodum globus vitreus concavus in aquam demerſus adſcendere conſpicitur. Sed ſingulas particulas aquoſas ita expandi ipſarum natura prohibet. Guttulam autem ex plurimis compoſitam in vaporem tantopere expandi poſſe minime inficias imus.

*9. Theorema.*

*Vapores ex univerſo telluris ambitu elevantur.*

*Demonſtratio.*

Quoniam vera ſenſuum experientia conſtat, (3 *aſſumpt.*) oceanum ſuperiorem univerſam tellurem ambire, licet iſthmis interpoſitis disruptus ſit, ut in 4 ampliſſima maria, Atlanticum, Pacificum, Hyperboreum, & Auſtrale ſit diviſus; & inſuper ubique in 4 mundi partibus, Europa, Aſia, Africa, & America, fluvios magnos reperiri ex oceano tum ſuperiore, tum inferiore oriundos: ideo manifeſtum eſt vapores, qui ex aqua fiunt

fiunt (7 *Theor.* ex universo telluris ambitu elevari. Q. E. D.

10. *Theorema.*

*Vapores aquosi elevati nebulam constituunt.*

*Demonstratio.*

Vapores aquosos in aerem elevatos nebulam constituere, vera sensuum experientia constat (3 *Assumpt.*,) quippe quæ docet, illos vapores ex aqua per foramen in crusta glaciali factum, ut & ex aliis aquis in aerem elevatos nebulam creare. Idem hoc experimentum testatur: cum vase vitreo amplo aqua fervente instructo, & sub campana collocato, aliqua pars aeris è campana per antliam Pneumaticam extrahitur, vapores ex ea aqua in aerem reliquum calefactum sursum latos nebulam producere cernimus, rursus evanescentem, cum aer extractus recipitur, & universus frigore condensatur. Q. E. D.

11. *Theorema.*

*Nebula in altum sublata constituit nubem.*

*Demonstratio.*

Observatum est, eos, qui ad pedem montium altissimorum in Hungaria & alibi consistebant, nubem in summo istorum montium vidisse versantem: & cum in hoc summum ascendendo perveniissent, offendisse nebulam. Imo contra in summo montium altissimorum consistentes viderunt infra se nubem, quam esse nebulam comperiebant, cum eo descendendo perveniissent. Unde

ve-

vera ſenſuum experientia conſtat (3 *Aſſumpt.*) nebulam in altum ſublatam fuiſſe nubem. Q.E.D.

12. *Theorema.*

*Nubes vel humilius, vel altius in aere, ob æquilibrium cum eo, hæret.*

*Demonſtratio.*

*Hypoth. Corpus aliquod in fluido ibi hæret, ubi cum eo in æquilibrio conſtitutum eſt.* Ratio petenda eſt ab utriusque æquali gravitate, qua unum non magis quam alterum ad centrum gravium vel telluris deſcendit. Hoc confirmatur experimento capto de aqua & argento vivo vaſe aliquod contentis; & fruſto ferri, quod in hoc fluidum conjicitur: nam ferrum deſcendet per aquam ſupernatantem in argentum vivum; & ex hoc rurſus aſcendet in aquam. Hoc toties fiet, donec tandem in æquilibrio inter aquam & argentum vivum hærebit.

Igitur juxta hanc *hypotheſin* nubes vel humilius, vel altius ibi in aere hæret, ubi cum eo in æquilibrio conſtituitur. Q.E.D.

13. *Theorema.*

*Nubes ubicunque hærens frigore producit imbrem.*

*Demonſtratio.*

*Hypoth. Vapores aquoſi in guttas aquoſas frigore condenſantur.* Hoc manifeſtum eſt è deſtillatione aquarum ſimplicium: nam ubi vapores aſcenderint in alembicum, ibi frigore cir-

circumambiente in guttas aquosas condensantur, in recipiens delabentes.

Igitur quoniam gravia per particularem naturæ legem deorsum cadunt (9 *Assumpt.*;) & vapores aquosi (qui nebulam, ut nebula nubem constituunt 10. 11. *Theor.*,) in aere juxta *hypothesin* frigore in guttas aquosas ipso aere graviores *Schol. & Theor.* condensantur: ideo ob æquilibrium cum aere sublatum (12 *Theor.*) gravitate sua deorsum cadunt, proindeque nubes ex iis conflata imbrem producit. Q. E. D.

*Corollarium.*

Hinc sequitur, quod, quo frigus in aere majus est, eo vapores magis in guttas aquosas coeunt, & imber major excitatur, cum eo, ne frigus tantum sit, ut guttæ aquosæ in grandinem concrescant.

*Scholion.*

At heic animadvertendum est, quoniam imber pluvia densa est, imbrem nasci è nube densa, nubem densam è nebula densa, & nebulam densam è vaporibus aquosis densis.

14. *Theorema*

*Nubes producit imbrem etiam copia vaporum aquosorum.*

*Demonstratio.*

Quoniam vapores aquosi calore in aerem elevantur (8 *Theor.*;) vapores elevati nebulam constituunt (10 *Theor.*;) nebula nubē (11 *Theor.*;) vapores aquosi copia sua in guttas aquosas ipso

ipso aere graviores, *Schol. 8 Theor.* coeunt, ut per se manifestum est (3 *Postul.*;) & vera sensuum experientia constat (3 *Assumpt.*) nubem etiam imbrem producere, cœlo calido existente: ideo palam est, nubem quoque imbrem producere vaporum aquosorum copia. Q. E. D.

*Corollarium.*

Hinc sequitur, quo calor in aere major est, eo copiosiores vapores aquosos in guttas aquosas elevatas coire, & imbrem concitari majorem modo ne calor tantus sit, ut ipsos vapores aquosos dispellat, (quemadmodum halitum oris aquosum calore æstatis dispelli, & ob hoc ipsum non conspici novimus) & in guttas aquosas coire non sinat.

(8) 15. *Theorema.*

*Cataractæ cœli significant nubes cœli.*

*Demonstratio.*

Hoc patet ex (4 *Postul.*) 2. *Reg.* 7:2. En si Dominus faceret אֲרֻבוֹת בַּשָּׁמַיִם *cataractas in cœlo. Jes.* 24:18. quoniam מְמָרוֹם אֲרֻבוֹת *cataractæ de excelso* apertæ sunt. *Malach.* 3:10. Si nunc aperuero vobis אֲרֻבוֹת הַשָּׁמַיִם *cataractas cœli.*

*Scholion.*

Nubes cœli vocantur metaphoricè *cataractæ cœli*; quia, quemadmodum cataractæ aquas cohibent, & earum progressum impediunt; ita nubes in æquilibrio cum aere hærentes (12.

*Theor.*

*Theor.*) aquas suas continent, & earum lapsum impediunt.

16. *Theorema.*

*Cataractæ cœli apertæ sunt*, id est, *produxerunt imbrem.*

*Explic. Cataractas cœli aperiri* mihi notare videtur *producere imbrem*, scilicet, per metonymiam antecedentis pro sequente: nam ante nubes aperiantur necesse est, quam producunt imbrem. Sed quid *id aperire* significet, per se manifestum est, adeoque non opus habet explicatione (3 *Postul.*)

*Demonstratio.*

Cataractas cœli produxisse imbrem ex (4. *Postul.*) *Gen.* 7: 11. Cataractæ cœli *apertæ sunt*; atque demonstratum est 13. & 14. *Theor.*)

17. *Theorema.*

*Imber duravit 40. dies naturales.*

*Demonstratio.*

Hoc in propatulo est ex (4. *Postul.*) *Gen.* 7: 4. *Ego pluam super terram 40. dies, & quadraginta noctes. Item* vs. 12. & 17. Q.E.D.

18. *Theorema.*

*Hoc imbre aquis auctis arca supra tellurem elevata est.*

18. *Demonstratio.*

Hoc palam est ex (4 *Postul.*) *Gen.* 7: 17. *Et aquæ sunt auctæ, sustuleruntque arcam*, (quæ) *& elevata est supra terram.* Q.E.D.

1. *Scholion.*

Heic animadverti convenit, his verbis non indi-

indicari, quantitatem aquarum in tellure existentem, additis ex imbre aquis fuisse auctas, propterea quod ipsæ imbris aquæ prius ex aquis telluris fuerint enatæ 7 *Theor.* & *seq.* sed aquas initio ex imbre delapso natas additis ex imbre continuato aquis incrementum cepisse ita, ut area supra tellurem elevata ne quidem in ejus vel summa ædificia impegerit.

*Corollarium.*

Hinc sequitur aquarum incrementum sane magnum fuisse, eo quod arca, quæ omnium animalium genere onerata altitudinem 30. cubitorum habuerit *Gen.* 6:15. inferiore sui parte minimum 22 cubitis vel partibus altitudinis in aquam subsederit.

2. *Scholion.*

In hoc imbre determinatio motus guttarum deorsum cadentium, & vaporum aquosorum sursum latorum non fuit contraria, qua guttæ cadentes vaporum ascensum impedirent: quandoquidem eodem momento, quo guttæ descenderunt, vapores per eorum interstitia ascenderunt, similiter ac in arenario, dum arenulæ è vase superiore in inferius descendunt, aer per earum interstitia è vase inferiore in superius ascendit.

19. *Theorema.*

*Imber circa universum telluris ambitum fuit.*

*Demonstratio.*

Hoc manifestum est ex (4 *Postul. Gen.* 7:19. Opertique sunt omnes alti montes, qui sunt

תַּחַת כָּל-הַשָּׁמָיִם *ſub univerſo cœlo.* Gen. 7: 21, 22. 23. Et expiravit כָּל-בָּשָׂר *omnis caro, quæ* reptabat ſuper terram &c. Nimirum, quia vapores aquoſi ex univerſo telluris ambitu elevati ſunt. 9 *Theor.*

*Corollarium.*

Hinc ſequitur imbrem non in habitabilem duntaxat telluris partem irruiſſe, ut Vir quidam celeberrimus contendit.

(9) 9. *Problema.*

*Invenire quantum aquæ imber in diluvio attulerit 40. diebus naturalibus.*

*Reſolutio.*

*Merſennus* obſervavit, vas cubicum æneum horæ dimidio ab imbre ſesquipollicem aquæ accepiſſe, & quia ſpatium 40. dierum naturalium habet 1920. ſemihoras, ideo iſthoc ſpatio 2880. pollices vel digiti, id eſt, 288 pedes vel 192. cubiti aquæ ceciderunt, (1 *Probl.*) Q. E. J.

*Corollarium.*

Hinc ſequitur, quam facile aquæ ex imbre 40 dierum naturalium ſpatio augeri potuerint, ut arca ſupra tellurem elevata periculum non incurrerit, ne in ſumma ædificia impingeret, ac impingendo læderetur.

*Shoiion.*

Magis, quod ad minimum 192 cubiti aquæ ex iſthoc imbre in tellurem delapſi ſint: nam veriſimile eſt, tantum guttarum aquoſarum per imbrem cecidiſſe, quantum vaporum, aquo-

aquoſorum per interſtitia guttarum non contiguarum ampla aſcendiſſe potuerit.

(10) 20. *Theorema.*

*Imber pro cauſa efficiente non habuit ignem centralem telluris.*

*Demonſtratio.*

1. *Hypoth. Ignis centralis in orbem rapitur.* Nimirum quia tellus fuit ſidus lucidum inſtar ſolis (1 *Aſſumpt.*;) & ignis ſolaris circa axem in orbem rapitur (5 *Aſſumpt.*:) ideo & ignis centralis telluris etiam in orbem rapiatur neceſſe eſt.

2. *Hypoth. Motu circulari vorticis majoris, in cujus medio ſol eſt, globuli cœleſtes à ſole recedere conantur.* Demonſtrationem vide apud *Cart. art. 60. p. 3. pr. ph.*

3. *Hypoth. Hi globuli feruntur ad centrum telluris.* Hoc patet ex aeris preſſione verſus centrum telluris (14 *Aſſumpt.*)

Igitur quia ignis centralis telluris in orbem rapitur (1 *Hypoth.*,) ejus particulæ in ipſum ignem, non in corpus M determinantur, uti per ſe manifeſtum eſt (3 *Poſtul.*) Et ſi quædam earum à centro ſui motus recedere conantur, tamen per poros corporis denſi M, & terræ inferioris O, quibus arcte incluſus eſt, foras comeare nequeunt, propterea quod à globulis cœleſtibus à ſole recedentibus (2 *Hypoth.*) & ad telluris centrum latis (3 *Hypoth.*) repelluntur. Hinc ignis centralis telluris non tantum calorem oceano ſuperiori & fluviis impertiri

potuit, ut ex iis vapores aquosi (7 *Theor.*,) unde nebula, nubes, & imber (10. 11. 13. 14. *Theor.* elevarentur Unde patet, imbrem pro causa efficiente non habuisse ignem centralem telluris. Q. E. D.

*Corollarium.*

Hinc sequitur ratio, cur hic horrendus ignis centralis, cujus diameter sit 1716. milliarium germanicorum (4 *Probl. coll. cum* 1. *Schol.* 5. *Probl.*,) non sensibilem calorem terræ superiori, in qua nos degimus, impertiatur; multo minus, cur corpus M, & utramq; terram, superiorem nempe, & inferiorem non comburat, & in vitrum convertat, quemadmodum fieri videmus, cum corpora combustibilia & terrea in foco vitrorum causticorum valentissimi generis habentur.

1. *Scholion.*

Supradictum etiam confirmatur eo quod ignis vase undique clauso incluſus nullam vim urendi exerat, sed extinguatur.

2. *Scholion.*

Hunc ignem telluris centralem die novissimo transiturum in gehennam, in qua reprobi quoad corpus æternum cruciatum sint subituri, mihi persuasum habeo.

3. *Scholion.*

Huic autem igni non adversatur, quod pondus grave funi adnexum, & in mare Hispanicum demissum, ad fundum pertingere nequeat: quandoquidem pondus illud non recta linea ad centrum telluris tendit, sed ab

ocea-

oceano inferiori in itinere versus latera abripitur. Nam oceanum inferiorem vel subterraneum, adeoque & oceanum superiorem juxta fundum habere motum progressivum, abunde patet ex mari mediterraneo, quod aquas à fluviis Europæ & Asiæ maximis, imo ipso mari Hispanico per fretum Herculeum receptas, quasi devorat, sic ut nunquam supra littora exundare deprehendatur. Idem dictum puta de mari Caspio, cum ex plurimis aliis, tum maxime ex Volga jugiter magnam aquarum copiam accipiente.

21. *Theorema.*

*Imber pro causa efficiente radios solares non habuit.*

*Demonstratio.*

Quoniam e nubibus imber nascitur (13. 14. *Theor.*;) & in imbre cœlum crassis nubibus obductum est, teste vera visus experientia, (3. *Assumpt.*:) ideo in hoc imbre cœlum nubibus crassis obductum fuit, quæ transitum radiorum solarium impediverunt, qui proinde causa efficiens vaporum aquosorum (7 *Theor.*) nebularum (10 *Theor.*) & nubium (11 *Theor.*,) adeoque ipsius imbris esse non potuerunt. Q. E. D.

*Scholion.*

Heic animadverti convenit, vapores aquosos non solum calore à radiis solaribus multum ignis ætherei habentibus in aquis excitato in altum elevari, sicuti 8. *Theor.* demonstratum est; verum etiam ab ipsis radiis sola-

ribus in altum pelli. Hoc enim liquet eo, quod amianthus, qui leviſſimus eſt, carboni impoſitus, & foco vitri cauſtici admotus movetur & propellitur. Idem intelligendum eſt de una extremitate lateris chalybeji ſubtiliſſimi, cujus altera extremitas ligno cuidam infixa ſit. Sic etiam fere pluviam ſequi radios ſolares inſolito modo urentes comperimus.

22. *Theorema.*

*Imber per miraculum à Deo factus eſt.*

*Demonſtratio.*

Quoniam cauſa efficiens imbris non fuit ignis centralis (*20. Theor.*) nec radii ſolares (*21. Theor.*) nec alia cauſa huicce imbri circa univerſam tellurem excitando apta nata nobis occurrit, jure merito colligimus, per miraculum vapores aquoſos ex aquis in univerſo telluris ambitu ſitis fuiſſe elevatos, qui nubes craſſas, unde hic imber circa univerſam tellurem ortus fuerit, produxerint. Q. E. D.

*Scholion.*

Fuit autem hoc miraculum præter primam naturæ corporeæ legem univerſalem, in quo ſine cauſa externa, per omnipotentem Dei voluntatem particulæ aquoſæ ex aquis motis ſurſum in vapores elevatæ fuerunt, nubes craſſas conſtituentes. Vide *Diſſ. n. de mirac. 6. Theor. coll. cum 20. Theor.* Quod genus miraculorum pertinet ad tertiam claſſem, in cujus

jus miraculis motus transit in motum. Vide 30. *Theor.* 1. *Argum. Exempla tertiæ classis.*

(11) 23. *Theorema.*

*Nubes non factæ fuerunt per miraculum ex aliis partibus telluris.*

*Demonstratio.*

QuiaDeus est ens simplex (1 *Postul.*) & quælibet res operatur convenienter naturæ suæ (2 *Postul.*) ideo Deus agit modo simplici. Hinc fluit, quod nubes, unde hic imber, non factæ fuerint ex aliis partibus telluris, ex: gr. è corporibus terreis, vel aliis in ipsa tellure, aliisve planetis situm habentibus, & in aerem aut telluris atmosphæram translatis; nec non, in nubes transformatis: & deinde eidem loco formæ que pristinæ restitutis. Tum enim Deus non simplici, sed vel quadrúplici modo egisset. Q. E. D.

24. *Theorema.*

*Nubes non è nihilo fuerunt creatæ.*

*Demonstratio.*

Quoniam non datur vacuum (10 *Assumpt.*) & vacuum requiritur, quod nubes è nihilo creatas recipiat, ut per se manifestum est, (3 *Postul.*) ideo si Deus nubes è nihilo creasset, primo corpora, quibus locis nubes fuissent futuræ, annihilasse oportuit; deinde nubes è nihilo creasse; tum easdem, diluvio cessante in nihilum redegisse; & tandem corpora annihilata restituisse: quæ quadruplex actio est,

est, adeoque simplicitati Dei (*1 Postul.*) ejusque simplici actioni (*2 Postul.*) repugnat. Unde manifestum est, Deum nubes non è nihilo creasse. Q. E. D.

*1. Scholion.*

Adhæc quum *corpora annihilanda* & *nubes* non eandem *materiæ* & *motus* quantitatem habeant, quantitas utriusque in mundo quoque mutata fuisset, id quod saniori physicæ adversatur; nam ea docet, tum motus, tum materiæ quantitatem in mundo semper eandem manere.

*2. Scholion.*

Siquidem nunquam ad miraculum; & omnipotentiam divinam confugiendum censeo, nisi cum clare percipimus, effectum aliquod præter leges naturæ & humanam fieri; & non è causis naturalibus effici posse, verum omnipotentiam divinam, qua fiat, habere necessariam.

(12) *25. Theorema.*

*Imbrem excepit aqua ex abyssо magna.*

*Demonstratio.*

Quia primum de solo imbre mentio facta est *Gen. 7: 4. Ego pluam super terram* (Conf: *Schol. 5 Theor.*) & deinde de imbre simul ac de aqua ex abyssо magna, v. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt*; *atque* rationi quoque consentaneum est, (*4 Assumpt.*) imbrem præcessisse, & aquam ex abyssо

abyſſo magna ſecutam eſſe: ideo judicandum puto, quod aqua ex abyſſo magna exceperit imbrem. Q. E. D.

*Scholion.*

Illud autem rationi conſentaneum eſſe, patet (1) quia, ſi prius aquæ è fontibus abyſſi erupiſſent, quam arca aquæ imbri debitæ innataſſet, periculum fuiſſet, ne ab aquis è fontibus abyſſi irruentibus ſubverteretur, quum, mare caſpium, mediterraneũ, & pontus euxinus haud longe à montibus Ararat abeſſent. (2) Niſi terræ & fluvii aqua pluviali vel ad 192 cubitos (9 *Probl.*) opertæ fuiſſent, plantæ in illis, & piſces in his, aquis marinis emortui fuiſſent: quod non veriſimile mihi videtur.

(13) *26. Theorema,*

*Oceanus inferior eſt abyſſus magna.*

*Demonſtratio.*

Oceanum inferiorem vel ſub terris ſitum aut ſubterraneum dari, patet ex 2. *Aſſumpt.* Et quia *abyſſus* ſignificat ingentem telluris profunditatem, è qua maria particularia, fluvii & fontes promanant (4 *Poſtul.*) *Gen.* 49, 25. Benedictionibus תְּהוֹם רֹבֶצֶת תָּחַת *abyſſi jacentis infra*: ideo palam eſt abyſſum eſſe oceanum inferiorem. Eſt magna, utpote capiens 1670151 milliaria Germanica cubica (2 *Coroll.* 6 *Probl.* Q. E. D.

*Scholion.*

Oceanum inferiorem vel abyſſum magnam

dari, confirmatur etiam eo, quod foſſores alte in terris non montoſis fodientes aquis obruuntur; quod è puteis longiſſime à maribus alte qua venæ aquarum ſunt foſſis aqua copioſe propullulat; quod fontes profundi longiſſime quoque à maribus diſſiti, qui multum aquæ egerunt, & ad pedem montium reperti magnos fluvios pariunt, ſuapte ſponte è terrarum venis ruptis naſcuntur.

(14) 27. *Theorema.*

*Fontes abyſſi magnæ ſunt aperturæ anguſtæ, per quas abyſſus aquam ſuam in oceanum ſuperiorem transmittit.*

*Demonſtratio.*

Rationi conſentaneum eſt (4 *Aſſumpt.*) cum terra ſuperior in inferiorem delaberetur (2 *Aſſumpt.*) multa ſuperioris fragmenta ſic fuiſſe diſpoſita, ut in latus reclinata inferiori incumberent, & anguſtas aperturas relinquerent, quæ aquam ex abyſſo magna in oceanum ſuperiorem transmitterent. Hæ verò anguſtæ aperturæ abyſſi magnæ fontes ſunt, per quos aquam ſuam in oceanum ſuperiorem transmittit. Q. E. D.

*Scholion.*

Quia dubio procul multi hujusmodi fontes abyſſi ſunt facti, ideo abyſſo non aqua ſed aquæ tribuuntur, ſimiliter ac etiam imbris non aqua ſed aquæ fuerunt, (1 *Schol.* 18 *Theor.*) Imo quoniam oceanus tam ſuperior, quam inferior

rior vel abyſſus aquam ſuam diluvio ſuppeditavit, ideo & aquæ oceani fuerunt. Hinc patet, cur in Divina ſcriptura *aquarum* in numero duali mentio habita fuerit, nempe, quoniam una aqua fuit imbris, & altera oceani. Item, quia una aqua fuit oceani ſuperioris, & altera inferioris.

28. *Theorema.*

*Abyſſus quoque per fontes ſuos alios communionem habet cum maribus particularibus.*

*Demonſtratio.*

Quia mare mediterraneum & Caſpium magnam aquarum copiam recipiunt ſic, ut nunquam ſupra litora ſua exundare deprehendantur (*3 Schol.* (*20 Theor.*) ideo manifeſtum eſſe puto, illa aquas ſuas oceano inferiori vel abyſſo tradere, quæ proinde per alios ſuos fontes cum iſtis maribus particularibus communionem habet. Q. E. D.

(15) 29. *Theorema.*

*Per fontes abyſſi magnæ aquæ vi affluxerunt in maria.*

*Demonſtratio.*

Quia omnes fontes abyſſi magnæ נִבְקְעוּ *fiſſi* vel *rupti ſunt Gen.* 7: 11. & vera ſenſuum experientia conſtat (*3 Aſſumpt.*) anguſtas aggerum aperturas vi affluentium aquarum rumpi & ampliari poſſe; ideo rationi conſentaneum eſt, (*4 Aſſumpt.*) anguſtas aperturas vel fontes abyſſi magnæ vi aquarum ex ea affluentium fuiſſe ampliatos: Per quos idcirco aquæ in maria, ſive univerſale vel oceanum ſuperiorem,

rem, ſive particularia, ut mediterraneum, Caſpium, &c. vi affluxerunt. Q. E. D.

(16) 30. *Theorema.*

*Aquæ ex abyſſo per fontes in maria affluxerunt, non per ignem centralem modo rarefactionis.*

*Demonſtratio.*

Aquas in abyſſo per ignem centralem rarefactas fuiſſe & ob hoc ipſum ex ea per fontes in maria affluxiſſe à vero abſonum eſt, propterea quod non tantum calorem ab iſto igne accipiunt, ut rarefiant, veluti ex demonſtratione 20 Theorematis liquet. Q. E. D.

1. *Corollarium.*

Hinc ſequitur, aquas ex abyſſo per fontes in maria multo minus affluxiſſe *modo ebullitionis* igni centrali debitæ, quo ebullientes ex abyſſo effluxiſſent.

2. *Corollarium.*

Ut etiam inde ſequatur, non *aerem ſubterraneum ab igne centrali rarefactum* aquas ex abyſſo per fontes in maria propuliſſe.

1. *Scholion.*

Magis hoc dicas, quod non detur aer ſubterraneus: nam aer inferior F lapſu terræ ſuperioris E inferiorem O ſurſum in aerem ſuperiorem latus fuerit neceſſe eſt. Vide *utramque fig. art. 42. p. 4. Pr. Ph. Cart.*

2. *Scholion.*

Si ponamus, poros ſecundæ regionis vel corporis M, & terræ inferioris O per miraculum fuiſſe dilatatos, quo aliquid ignis centralis

lis ſurſum transmitterent; & diluvio ceſſante rurſus per miraculum clauſos, Deus duplici actione egiſſet, quod ejus ſimplicitati, ſimplicique actioni repugnat.

(17) 31. *Theorema.*

*Aquæ ex abyſſo affluxerunt, non per terrarum preſſionem in ſuperficiem aquarum abyſſi factam.*

*Demonſtratio.*

Quia Deus eſt ens ſimplex (1 *Poſtul.*) & convenienter naturæ ſuæ, id eſt, ſimplici actione agit (2 *Poſtul.*) ideo Deus omnipotente ſua voluntate non depreſſit terras in ſuperficiem aquarum abyſſi, quo ipſæ ex abyſſo per fontes in maria affluerent; nec poſtea, diluvio deſinente, easdem terras priori loco reſtituit: hoc enim pacto duplici actione egiſſet. Q. E. D.

1. *Scholion.*

Eodem modo demonſtrari poteſt, *ſuperficiem oceani ſuperioris per omnipotentem Dei voluntatem non preſſionem eſſe paſſam*, qua ejus aqua ſurſum elevaretur, quandoquidem eadem voluntas primo aquam oceani ſuperioris depreſſiſſet; & tum eandem elevatam circa altiſſimos montes ſurſum determinaſſet: quæ duplex actio eſt.

2. *Scholion.*

Eadem etiam ratione demonſtrari poteſt, *Deum non per aerem preſſiſſe ſuperficiem oceani ſuperioris*, quia tum etiam duplici actione egiſſet, & aerem vehementius, quam naturaliter

fit

fit (14 *Assumpt.*) deorsum premendo; & aquam oceani superioris elevatam circa montes determinando.

*3. Scholion.*

Ut omittam, quacunque oceani superioris pressione concessâ, id verius fieret, ut ejus aqua deorsum pressa abyssi fontes clauderet, vel certè aquas ex abysso affluentes repelleret, sicque inundationi obsisteret.

(18) *32. Theorema.*

*Aquæ ex abysso magna per fontes in maria vi affluxerunt per miraculum.*

*Demonstratio.*

Quum aquæ ex abysso magna per fontes in maria vi affluxerint non per ignem centralem (30 *Theor.*) nec per terrarum pressionem *Theor.*) & nullam aliam causam naturalem huic rei aptam natam inveniamus: illud per omnipotentem Dei voluntatem, adeoque per miraculum factum esse jure merito colligimus. Ergo aquæ ex abysso magna per fontes in maria vi affluxerunt per miraculum, Q. E. D.

*Scholion.*

Hoc autem miraculum mihi factum videtur præter primam legem universalem (*6 Theor. Diss. n.*) atque ad miracula tertiæ classis spectare, in quibus *motus* transit in *motum*. Vide 1. *Argumentum*: *exempla tertiæ classis 30 Theor. Diss. n.*

33 *Theorema.*

*Aquæ per aquas abyſſi magnæ vi affluentes è maribus ſurſum elevatæ ſunt.*

*Demonſtratio.*

Quum aquæ ſurſum elevatæ ſint (4 *Poſtul.*) Gen. 7. 20; & omnis motus naturalis fiat per propulſionem (12 *Aſſumpt.*) non poſſumus non judicare, aquas ex abyſſo magna vi affluentes per fontes in maria (29 *Theor.*) aquas ex his, id eſt, ex oceano ſuperiore, & maribus particularibus, ut mediterraneo, Caſpio, &c. propuliſſe, adeoque ſurſum elevaſſe. Q. E. D.

(19) 34. *Theorema.*

*Aquæ non ex oceano ſurſum per lapſum terræ ſuperioris in inferiorem elevatæ ſunt.*

*Demonſtratio.*

Aquas per lapſum terræ ſuperioris E in inferiorem O ex intermedio oceano D (Vide 2 *Aſſumpt.*) ſurſum fuiſſe elevatas, nequaquam rationi conſentaneum eſt (4 *Aſſumpt.*) Nam is lapſus vel *ſubito*, vel *paulatim* factus fuiſſet. Non *prius*, quia (1) lenta aquarum accretio, ſcilicet 150 dierum in Scriptura *Gen.* 7: 24. memorata, huic lapſui ſubitaneo adverſatur. (2) Arca undis aquarum inſtar montium in eam irruentibus ſubverſa fuiſſet. (3) Aquæ præciſe per montium ſuperficiem aſcendiſſe non potuiſſent: ſiquidem earum moles non tanta erat, ut undiquaque tellurem ſupra altiſſimos mon-

montes operirent (8 *Probl.*) Nec *posterius*, quoniam (1) præcise tanta aquarum moles ascendisset, quanta esset fragmentorum soliditas; adeoque nequaquam montibus altissimis contegendis circa universam tellurem sufficiens. (2) Aquæ versus latera cursum suscepissent, non sursum per superficiem montium elevatæ fuissent. Ergo aquæ non ex oceano sursum per lapsum terræ superioris in inferiorem elevatæ sunt. Q. E. D.

1. *Scholion.*

Hoc autem modo aquas ex oceano non fuisse elevatas, luculenter etiam patet eo, quod tum initio mundi, quo lapsus ille terræ superioris factus fuit, diluvium incidisset, id quod palam sacris literis repugnat.

(20) *Corollarium.*

Ex hoc theoremate fluit, sententiam *Cl. Burnettii* de inundatione rationi esse contrariam.

2. *Scholion.*

Sententia vero hujus Viri præclari universa huc redit,

(1) Tellurem in principio ovalem, & intra corticem terreum æqualem aquarum abyssum inclusam habentem fuisse creatam: quam formam tellus usque ad diluvium servasset.

(2) Lapsu corticis terrei ob fissuras radiis solaribus debitas tempore demum diluvii facto montes & maria fuisse facta: quorum

hæc

hæc per universæ telluris planitiem diffluendo, & per montes vel altissimos ascendendo, inundationem concitassent.

*3. Scholion.*

Sed ne referam, hujusmodi formam telluris creandi modum non solide demonstratum: ipsa *forma rationi* contraria est; & *generatio* montium mariumque tandem in ipso diluvio facta *Scripturæ*.

Ipsa *forma* repugnat *rationi*, eo quod pisces quinto die creati *Gen.* 1. 20. 21. in aquis telluris cortice inclusis, excluso aere, non vivere potuissent: nam apertura circa polos telluris non recte demonstrari potest; & si possit, aqua ibidem ob frigus acerbissimum in corticem glacialem crassam transiisse debuisset.

Et *generatio* montium & marium tandem diluvii tempore facta, *scripturæ* contraria est: nam ex *Prov.* 8. 23. 24. 25. patet, aquarum abyssos & montes in principio generationis fuisse facta, nempe tertio die *Gen.* 1. 9. 10. Præterea unde *æs* & *ferrum* ante diluvium *Gen.* 2. 22. nisi è montibus? quos una cum aquis natos liquet ex *Ps.* 104. 6--9.

(21) *35. Theorema.*

*Accretio aquarum in diluvio duravit 150 diebus.*

*Demonstratio.*

Hoc manifestum est ex sacra scriptura (4. *Postul.*) nam diluvium cœpit die decimo septimo

ptimo menſis ſecundi *Gen.* 7. 11. & duravit uſque ad diem decimum ſeptimum menſis ſeptimi *Gen.* 8. 4. atque adeo in totum quinque menſes, id eſt, cum ſinguli menſes contineant 30 dies, 150 dies. *Gen.* 7. 24; & 8. 3. Q. E. D.

*Scholion.*

Vidimus 9 *Probl.* aquam ex imbre 40 dierum naturalium 192 cubitis tellurem operuiſſe. Et huic aquæ aquam ex abyſſo magna acceſſiſſe 25 *Theor.* Jam videbimus, quomodo utraque aqua vel aquæ ſupra montes altiſſimos elevatæ fuerint, præſertim cum plures quam 4 oceani requirantur ad implendam capacitatem planitie telluris univerſæ, & 15 cubitis ſupra altiſſimos montes comprehenſam. 1. 2. *Coroll.* 8. *Probl.*

*36. Theorema.*

*Quatuor aquarum accretionis gradus fuerunt.*

*Demonſtratio.*

Hæc demonſtratio perſpicua eſt ex (4. *Poſtul.*) Divina ſcriptura : nam *primus* gradus habetur *Gen.* 7. 17. quo arca רָמָה *elevata eſt* ſupra terram. *Secundus.* v. 18. quo aquæ invaleſcentes מְאֹד *vehementer* auctæ ſunt. *Tertius* v. 19. quo aquæ מְאֹד מְאֹד *vehementiſſime* invaleſcentes montes altiſſimos operuerunt. Et *quartus* v. 20. quo aquæ 15 cubitis ſupra altiſſimos montes invaluerunt. Q. E. D.

1. *Scho-*

1. *Scholion.*

Sunt, qui putant, tres duntaxat esse gradus, judicantes quartum pertinere ad secundum, ita ut aquæ secundo gradu 15 cubitis accrevissent. Verum hoc si ita esset, quartus gradus immediate, non mediante tertio secundum excepisset. Præterea accentus: *silluc*, nota puncti., tam tertium & quartum gradum interjacet, quam secundum & tertium; nec non primum & secundum. Tandem ne de gloria quicquam divina derogemus, opera, Dei haud nimis magnifica statuere licet, modo ne revelationi divinæ, rationi, & veræ experientiæ repugnent. Atqui non repugnat revelationi Divinæ, aquas 15 cubitis supra altissimos montes elevatas fuisse. Nam extat v. 20. Sursum invaluerunt aquæ, וַיְכַסּוּ *cum* vel postquam *operti fuerunt* montes illi. Hoc enim sensu locis plurimis sumitur ו *vau*, ut *Gen.* 2. 2., וַיְכַל *cum* vel postquam (autem) *perfeciſſet* Deus. *Gen.* 16. 4. וַתֵּרֶא *cum* vel postquam *vidiſſet* &c.

2. *Scholion.*

At illi Viri quartum gradum ad secundum mihi retulisse videntur, adeoque statuisse, montes altissimos solummodo aquis opertos fuisse, & non 15 cubitis supra eos elevatas, ne difficultate premerentur ostendendi, quo pacto aquarum quantitas, quæ in tellure reperientur, tanto spatio implendo sufficeret.

3. *Scholion.*

Quod attinet ad altissimos montes: Europa, Asia, Africa, & America, plurimos montes diversæ magnitudinis habent, quorum *Pica* in insula *Teneriffa* altissimus nimirum milliare Germanicum altus habetur. Sed montium Ararat altitudo unius milliaris Gallici, teste *Mersenno*, reperitur.

(22) *Corollarium.*

E suprapositis igitur promanat, aquas universam tellurem vel 15 cubitis supra altissimos montes operuisse.

37. *Theorema.*

*Aquæ universam tellurem 15 cubitis supra altissimos montes operuerunt per miraculum.*

*Demonstratio.*

Cum plures quam 4 oceani requirantur ad implendam capacitatem planitie telluris universæ, & 15 cubitis supra montes altissimos comprehensam (8 *Probl.* 1. 2. *Coroll.*) ideo multo minus potest unus oceanus supradictam capacitatem replere, ut per se manifestum est (3 *Postul.*) Igitur ut ista capacitas aquis repleatur, ipsæ ex imbre natæ (9 *Probl.*) & ex oceano superiori maribusque particularibus surrsum elevatæ (33 *Theor.*) supra universam te lurem versus omnes montes, & quidem 15 cubitis supra altissimos determinentur necesse est. Quod quia rationi consentaneum est

(4 *As-*

(4 *Assumpt.*) per omnipotentem Dei voluntatem solam adeoque per miraculum fieri posse, colligi oportet, aquas universam tellurem 15 cubitis supra altissimos montes operuisse per miraculum. Q. E. D.

1 *Scholion.*

Hoc autem miraculum mihi factum videtur præter secundam legem particularem (12 *Theor. Diss. n.*) nam aqua gravis est (*Scholion.* 8 *Theor.*) & tamen heic sursum fertur. Vide 30 *Theorema*: 5 *Argumentum. Diss. n.*

2 *Scholion.*

Nam quidni Deus per miraculum hasce aquas præcise circa & supra omnes montes determinasset, ac aquas maris rubri Israelitis per illud transeuntibus in similitudinem muri coegerit *Exod.* 14: 22 ? vel ac aquas Jordanis consistentes in acervum consurgere fecerit, *Jos* 3: 16 ?

1. *Corollarium.*

In hoc igitur diluvii miraculo tantum facta est determinatio aquarum circa & supra montes omnes etiam altissimos.

2. *Corollarium.*

Hinc sequitur unum oceanum plus satis fuisse ad universam tellurem vel 15 cubitis supra altissimos montes contegendam. Et quidni unus oceanus pluribus telluribus hoc modo inundandis sufficisset?

3. *Scholion.*

Huc, huc, inquam, athees, & hoc mira-

culum, ut & duo priora 22. & 32. Theor. proposita, diligenter cum animo tuo volve, & desine in posterum verum Deum miraculorum authorem in dubium revocare; & de sacræ scripturæ Divina authoritate dubitare.

*4. Scholion.*

Consului quendam eruditum Judæum in civitate nostra de magnitudine cubitorum quosnam in dimetienda altitudine supra dictarum aquarum intelligendos existimaret. Is mihi asseruit ex Judæorum eruditissimorum sententia quamlibet palmam esse spatium ab extensi transversim pollicis extremitate ad exteriorem palmæ manus protensum, adeoque plus minus dimidium pedem adæquare, cujusmodi sex palmæ (vide 1. *Probl.*) vel 3. pedes conficerent cubitum quemlibet hic intelligendum.

*5. Scholion.*

Considerans vero opera Divina haud nimis magnifica statui licere, (1. *Schol. 36. Theor.*;) & supraposita ratione facile demonstrari posse, quomodo 15. hujusmodi cubitis supra altissimos montes universam tellurem operire potuerint aquæ, nulla mihi suppetit difficultas hujusmodi cubitos in hac aquarum altitudine determinanda intelligendi.

(23) 38. *Theorema.*

*Aer loca in abysso magna ab aquis derelicta occupavit.*

De-

*Demonſtratio,*

Cum in omni motu integer circulus corporum moveatur (13. *Aſſumpt.*;) aquæ ex abyſſo affluxerint (29 *Theor.*;) & hæ affluentes aquas e maribus ſurſum adeoq; in aerem contiguum elevarint (33 *Theor.*:) adeo palam eſt aerem loca ab aquis in abyſſo magna derelicta occupaſſe. Q.E.D.

(24) 39. *Theorema.*

*Omnis caro expiravit.*

*Demonſtratio.*

Quoniam aquæ vel 15. cubitis ſupra altiſſimos montes univerſam tellurem operuerunt (37 *Theor.*) ideo neceſſe fuit, ut omnis caro viva vel vitam animalem habens expirarit, *Gen.* 7: 21. 22. 23. Q.E.D.

*Scholion.*

Hinc מַבּוּל *diluvium* à rad. נָבֵל *marceſcere* derivatur: quod proprie quidem de plantis dicitur, ſed metaphorice quoque de omni carne viva, quæ cum expiravit inſtar plantarum marceſcere & corrumpi deprehenditur.

(25) 39. *Theorema.*

*Ventus è naturali cauſa obortus eſt.*

*Demonſtratio.*

Quia rationi conſentaneum eſt (4 *Aſſumpt.*) ventum à naturali cauſa proficiſci poſſe, ideo mihi ſtatuendum videtur, Deum ventum tranſire ſuper terram feciſſe *Gen.* 8: 1. non per miraculum, ſed hunc ventum, è natura-

turali causa obortum fuisse. (Conf. 2 *Schol* 24 *Theor.*) Q. E. D.

*Corollarium.*

Ergo Deus res naturales ita præordinavit, ut tum præcise temporis ventus è causa naturali oriretur.

40. *Theorema.*

*Per ventum & aerem prementem aquæ quieverunt.*

*Explic.* Ventus est aer versus aliquam lineam motus.

*Demonstratio.*

Quia non datur penetratio dimensionum (11 *Assumpt.*,) ideo ventus obortus (39 *Theor.*,) & aer premens (14 *Assumpt.*) non in aquas elevatas & 15. cubitis supra altissimos montes circa universam tellurem determinatas (37. *Theor.*) ingressi sunt, sed eas deorsum versus abyssum magnam pepulerunt: unde aquæ וַיָּשֹׁכּוּ *& quieverunt*, *Gen.* 8: 1. Q. E. D.

*Scholion.*

Etenim quamvis vox שָׁכַךְ etiam *subsedit*, *recessit* significat, tamen eam significationem hoc loco locum non habere credo, propterea quod tandem *Gen.* 8: 3. de aquarum *recessu* habetur sermo. Ergo vox illa hoc loco mihi *quiescere* significare videtur: nam prius quieverunt aquæ quam recesserunt: similiter ac in æstu maris aquarum refluxum sequi quietem experimur.

(26) 41. *Theorema.*

*A vento & aere premente obſtructi ſunt fontes abyſſi.*

*Demonſtratio.*

Quoniam aquæ ex abyſſo affluentes ejus fontes ruperunt & ampliarunt (29 *Theor.*;) & per ventum & aerem prementem aquæ quieverunt. (40 *Theor.*: ) ideo manifeſtum eſt, easdem aquas à vento & aere premente fuiſſe ſuppreſſas ita, ut amplius affluere deſiverint. Hæc aquarum ſuppreſſio mihi illa fontum obſtructio eſſe videtur, quam legimus *Gen.* 8: 2. וַיִּסָּכְרוּ *& obſtructi ſunt* fontes. Q.E.D.

*Scholion,*

Si namque fontes ipſi verè fuiſſent obſtructi, aquæ per eos in abyſſum refluere non potuiſſent.

(27) 42. *Theorema.*

*A miraculi ceſſatione cataractæ cœli ſunt obſtructi.*

*Demonſtratio.*

Quoniam imber à Deo per miraculum factus eſt (22 *Theor.*,) ideo hoc miraculo ceſſante, ipſum imbrem ceſſaſſe per ſe manifeſtum eſt (3 *Poſtul.*). Hæc autem imbris ceſſatio mihi illa cataractarum cœli obſtructio fuiſſe videtur, quam etiam ibidem *Gen.* 8: 2. legimus: *& obſtructæ ſunt cataractæ cœli.* Q.E.D.

*Corollarium.*

Hinc ſequitur modus, quo *imber de cœlo co-*

*hibitus* fuerit, ibidem etiam *Gen.*8: 2. videlicet, obstructione cataractarum cœli.

(28) 43. *Theorema.*

*Aquæ per ventum & aerem prementem recesserunt in abyssum.*

Quoniam per ventum & aerem prementem aquæ quieverunt (40 *Theor.*; ) & aquæ teste sacra scriptura (4 *Postul.*) *Gen.* 8: 3. *recesserunt* aut *redierunt*: ideo rationi consentaneum est (4 *Assumpt.*,) eundem ventum ac aeris pressionem continuasse, & per eadem aquas in abyssum recessisse. Q.E.D.

44. *Theorema.*

*Aquæ in abyssum recedendo, aerem inde dispulerunt.*

*Demonstratio.*

Vidimus 38 *Theor.* aerem loca in abysso ab aquis derelicta occupasse. At quoniam aquæ in abyssum recesserunt (43 *Theor.*,) aerem, quippe qui minus restitit, quam aqua impulit, (*Schol.*8 *Theor.*,) inde rursus dispulisse foras debuerunt. Q.E.D.

(29) 45. *Theorema.*

*Aquæ initio celerrime in abyssum recesserunt.*

*Demon-*

*Demonſtratio.*

Aquas initio celerrime in abyſſum receſſiſſe, ex (4 *Poſtul.*) *Gen.* 8: 3. 4. manifeſtum eſt: ſiquidem ibi videre eſt, eodem ultimo die 150. dierum, quo diluvium deſiit, arcam reſediſſe ſuper montes Ararat. Ergo hoc uno die deſcenderunt aquæ a 15 cubitis ſupra altiſſimos montes, ad quam altitudinem aquæ fuerunt elevatæ (37 *Theor.*,) usque ad 22 cubitos ſupra montes Ararat, quibus arca inferiori ſua parte in aquam ſubſedit, *Coroll. 18. Theor.* Unde conſtat aquas initio celerrime in abyſſum receſſiſſe. Hujus autem rei ratio eſt, quod aer initio rarus aquis in abyſſum recedentibus non multum reſiſtere potuit.

*Scholion.*

Hunc autem celerrimum aquarum in abyſſum receſſum Divina ſcriptura indicare videtur, cum *Gen.* 8: 3. הָלוֹךְ וְשׁוֹב *eundo & redeundo*, duo verba ejusdem hoc loco ſignificationis (etenim notant motum aquarum eundem verſus eadem loca priſtina) adhibet: magis quod horum poſterius וַיָּשֻׁבוּ & *redierunt* aquæ de terra, etiam initio hujus verſus habetur.

*Corollarium.*

Hinc ſequitur aquas neceſſario imminutas fuiſſe, *Gen.* 8: 3. וַיֶּחְסְרוּ & *imminutæ ſunt* aquæ: etenim cum verbum חָסַר de rebus uſurpatur, ſignificat *imminuit.*

(30)

(30) 46. *Theorema.*

*Terræ superficies 163. diebus siccata fuit.*

*Demonstratio.*

Ab initio recessus aquarum id est, à die decimo septimo septimi mensis *Gen.* 8: 4. usque ad primum diem anni sequentis *Gen.* 8: 13. quo die aquæ siccatæ fuerunt, transacti sunt 5. menses & 13. dies, vel 163. dies. Unde patet, terræ superficiem 163. diebus fuisse siccatam. Q. E. D.

*Corollarium.*

Hinc fluit, aquas non tam celeriter, ut initio, in abyssum recessisse, sed perquam tarde, & lento refluxu, nimirum, quandoquidem nunc aer in abysso reliquis ab aquis in eam redeuntibus fuit condensatus, unde iis nunc vehementius restitit, & ob hoc ipsum tam cito dispelli non potuit. Conf. 44. & 45.

*Theor.*

III.

# CASPARIS MAURITII, (a)

## S. T. D, & verbi divini Miniſtri

## In eccleſia *Hamburgenſi*

# De CONFESSIONE & ABSOLUTIONE PRIVATA

## *THESES*

UT ſequentia accurate examinanda proponerem, effecere graviſſimi Angores Conſcientiæ, quos ut notum eſt ſingulari Dei beneficio ſuſtinui, cum me Satanas ob peccata in

(a) Fuit ille primum Conrector Scholae Bordesholmenſis in Cimbria, deinde Logicae & poſtea Theologiae Profeſſor, & Superintendens Roſtochienſis. Ab anno 1662. Hamburgi in aede *D.* Jacobi Evangelium docuit ad annum usque 1675. in quo die XIV. Apr. aetatis ſexageſimo diem ſuum obiit. Paucis ante mortem menſibus has theſes transmiſit Gregorio MICHAELIS, Generali Superintendenti Comitatus Oldenburgenſis, cujus in *Gaffarelli curioſitates inauditas* notae exſtant. Erat autem hic affinis Mauritii, qui ejus ſororem *Catharinam*, Chriſtiani *Michaelis*, Superintendentis & ſacerdotis in aede D. Iacobi Roſtochienſi, filiam in matrimonio habuit. Exem-

in officio commissa, & profanationem nomini divinis glorioſi & tremendi, adoriretur, eaque in immenſum exaggeraret, ut de ſolatio valde ſollicitus eſſem. Nullum a tentatis Solatium idoneum ſupereſt, niſi ex verbo Dei depromptum. Hic eſt gladius Spiritus, quotandem funiculus tentationum, Dei gratia diſſecari, & ſolvi Satanæ nodi atque rumpi poſſunt. Sic *Aſperitas tentationis fit origo Luminis.* Itaque conſultum duxi & neceſſarium, pro gloria Dei & liberanda conſcientia mea de *Abſolutione Sacerdotali*, hodie apud nos uſitata ſequentia ſubjicere. Quæ ut ab animo vacuo amarulentia & perturbatione, faſtu & malevolentia, odio & invidia, omnique maligno affectu, cujus cauſas procul habeo, ſolo ſtudio, leniter & modeſte, ex pio affectu verum ſcrutandi, proficiſcuntur: ita eadem ſinceritate ut accipiantur, & ſine omni acriori contentione, a qua Eccleſia abhorret 1. Cor. 11, 16. firmis argumentis, non impetu, ſed Chriſtiana modeſtia res tractetur, amicè contendo. Sic enim in rebus inveteratis, quæ ſubito revelli non poſſunt, fieri par & æquum eſt.

§. 1.

plar, quod forte fortunâ in manus incidit meas, fideliter ex autographo deſcriptum fuit. Quamquam plurima ſint ad manus, quae ad haec confirmanda vel illuſtranda poſſent afferri, conſulto tamen nihil volui mutare, nihil addere, totum hoc ſcriptum cordatioribus Theologis ſerio expendendum relinquens. T. d. H.

§. 1. Non agam fusius de Clavibus Ecclesiæ commissis, hæc enim res in nostris Ecclesiis nullam habet controversiam. In Ecclesia Corinthiaca Paulum communicaturis injunxisse, ut se probarent ipsi, manifestum est. Nihil in omnibus Epistolis Apostolicis de privata reperitur absolutione. In Ecclesia Corinthiaca potestas clavium exercebatur, non ab uno, sed ὑπὸ τῶν πλειόνων à pluribus delectis, ut manifestum est ex 2. Cor. 2, 6. sq. Cf. 1. Cor. 5. 11. 13. c. 7. 9. Nimirum si quis graviter deliquisset, & postea resipuisset, clavem absolutionis non unus, neque soli Sacerdotes, sed iis adjuncti Seniores expediebant, de quibus agit Paulus 1. Tim. 4, 14. 17. quos alibi vocat προισταμένους, προεστώτας, κυβερνήσεις. *Regentes Censores* & Ecclesiæ *Præsides*, Rom. 12, 7. 8. 1. Cor. 12, 28. 1. Tim. 5, 17. v. Act. 15, 6. 23. ubi habes Apostolos Seniores & Fratres, & c. 20, 17. 28. ubi in una Ecclesia plures habes Episcopos, nempe Episcopum ejusque Collegas, in Regimine Ecclesiastico ex ministris verbi & Laicis electos. Cf. Phil. 5, 17. 2. Thess. 3, 14.

§. 2. Sec. II. Seniorum mentionem facit Tertullianus cujus in Apol., c. 39. hæc sunt verba: *Coimus in Cœtum & Congregationem* &c. *disciplinam præceptorum inculcationibus densamus, ibidem etiam exhortationes castigationes & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de conspectu Dei, summumque futuri judi-*

*judicii tempus judicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione Orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Hæc Tertull. qui de Pœnit. c. 9. *Sub pœnitentia positos, presbyteris advolvi charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationes suæ injungere ipsum pœnitente, cum se ad genua fratrum protendit Christum contrectare* scribit. Quæ ut melius intelligantur, eos, qui in scelus prolapsi spiritualibus vinculis ligati erant, certo disciplinæ ordine fuisse subjectos. Concil. Ancyr. Sec. IV. habitum c. 4. Lapsos inter audientes, uno anno constitui, succumbere v. tribus annis, & in oratione communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire, h. e. ad communionem admitti debere decrevit. Nempe distincti erant gradus pœnitentium. Alii erant lugentes qui cum luctu extra Ecclesiam & cum lacrymis stabant; Alii audientes qui intra porticum templi stantes, lectioni Prophetarum & Apostolorum interesse poterant; Alii substrati qui intra templi septa post suggestum inter Catechumenos stabant, & cum Catechumenis dimittebantur ante Liturgiam: Alii subsistentes qui intererant Liturgiæ, sed nondum communicabant, alii qui expleto pœnitentiæ suæ tempore admittebantur ad S. Synaxin v. Supplem. Chamieri L. 5. c. 3. n. 8.

§. 3. Sec. III. vixit Origenes, qui Seniores vocat βυλὴν & βυλευτὰς ἐκκλησίας Senatum sive Senatores Ecclesiæ Dei Lib. 3, c. Celsum, simulque eorum officium describit. *Eos*, inquit, *qui recte vivere volunt introducunt, privatim eorum qui nuper cœperunt & admissi sunt, nec adhuc Symbolum, quod ipsos purgatos designet sumserunt, agmen instruunt. Aliud vero eorum, qui se pro virili præparant, nec aliud quidquam, quod Christianis placeat volunt, à quibus quidam constituti sunt, qui de accedentium vita & moribus inquirunt, ut eos qui vetita admittunt, à communi conventu arceant.* Eodem Sec. floruit Cyprianus, qui Epist. 6. scribit. *A primordio Episcopatus mei statui, nil sine consilio vestro, & sine consensu plebis mea privata sententia gerere*, Id. Epist. 9. *pœnitentes justo tempore, & secundum disciplinae exomologesin venire, & per manus impositionem Episcopi & Cleri Jus communicationis accipere* docet. Et Epist. 10. reprehendit eos qui contra Evangelii Legem, ante actam pœnitentiam ante exomologesin sive confessionem publicam gravissimi & extremi delicti factam, ante manuum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositionem, offerunt lapsis pacem & Eucharistiam dant. Ne quis autem putet semper fuisse requisitam præsentiam Episcopi & Cleri, notanda sunt verba Cypr. Epist. 12. ubi agit de moribundis, qui tempus pœnitentiæ destinatum implere volentes non poterant, morte præventi. *Si presbyter repertus non fuerit, &*

*urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque delicti sui exomologesin ponunt, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum Pace.* Ep. 27. Omnem actum Ecclesiæ per Præpositos gubernari scribit, Et Ep. 28. dicit. *Negotia Ecclesiæ tractanda esse, & limandam plenius rationem non tantum cum Collegis, sed & cum plebe universa, expensa enim moderatione libranda & pronuntianda res est, quæ in posterum circa Ministros Ecclesiæ constituat Exemplum*; Et Ep. 55. provocat ad Ecclesiæ Catholicæ dignitatem & plebis intus positæ fidelem & incorruptam Majestatem & Sacerdotalem quoque auctoritatem & potestatem. *Nihil in tribus prioribus Seculis legimus de privata absolutione.* Nemo fuit qui confidentes privatim & promiscuè absolveret. Nemo dixit, Ego te absolvo. In Cypriani Epistolis est una Firmiliani Episcopi Cæsariensis in Cappadocia cujus, verba lectu digna, *non quasi à nobis* inquit, *remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur.* Nempe illi, qui publicis Censuris propter gravia delicta erant ligati, ab iis qui ligaverant, expleto pœnitentiæ tempore solvebantur, & ad Eucharistiæ participationem admittebantur conversi.

§. 4. Hactenus de Ecclesia sub Magistratibus Ethnicis. Alia rerum facies sub Magistratibus Christianis, cessante persecutione, eaque, ut fit, deterior. Seniores paulatim

ex

ex Laicis sublatos, queritur Ambrosius sive is sit Hilar. Diaconus in locum Pauli 1. Tim. 5. 14. 17. Verba ejus sunt. *Et Synagoga & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine Consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod, qua negligentia obsoleverit, nescio forte Doctorum desidia, aut magis Superbia, dum soli aliquid volunt videri.* Eodem Matth. XVIII: 17. Sec. quo vixit Ambros. nempe IV. Floruit etiam Hieron. cujus verba in locum, *Die Ecclesiæ*, sic sonant. *Istum locum Presbyteri, & Episcopi intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt Supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur. Legimus etiam Levit. de Leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus quomodo Leprosus ibi immundus vel mundus fit, sic ligat vel solvit Episcopus vel Presbyter.* Hic juvat audire verba Ecclesiasticæ ordinationis Hamburgensis, dieweil man spüret ein busfertiges Hertz/ den Glauben an Christum und einen guten Vorsatz / daß sie sich nach Gotts Wort wollen bessern / und Christlich leben / haben auch den rechten Verstand vom Heil. Abendmahl soll man sie absolviren. Nempe qui tali proposito & vita ostendunt se pœnitentes, absolvendi sunt.

§. 5. Sec. IV. & V. vixit Chrysostomus cujus verba allegantur in Aug. Conf. p. 27. 28. *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo, Prophetæ dicenti; Revela ante Dominum viam tuam, Et tua confitere peccata apud Deum verum Judicem*

*cum oratione, delicta tua pronuntia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.* Additur in A. C. Glossam de pœnitentia fateri, *Humani Juris esse Confessionem.* Idem Chrysostomus explicans verba Christi dic Ecclesiæ interpretatur, τοῦτ' ἐστι τοῖς προσεδρεύουσι h. e. Assessoribus Concilii. Quamquam Euthymius & Trapezontius προσεδρεύουσι s. præsidentibus dicendum esse censuerint. Quomodo ergo Theophylactus de προσέδροις τῆς ἐκκλησίας h. e. de Ecclesiæ Præpositis, verba Christi accipit; Hic notandum in Ecclesia Constantinopolitana *Pœnitentiarium* fuisse, qui tamen abrogatus postea est, ob causam quæ legitur apud Socrat. L. 8. H. E. c. 19. & Sozom. L. 7. 14. quorum uterque Sec. V. vixit: *Pænitentiarii*, qui tantum unus erat in Eccl. Constant. cujus alias erant Presbyt. 60. *munus erat audire Confessionem Criminum & peccatorum gravium, ad quae tum temporis erat adstricta Confessio.* Sed hæc Confessio una cum Pœnitentiariis in omnibus Ecclesiis Orientalibus obsolevit & contra in Latina Ecclesia sic crevit Confessio, ut omnibus Sacerdotibus potestas audiendi Confessiones daretur, sic tamen, ne Diœceses & Parochiæ confunderentur. Memorabile est in Ecclesia Constantinopolitana usitatum fuisse, ut in S. Synaxi Diaconi subinde clamarent, *Alii alios noscite.* Ein jeder habe acht auff seinen Nachbaren / h. e. in præsentes studiose inquirite, & si quem nostis Judaizantem, hæreticum, blasphe-

phemum fornicantem, implacabilem, notum facite. vide Chryſ. T. 1. Pariſ. p. 392. Cf. p. 248. 287. 473. Auguſt. qui Sec. V. floruit. Serm. 64. de Verbis Domini, ſic compellat communicaturos. *Cogitantes ergo gradus veſtros, & ſervantes profeſſionem veſtram, accedite ad Carnem & ſanguinem Domini. Qui ſe ſcit aliter eſſe, non accedat, compungimini magis Sermone meo, Quicunque impudici eſtis corrigite vos dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui poſſum, impudicos autem & in nequitia perſeverantes de Judicio Dei & damnatione liberare non poſſum.* Hinc apparet nullam tunc temporis fuiſſe privatam Confeſſionem & abſolutionem. Nullus eſt uſus clavis ſolventis, niſi præceſſerit ligans, Paulus primò ligat inceſtuoſum, poſtea ſolvit v. Matth. 16. 19. 18. ubi ſolventem præcedit clavis ligans. Qui non ſunt ab Eccleſiæ clavibus ligati, ab Eccleſiæ cenſuris non ſolvuntur; Aſſonat totius Eccleſiæ primitivæ praxis. Cæterum quo pacto reconciliati ſint lapſi, & ligati ſoluti, docere nos poteſt Greg. I. Lib. 12. Ep. 32. *Peccatores precibus Sacerdotum Eccleſiæ Catholicæ reconciliantur;* Ubi duo notanda! peccatorem pœnitentem reconciliari Eccleſiæ, & hanc reconciliationem fieri Sacerdotum precibus, non *vero poteſtate judiciaria.*

§. 6. Fulgentio qui vixit Sec. VI. Hugo Menardus Benedictinus, qui edidit librum de Sacramentis Gregorii, hanc formulam tribuit. *Miſereatur tui omnipotens Deus, & donet*

*tibi veram indulgentiam de peccatis tuis, & ulciſcatur te de omnibus inimicis tuis inviſibilibus, donet tibi Deus conſilium in iſto Seculo & perducat Te feliciter ad Vitam æternam.*

§. 7. Veroſimile eſt etiam prioribus Sec. abſolutionem etiam verbis precativis expeditam fuiſſe, id quod manuum impoſitio uſitata probat, quid eſt impoſitio manuum, niſi Oratio ſuper hominē, inquit Auguſt. de unico bapt. L. 3. c. 30. Talis formula eſt illa quoque quam Menardus in libro quodam repertam eſſe dicit, quæ ſupra §. 6. citatur.

§. 8. Rabanus Maurus, qui vixit Sec. IX. Confeſſionis meminit, ſed ſpontaneæ L. 2. de Inſtit. Cler. c. 30. *Quorum peccata in publico ſunt, in publico debet eſſe pœnitentia, quorum peccata occulta & ſpontanea Confeſſione ſoli tamen Presbytero vel Epiſcopo ab eis fuerint revelata, eorum occulta debet eſſe pœnitentia ne infirmi in Eccleſia ſcandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant cauſas.* Vide Concil. hoc Sec. celebrata, Arelatenſe IV. c. 26. ut qui publico crimine convicti ſunt rei, publice judicentur & publicam pœnitentiam agant. Vide Concil. Wormat. can. 25. & Concil. Triburienſ. Sec. X. celebrati c. 55. ſqq. Praxin Sec. IX. deſcribunt Ordo Romanus & Alcuinus de divinis officiis Cap. de Jejun. Ubi id obſervatu dignum, non aliam fuiſſe abſolutionem, quam precativam. In Ordine Romano edito Pariſ. anno 1627. plures ejusmodi

pre-

precativæ formulæ recitantur. In Biblioth. Patrum habemus Officium Rom. quale usitatum erat tempore Caroli M. & Ludov. Pii, ubi formula non judiciaria sed precativa occurrit his verbis. *Deus dimittat tibi omnia peccata tua, & te liberet ab omni malo.*

§. 9. In Græca Ecclesia non sunt usi formula judicativa. *Ego te absolvo*, sed precativo, ut ex Euchologio Græcorum Paris. impresso 1647. & edito à Jac. *Goar*, Lectore Theol. patet. Neque Æthiopicæ Ecclesiæ utuntur alia formula Absolutionis, quàm precativa, ut liquet ex Hist. Æthiop. edita per Jesuitas Paris. 1628.

§. 10. Aliam formulam absolutionis Menardus memorat, quam dicit esse repertam, in sepulcro cujusdam Eliæ mortui a. 1071. in Gallia *Dominus Deus omnipotens, qui potestatem dedit S. Apostolis suis ligandi & solvendi, ipse Te dignetur absolvere, frater Elia, à cunctis peccatis tuis, & quantum fragilitati meæ permittitur, sis absolutus ante faciem illius, qui vivit & regnat in Secula Seculorum.* Nempe hoc tempore Sec XII. mediæ cujusdam formulæ, quæ deprecativa & indicativa simul est, usus invaluit, ut testatur Joh. Morinus, Congreg. Orat. Domini J. C. Presbyter, Scriptor Pontificius, editis Exercitationibus biblicis celebris. Verba ejus Lib. 8. de Pœnitentia c. 10. notabilia sunt. Nihil animadvertes quam deprecativũ, sive reconciliationem publicam spectes sive privatam & occul-

cultam, sive sanis præstitam, sive infirmis & moribundis, animamque exhalaturis. Cum autem quotquot sunt libri rituales, Sacramentaria, Pontificalia, Pœnitentialia, ante annum 1700. scripta, nullas alias formulas quam deprecativas nobis exhibent, dici posse nullo modo videtur, alias in praxi fuisse.

§. 11. Petrus Lombardus Episc. Parisiens. qui vixit Sec. XII. & prolixe de Pœntentia scripsit, nihil habet de absolutione in forma judicativa, Ego te, absolvo, & verbis Hieron. de Sacerd. Levit. super §. 4. allegatis rem totam illustrat. Idem sentiunt Alex. Alensis, Bonavent. Biel, Occam, aliique, quos magno numero citat Vasques in 3. Parte Thom. Q. 84. art. 13. p. 11. qui negarunt Sacerdotes esse Judices, Gratianus Dist. I. Lib. de Pœnit. sic scribit. *Non ergo in Confessione peccatorum remittitur quod jam remissum esse probatur. Fit itaque Confessio ad ostensionem pœnitentiæ non ad impetrationem veniæ. Et sicut Circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam Justificationis, sic Confessio Sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.* Modo dicebamus de forma absolutionis judicativa; Talis est illa formula, quæ legitur in Libro cui Tit. Status & ritus Ecclesiæ Græcæ, Græcè descripti à Christ. Angelo Græco, Latinè autem versi à Georg. Felahvio p. 37. *Ex ea potestate quam Christus Apostolis suis concessit dicens. Quæcunque solveritis in terra & in cœlis soluta erunt,*

&

*& quam ab Apostolis Episcopi acceperunt, quam ego ab Episcopis nactus sum auctoritatem, absolveris, & criminum reus pronunciaris à Patre filio & Spiritu S. & inter justos cernes sortem & hæreditatem tuam.* Posthæc imposita in confitentis caput manu, consuetam aliquam precationem recitat; Consistens vel humi vel alio aliquo in templo loco, nummis aliquot ut Sacerdos se. pro ipso preces fundat, relictis, abit. Sic via sensim munita ad Indulgentias papales, quarum Simulacrum (einen Schein der Ablaß-krämerey) apud nos remansisse nonnulli ægre ferunt. Et hoc nomine telis linguarum expositum esse Ministerium diffiteri non possumus. Cæterum perinde esse videtur, si quis nummum illum (Beichtpfenning) in loco Confessionis accipiat, sive domi suæ. Utrobique enim respectum obtinet ad communicatam absolutionem, si dantis intentionem consideremus.

§. 12. Tandem Sec. XIII. in Concil. Lateranensi A. 1215. celebrato, potestas Ministrorum judicativa Christiano orbi obtrusa & cum multi contradicerent, Formula judicativa in Concil. Trident. confirmata est, exclusis formulis precativis, veteri Ecclesiæ, ut ipsi testantur Papistæ, quorum verba modo allegabamus, unicè usitatis; Sic habent verba Conc. Trid. Sess. XIV. c. 6. p. m. in Caranza Sum. Concil. 730. *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio tamen non est solum*

*nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium vel remissa esse peccata declarandi.* (quod tamen Hurt. & Lombardus aliique numero plurimi dicunt) *sed ad instar actus judicialis quo ab ipso (Sacerdote) velut judice sententia pronunciatur*, Cf. c. 11. Ante hoc tribunal, tanquam reus sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam possint liberari. Et Can. IX. de Pœnit. in Caranza p. m. 737. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata, confitenti modo tantum credat se esse absolutum, Anathema sit.* Hinc in Concil. Later. c. 21. Sacerdotibus injungitur, *ut sint discreti & cauti, diligenter inquirentes & peccatoris circumstantias & peccati, per quas prudenter intelligant, quale confitenti consilium debeant exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum &c.* & in Concil. Trid. Sess. 14. c. 5. Ex his colligitur oportere pœnitentes omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt, iis quæ manifesto admittuntur. Colligitur præterea etiam, eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè

ex-

exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pænam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Quæ profecto enumeratio impoſſibilis eſt, & vera carnificina conſcientiarum, quicquid ogganniant Tridentini Can. 19.

§. 13. Operæ pretium eſt cognoſcere quis & qualis hoc tempore fuerit Papa R. Apotacticus & Apoſtaticus verius, quam Apoſtolicus, ut Genebrardus alicubi loquitur. Innocentius erat III. celebris infinitis calamitatibus, quibus obruit Germaniam, adverſus Philippum Imperatorem Bertholdum, Zaringiæ Ducem, & Ottonem Saxonem, denique Fridericum Siciliæ Regem accendendo, qua occaſione tantas corraſit divitias, ut recte Abbas Uſperg. exclamet; *Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, ut ad Te confluant rivi nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium; Jucundare ſuper adjutrice tua Diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod ſemper ſitiſti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam Religionem orbem viciſti.* Hæc ille. Idem Innocent. Regem Angliæ Johan. excommunicavit, quod intruſum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem recipere nollet, neque prius abſolvit, quam Rex perpetuo tributo promiſſo, ſe illius beneficiarium agnoſceret,

ſceret. Idem ille Crucem adverſus Albigenſes prædicari juſſit, ſed cum magna cruce ſignatorum militum copia coiret, centum eorum millia cæſa ſunt. In Concilio Lateranenſi, de quo dictum eſt Transſubſtantiationem ſtabilivit, & ſtatuit, ut Principes, qui in exterminandis hæreticis, quos ipſe hæreticos declaraſſet, negligentiores forent, excommunicati dominium in Vaſallos & ſubditos amitterent. Hoc Pontifice dominante, Dominicus inſtituit preces Roſarii ſive Pſalterium B. Virginis, in qua illa colitur, ſalutatione Angelica centies & quinquageſies repetita, & oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus vitæ J. C. compoſita. De obitu ejus & apparitione poſt mortem videatur Spondanus.

§. 14. Unum hic probe notandum, quod Spiritum Vertiginis, quo aguntur Papiſtæ, manifeſte arguit. Contendunt in abſolutione Sacerdotali utendum forma Judicativa, Ego te abſolvo, & tamen ipſi in ultimo Sacramento ſuæ extremæ unctionis, antiquam formulam precativam retinent, Remittat tibi Deus quicquid deliquiſti per oculos. Hic profecto, Judiciaria poteſtas obtineret, imprimis definitiva opus eſſet, pro efficaciori moribundorum ſolatio.

§. 15. Thom. Aquinas, qui hoc Sec. XIII. vixit in Opuſculo c. 2. objicienti, Magiſtrum Sententiarum (Lombardum) non poſuiſſe formu-

mulam judicativam, nec aliquem Sanctorum Legi, hac forma usum esse, respondet, quod nec Magister formam posuerit, nec legatur de alia forma, qua aliquis Sanctorum sit usus, nec legatur quod aliquis istam formam negaverit, legatur autem quod Christus dixerit. Quibuscunque remiseritis peccata &c. Sed alia forma, nempe precativa usos esse veteres, ipsis Papistarum Morini & Menardi verbis, jam evictum dedimus. Ad locum Joh. 20. quid attinet, non dicam, hoc postremum solis dictum videri Apostolis, qui immediatum Spiritus S. afflatum, de quo præcedit, acceperunt, & extraordinariè multa fecerunt, ut patet ex Act. 5. & 1. Cor. 5. &c. Luth. Tom. I. Jen. p. 509. In diesem Spruch ist nichts von der heimlichē Beicht. Quod si hic ageretur de privata absolutione, id sine dubio primitiva Ecclesia vidisset, & praxi sua corroborasset. Et quis credat hodiernos Simoniacos, qui per se, & per alios currunt, Spiritus S. afflatu gaudere. Interim posito hæc verba ad Confessionem, & absolutionem privatam applicari posse, manifestum est ea non posse separari à præcedentibus. Sic ut misit me Pater, ego mitto vos. Filium autem Pater misit, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, & verè pœnitentibus remitteret peccata Matth. 9: 13. nempe absolvendi, quos Spiritus S. in verbo jubet absolvere

vere, hoc est verè pœnitentes, Cf. August. verba §. 5. allegata. Quomodo apud Lucam c. 24: 47. ubi eadem, quæ à Johan. describitur apparitio enarratur, pœnitentia & remissio peccatorum conjunguntur, zu predigen Busse und Vergebung der Sünden. Commissio Apostolis & nobis data non est absoluta, sed limitata ad verè pœnitentes, quos vix alius, quã Deus novit. Hinc illa; Si credideris Rom. 10: 9. Si credis toto corde Act. 12: 37. Fatentur id Papistæ; quos inter Forerus Antiquit. Papat. contra Molin. Part. 3 pag. 688. provocat ad consuetudinem judicum hujus mundi, in quorum sententia semper ineſt conditio sive expressa sive tacita, quandoquidem omnis Judex vel absolvit, vel condemnat, secundum allegata & probata: Allegant dictum Cypriani Ep. 52. Si nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit, Deus qui non deridetur, & qui Cor hominis intuetur de hic quæ nos minus perspeximus, judicet, & Servorum sententiam Dominus emendet. Sed magna est sententia inter Judices hujus mundi, & inter ministros verbi, ut quivis videt. Cyprianum quod attinet notum est ejus tempore nullam fuisse in usu privatam absolutionem, sed publicam in qua non agebatur de remissione peccati coram Dei tribunali, sed de remissione pœnæ Ecclesiasticæ, per quam pœnitens impleto pœnitentiæ tempore, reconciliabatur Ecclesiæ. *Neque enim* ut Cyprianus ait,

*præ-*

*præjudicamus Domino judicaturo, quo minus si pœnitentiam plenam & justam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat quid à nobis hic fuerit statutum.* Interim nullus Apostolorum, nemo Apostolicorum virorum, nemo Presbyterorum & Episcoporum primis 12. Sec. post C. N. legitur hac usus formula, *Ego te absolvo.* Dicit l. c. Forerus una cum precativa formula, etiam fuisse adhibitam judicativam. Sed nihil probat.

§. 16. Retinuit quidem Lutherus, retinuimus nos formulam illam, sed non sensu Papistico, neque enim nos Judices sumus, neque Beichtstuhl/ Richterstuhl/ ut sunare videtur sicut aliæ voces Rahtsstuel/ Schöpffenstuel/ sed tantum ministri & dispensatores alieni beneficii; In nonnullis Ecclesiis nostratibus viget absolutio publica, salva Ecclesiarum pace. Idem enim Evangelium, & ejusdem efficaciæ est sive in genere multis, sive privatim vel uni vel paucis annuntietur, ut recte censet Chemnit. Exam. Conc. Trid. p. 373. Consentimus omnes potestatem clavium non esse datam ad exploranda peccata occulta, sed ad corrigenda manifesta, vide Apol. A. C. Retinuimus in absolutione impositionem manuum (cujus tamen in absolvendis pœnitentibus nullum in S. litteris exstat testimonium, nulla fit mentio, testibus Papistis præcipuis, Justiniano & Salmerone apud Chamierum Panstrat. Cathol. T. IV. c. 15. sub fin.)

sin.) ceremoniam Veteribus in benedictione & precibus usitatam. Man soll/ inquit Luth. in Catech. nur denen die Sünde vergeben/die in warhafftiger Busse die Sünde kennen/ und mit demüthigen glaubigen Hertzen durch Christum Gnade und Trost begehren wie der HErr Christus auff Erden gethan hat ꝛc. ubi notandum id quod extra omnem controversiam positum est, veritatem pœnitentiæ, non aliter agnosci, quam ex emendatione vitæ, wenn einer einen andern Sinn anleget/ und nicht in Sünden lebet wie vorhin/ Cf. Luth. T. 5. Jen. Germ. p. 217. sqq. ubi plusçula notatu digna occurrunt; Et hoc nos probemus & probe examinemus ipsi.

§. 17. Quo pacto in Ecclesiis Hamburgensibus vigore ordinationis Eccles. absolutio confessis peccata sua communicare debeat ex alleg. §. 4. Verbis constat. Quibus adde sqq. die Capellanen sollen Beicht hören / und in der Beicht auch nach gelegener Nothdurfft/Christlich und fleißig unterrichten / zum gottsfürchtigen Leben einen jeden in seiner Vocation ermahnen/ und fleißig fragen ob sie auch ihren Catechismum gelernet haben/ und ob sie in ihren Befehl gottfürchtig/ und rechtschaffen leben/ und nach Gottes Gebothen sich halten. An autem id hodie fiat, quod fieri jubet nostra ordinatio, vel fieri possit in tanta hominum, non dicam colluvie, sed multitudine & frequentia communicantium, ubi omnes & singuli à tribus

Col-

Collegis uno die Sabbathi explorari debent, ubi 300. & amplius nonnunquam 400. imo 500. (Feria I. Paschal. in æde Jacobi an. 74. fuere 500.) paucis horis absolvuntur, inter quos multi sæpe de facie ignoti, quorum vita non satis cognita est, expendendum conscientiis rectè formatis relinquo. Celeberrimus Sarcerius non nisi sedecim una vice potuit absolvere. Secundum Aug. Conf. absolvendæ sunt perterrefactæ conscientiæ die erschrockene Gewissen/quo tendunt verba Cantici.

Du solt glauben und nicht wancken/
Daß es sey eine Speise der Krancken/
Denen ihr Hertz von Sünden schwer/
Und für Angst ist betrübet sehr.

Solche grosse Gnad und Barmhertzigkeit/
Sucht ein Hertz in grosser Arbeit/
Ist dir wohl/so bleib davon/
Daß du nicht kriegest bösen Lohn.

Nempe Pastoris est, si quam ovem noverit ægrotam sive confractam, ut eam sanet, applicato privatim ministerio verbi, & Sacramentorum, ut loquitur Chemn. l. c. Neque enim absolutio in nuda declaratione & annunciatione remissionis peccatorum consistit; Neque sufficit si dicas. Ex verbis esse judicandos confitentes & absolventes. Hoc enim nec verbo Dei nec ordinationi Ecclesiasticæ consentaneum est. So man spüret/

inquit hæc, nicht ſo man ſagt. Non enim ex flore judicanda arbor ſed ex fructu; Non omnes qui dicunt Domine &c. Non ſi leproſus diceret ſe mundum eſſe, judicabitur ideo mundus, ſed ſi ſigna indubia apparerent. Unum hic locum Pauli conſiderandum propono 1. Tim. 6: 9. Notum eſt plerosque doctos & indoctos, hodie divitias anxie quærere idque cum detrimento proximi, & ſibi eo ipſo laqueos damnabiles induere, qui quomodo abſolvi à Sacerdote poſſint, ego non video. Summa. Opus operatum hic utramque facit paginam. Die meiſten gehen zum Nachtmahl aus Gewohnheit / ne videantur athei.

§. 18. Hic jam quæritur: an in hac ſenecta mundi, & veluti fæce, ubi amor mundi & nummorum, cum vitiis inde pullulantibus injuſtitia, immiſericordia, inſatiabilitate, item luxus, Atheiſmus Pſ. 10: 4. profanatio Sabbathi, contemtus verbi, φιλαυτια & amor ſui, ſtudium compotandi, animus irreconciliabilis, lubido temere & falſo jurandi, judicandi alios &c. in immenſum creverunt, ubi pauci ſe judicant & probant ipſi, ubi piis multi permixti refractarii, litium Satores & Sartores, ubi inſignis, inaudita, & prope inexpugnabilis regnat inſcitia nonnullorum, ſecundum veterem verſiculum.

Hanſellus quicquid teneris non diſcit in annis, Hans

Hans nunquam discet, semper ineptus erit.

ad omnes & singulos dici, salva conscientia, salva veritate verbi Dei, & ordinationis Ecclesiasticæ possit. Ego te absolvo. Neque est, quod quis dicat, ostende mihi amatores mundi irreconciliabiles &c. & eos non absolvam. Scripturæ enim clamanti plerosque incedere per latam viam, & piis atque vere pœnitentibus permixtos esse plurimos hypocritas, omnino fides habenda est. O du schmaler Weg des Creutzes/ Armuth / Niedrigkeit / Schmach/ Creutz und Todt/ wie bist du so wenig bekannt/ wie wenig sind/die dich finden/ da doch unser HErr Christus diesen Weg gangen ist in seine Herrlichkeit/uñ die gantze Welt gehet dagegen den breiten Weg des Reichthums/ der Wollust/ der Ehre und fällt in die Hölle hinein. Hæc sunt verba Joh. Arndii in libello precum, quæ nemo negabit esse vera.

§. 19. Ego de eo persuasus ex verbo Dei, ob hanc quoque causam vocationem Hamburgensem divinitus sine meo cursu & ambitu, quod notum est, oblatam amplexus sum. Sed & quotidie gravissima mea peccata absolutione confitentium promiscua, Rostochii commissa, gemitibus non fictis confiteor, quod minister Dei cum sim, Domini mei mandato jubentis vere pœnitentibus Luc. 24: 47. veniam annuntiari sæpe contravenerim.

Solum enim Deum cum sit καρδιογνώστης judicio veritatis dicere posse. Ego te absolvo, omnes mecum pii & Dei timentes fatebuntur. Ipsius causæ cognitio penes Jesum C. est qui etiam Judicium fert de homine, inquit Carpz. 868 Hoc certissimum est in primitiva Ecclesia 12. primorum seculorum neminem ausum fuisse ultra formulam precativam & optativam ascendere. Solum Deum remittere peccata omnes Veteres agnoscunt Iren. L. 5. c. 7. Cypr. de Lapsis §. 14. Clem. Alex. Pædag. c. 8. Hilar. Can. 8. Comment. in Mat. Ambros. Ep. 76. & L. 3. de Sp. S. c. 19. Chrys. Hom. 17. in Ep. ad Cor. August. Hom. 23. &c. Fuisset olim res inaudita si Episcopus vel Presbyter dixisset pœnitenti peccatori. Ego te absolvo. Primus Papa minister Satanæ, non erubuit insolenti formula judicativa, Dei regalia invadere, & ministris verbi onus importabile Matth. 23: 4. imponere, & quod in notoriis & gravibus peccatis toti Presbyterio sive Collegio & ex Pastoribus, & ex Senioribus populi constanti, secundum institutionem Apostolicam & praxin totius Ecclesiæ primitivæ competebat, id per ingentem stultitiam & confusionem soli ordini Ecclesiastico, & singulis parochis attribuere. Alle die Worte von Binden und Lössen/ Gesetz und Evang. dringen nicht weiter/ denn zum öffentlichen Binden und Lössen/ welches itzt der Bann heisset/ inquit Luth. Tom. I. Jen. p. 510.

§. 20.

§. 20. Ad quæstionem supra positam planum & apertum Dei verbum requiro, quod conscientiis satisfacere possit. Nam in acerrimo tentationum conflictu, nihil nos erigere potest præter Dei verbum, quod anxie & cupide quæritur, & tandem per Dei gratiam invenitur, ut docet experientia. Circumspiciamus ergo & videamus, quo Dei verbo subnixi, amatorum hujus Sec. absolutionem justificare & defendere queamus. Omnes quidem invitantur ad Epulas cœlestes, sed non omnes vocationi parent, & venientes non omnes Deo placent. Id quod ex Parab. Matth. 20. & Luc. 14. manifestum est. Multi contemtores, plurimi amatores hujus mundi, multi hypocritæ, qui non absolvuntur, sed ligantur divina sententia. Quibus qua veritate & conscientia dici potest. Ego te absolvo, non video. Quicquid hic dixeris, nisi verbum Dei clarum proposueris, semper clamabit tentatus intolerabilem & horrendam esse nominis Domini, tremendi & Sacrosancti prophanationem. Es fehlet ihnen an einem daß sie noch nicht wissen / wie schwer es sey für GOtt zu stehen ohne Gotts Wort. Scribit Philip. in controversia Sacrament. Nempe solvendi non sunt, quos Dei verbum ligat. Sumus enim Ministri verbi, secundum verbum agere tenemur, non contra verbum.

§. 21. Crediderim Principes & Status Imperii divinitus excitatos, cum Doctrinam à

fermento Papistico Dei beneficio repurgatam amplecterentur, de Ceremoniis non ita sollicitos fuisse. Neque forte consultum duxerunt in tanto adversariorum fremitu, qui post B. Lutheri obitum in apertum erupit bellum, ut nova Ceremoniarum mutatione, animi magis exacerbarentur, & sic studio Conciliationis, quæ subinde ipso Luthero vivente tentabatur, major animorum divulsio succederet. Joachimus Brandeb. Elector, qui Religionis erat Protestantium, à fœdere autem abstinebat, *plusculum retinuit ceremoniarum (Papisticarum) & offensionibus mederi studebat teste Sleidano L. 12. p. 335.* Notabilia sunt verba Protestantium in Responsione data legatis Cæsaris L. 12: p. 358. Ubi Concordiæ se esse cupidos dicunt, & siquidem Adversarii præcipua dogmata recipiant, de rebus mediis non admodum fore contentiosos demonstrant. Res medias vocant Ordinationem, Jurisdictionem, Vocationem &c. Maluissent quidem nostri à Ceremoniis Papisticis abstinere, puram enim doctrinam actio sincera comitari debet ut loquitur alicubi B. Luth. Sed cum id sine graviori offensione & turba fieri non posset, abstinuerunt consulto novis mutationibus Ceremoniarum, quas Religionis adjutrices & pediseequas vocat Francis. I. Rex Galliæ ap. Sleid. L. 9. Adde quod nollent esse nostri, verè pœnitentes & pii,

pii, deterioris conditionis, quam fuissent sub Papatu, & absolutionem desiderarent non in forma precativa, sed in forma usitata, ut certi redderentur confitentes de obtenta remissione peccatorum. Nam propter absolutionem retentam esse Confessionem, nemo in nostris Ecclesiis inficias ibit. Ego ut verè piis & pœnitentibus, absolutionem impertiendam esse, iisque salutari efficacia, & ingenti solatio annuntiationem veniæ Luc. 24. 47. applicari credo, sive id publicè fiat sive privatim, ita omnibus promiscuè qui formulam aliquam Confessionis pro more recepto & ex Consuetudine recitant, de quorum pœnitentia & fide vel nihil, vel non satis constat, communicandam esse absolutionem nego, & non ego tantum, verum etiam Aug. Conf. & Ordinatio nostra Eccles. cum Luth. v. §. 16. negant.

Quæres quo pacto piis consuli debeat, & anxiis conscientiis? Resp. Vere pii habent Spiritum S. inhabitantem, qui testimonium dat Spiritui nostro nos esse filios Dei Rom. 8. Atque per verbum publicè & privatim annunciatum Rom. 10. 9. Si credideris &c. Luc. 24. 47. Matth. 18, 19. item qui fœdus gratiæ nobiscum in baptismo initum ad quod semper patet regressus, secundum illa kehre wieder/ kehre wieder du abtrünnige ꝛc. Jer. 3. & sanguinem fœderis quem in Sacramento bibi-

mus, ad remissionem peccatorum obsignandam, nos certos reddit de gratia divina. Tres enim sunt qui testantur in terris, Spiritus per verbum, aqua baptismatis & sanguis N. T. 1. Joh. 5. Cæterum de gratiosa Spiritus S. inhabitatione nos certos reddit studium precum & novæ vitæ. Juvat hic legere verba Balduini L. 1. Cas. Consc. c. 12. §. ult. Qui Deum timet, verbum ejus amat, diligenter orat, proximo libenter inservit, damna ejus præcavet, à peccatis se custodit, & de Lege peccati in membris suis conqueritur, & quod non in omnibus perfecte mandata Dei observare potest, dolet, pro viribus Deo inservire nititur, & ut Deus suæ imbecillitati succurrat precatur, præterita peccata confitetur, & in nomine Jesu remissionem peccatorum petit, & se quotidie sanguine Christi per fidem purgat, is non habet cur de bona conscientia dubitet. Hæc enim omnia sunt opera Spiritus S. qui in animam malignam non ingreditur, nec habitat in corpore peccatis polluto Sap. 1, 4.

§. 22. Non ignoro B. Luth. valde prædicare utilitatem Confessionis & absolutionis privatæ, neque mihi ignota sunt verba Chemnitii. Ipse agnosco in verè pœnitentibus hæc locum habere, si ministro noti tales verè pœnitentes essent, & esse possent. Sed an omnibus in usitata forma absolutio

impertiri possit, & debeat de eo Quæstio est. Nota sunt verba Chrysost. Hom. 24. In Act. Apostolicis. Quot putatis in Civitate nostra esse qui serventur? molestum quidem est, quid dicturus sum, dicam tamen non in tot millibus centesimum inveniri qui servetur. Sed etiam de illis dubito &c. Luth. T. 7. p. 434. In seiner Vermahnung zum Gebeth schreibet/ daß der grosse GOtt Mammon durchaus regiere in allen Ständen / bey hohen und niedrigen gelahrten und ungelahrten. Quis hæc Plutonis mancipia absolvere potest?

§. 23. Hic quæritur, siquidem ritus ille Confessionum audiendarum, & explorationis privatæ omnium & singulorum in Ecclesia Hamburgensi populosissima & tanto concursu profitentium retineri, salva ordinatione Ecclesiastica, & bona Conscientia potest, annon satius sit uti formula absolutionis precativa, vel aliqua illarum, quæ supra recitatæ sunt, vel illa quam ipse Deus nobis commendat. Num. 17, 24-27. ubi notanda ultima verba daß ich die Kinder Israel segne / & niti promisso Christi Matth. 19, 19-20. Luc. 24, 47. Nullum enim dubium est, Christum in medio piorum cætu esse, adeoque ubicunque apud Pastorem pium anima pœnitens per Confessionem Deo placentem onus deponit, Christum ipsum præsentem absolvere, & pa-

cem veniamque & remissionem peccatorum omnium præconis verbis annunciatam applicare Spiritus Sancti testimonio, & in corde confirmare. Joh. 20, 19. 26. Sed quid si impius & hypocrita sit confitens? Dicendum hic valere quod Servator Discipulis inculcat, Matth. 10, 13. 14. & Luc. 10, 5- Wo ihr in ein Haus gehet/ wünschet den Einwohnern Friede/ so daselbst ein Kind des Friedens seyn wird/ so wird euer Friede auff ihn beruhen/ wo aber nicht / so wird sich euer Friede wieder zu euch wenden/ h. e. Es wird seyn als wenn ihr den Wunsch ihm nicht gegeben hättet. Inquiunt Jenenses.

§. 24. Nihil hic definio, sed omnia Ecclesiæ & rectè, sentientium judicio submitto.

Dominus nos dirigat in viam Pacis.

IV.

# *Johannis Caſparis* MERCKEN,

## V. D. M.

# COGITATIONUM ſacrarum ſpecimen.

## A.

*Chriſtus nunquam legitur ægrotaſſe.*

§. 1.

CHriſtus licet fratribus quoad omnia excepto peccato aſſimilatus ſit, & in ſpecie morbos noſtros ipſe in ſe ſuſcepiſſe ac tuliſſe dicatur haud tamen legimus eum ægrum fuiſſe, vel ullo unquam morbo laboraſſe &prout ſcriptura non prodit, ita veroſimile eſt factum non eſſe.

§. 2. Quæritur an Cauſa ſubſit? imo vero ſubeſſe putem & quidem non Unam.

1. Ne præſumtio eſſet aut vel leviſſima præſumptionis ſpecies locum habere poſſet eum ex aliqua in victu & potu intemperantia aut affectuum turbido motu eundem ſi-

bi

bi attraxisse, hæc enim præter aërem potissimæ morborum causæ physicæ ac naturales esse solent.

2. Morbus subinde morbidam indicat naturam ac temperiem, ex qua morbus ipse, ut spuma ex undoso mari generatur, quæ morbida natura emblema peccati originalis est, prout morbi ipsi emblemata peccatorum actualium existunt, Ut itaque testatum fieret, Christum neq; ex peccato originali neq; actuali participare neque labis aut reatus Adamici consortem esse, sanitas corporis sanitati ac integritati mentis testimonium perhibere debuit.

3. Potissima autem ratio in lege sacrificiorum latet, ex qua constat non tantum animalia impura sed & ægra vel quo demum cunque morbo aut vitio laborarent ab altari fuisse excluſa Num. XXII. vſ. 20. Deut. XV. vſ. 21. XVII. vſ. 1. Christus ut erat verum sacrificium omniumque sacrificiorum corpus, ita & ipse ab omnibus imperfectionibus tam physicis quam moralibus in conformitate typorum suorum debebat esse liber ac immunis, scilicet ut non tantum hoc in casu inter typum ac Antitypum similitudo intercederet, sed & ipse hostia Deo tam secundum legem ceremonialem quam moralem grata esset, ab omnibus quippe defectibus legalibus immunis.

§. 3. Quæ rationes, licet non apodicticæ

sint

sint, probabiles tamen sunt. Christū ex hypothesi nostra nunquam ægrotasse, neq; in genere morborum nobis assimilatum esse, nam sane si in eo nobis assimilatus esset, silentio supprimi non debuisset, sed conveniens fuisset ut quoddam ejus saltem exstitisset vestigium ex quo verosimiliter colligi potuisset, cum autem illud factum non sit. Evangelistarum silentium loco argumenti propemodum est, illud factum etiam non esse.

§. 4. Imò vero necessitas suberat, ut de hocce genere passionis informaremur, quia ejus notitia vel maxime pertinebat ad nos, siquidem omnes ejus passiones tam corporis quam animæ Relativæ sunt ad nos & quatenus Relativæ hinc & satisfactoriæ & quia satisfactoriæ hinc & meritoriæ: si autem hisce morbis ut corporis παθημασιν inest satisfactio & per consequens meritum, quomodo quæso absque notitia illud solatio cedere potest? & qua ratione absque informatione historica vel dogmatica fides de eo constare posset! jam autem ne apex quidem eatenus vel in libris historicis vel dogmaticis reperitur.

§. 5. Prævalida itaque conjectura est, Christum nunquam ægrotasse, licet morbos nostros in se suscepisset atque nobis in omnibus indigentiis, infirmitatibus ac παθημασι similis factus sit excepto peccato.

B. Chri-

*Christus nullo vitio corporis laboravit.*

§ 6. Eædem rationes etiam evincunt, Salvatorem nostrum nullo vitio corporis externo vel quoad sensus, vel quoad membra laborasse, sed corpus omnibus numeris perfectum possedisse; Perfectum autem corpus est quod quoad omnes partes essentiales & integrales machinam hancce constituentes integrum ac completum est; ita ut neq; supernumerarium, quid in eo abundet neque defectuosum quid ei adhæreat, neque ulla distorsio in eo conspiciatur, sed ut membra omnesque sensus absque ulla deformatione debito modo ac in debita forma & proportione inter se cohæreant.

§. 7. Hancce perfectionem prout Salvatori nostro tribuimus ob enumeratas in superiori observatione rationes quibus eum ανοσον fuisse probavimus, ita iisdem adhuc aliam rationem subjungimus à sacerdotibus typicis in V. Test. desumtam. Nimirum prout Lex immolandas absque ullo vitio volebat esse victimas, ita sacerdotes absque ullo defectu esse debebant. Synedrium enim certo loco ac tempore sedebat & judicabat de sacerdotibus, junioribus in sacerdotum collegium adoptandis, an perfectiones inesse debitas haberent atque lætum celebrabat diem cum non inveniretur labes in semine Aaronis sacerdotis, neque hæc synedrii observantia ex libero quodam placito erat, sed

ex

ex lege Dei, quæ eatenus præscriptionem fecerat. Hæc autem lex vel maxume propter Christum, æternitatis sacerdotem erat data, atque in spiritu mysterii præsignificabat illum futurum sacerdotem non tantum sanctum, inculpatum, intaminatum & à peccatoribus separatum quoad animam, sed & nullo vitio laboraturum, quoad corpus, sive eum fore vacuum ac immunem ab omnibus defectibus tam physicis quam moralibus, tam corporis, quam animæ, tam externis, quam internis.

§. 8. Hoc argumentum à sacerdotio desumtum adhuc magis stringit, si cogitemus eum simul Israelis Medicum fuisse, qui tot humanæ miseriæ spectacula, quæ Medicorum omnium erant scandala, miraculoso modo sanavit, jam autem inconveniens fuisset, si ipse insigni aliquo membrorum aut sensuum vitio laborasset, neque tamen se ipsum sed alios curasset; potuissent enim objicere, Medice cura te ipsum ipsique exprobrari; Aliorum medicus ipse Ulceribus scatet, imo vero sacerdotes ac scribæ professi ejus hostes nulla majori cum specie miracula, ipsius ut sensuum ludibria & diaboli energemata traducere potuissent, quam hoc modo.

§. 9. Adde quod secundus Adam erat, qui à nativis omnibus defectibus tam physicis, quam moralibus debebat esse liber ac immunis, nam cum primus Adam, quum primitus ex manibus Dei egrederetur, sanam mentem in cor-

corpore ſano ac incorrupto habebat, ita conveniens erat ut ſecundus Adam, qui omnia ea, quæ primus ſua transgreſſione deformaverat priſtinæ venuſtati iterum reſtituere debebat, ipſe non deformatus, ab utero eſſet, neque vitio aliquo naturali ac ſi Naturam novercam habuiſſet laboraret, & eo quidem magis, cum partus virgineus ex obumbratione Spir. ſancti conceptus eſſet, quem oportebat eſſe venuſtiſſimum ac formoſiſſimum: Et licet de Chriſti ſtatura ac forma nihil quicquam literis proditum ſit, veroſimile tamen eſt eum non tantum nullo membrorum vitio laboraſſe, ſed & ſtaturam maſculam ac formam Filio Dei dignam habuiſſe.

## C.

### *De varia UNCTIONE Chriſti, tum quæ facta eſt à Deo, tum quæ facta eſt ab hominibus.*

§. 10. Quod hebræorum Meſſias Græcorum Chriſtus ab Unctione pariter deſcendant, atque Unctum ſignificent omnibus, qui utramque linguam vel à limine ſalutarunt, notiſſimum eſt.

Ejusdem item evidentiæ Unctionis ratio eſt, quare Jeſus Unctus vocetur, ſcilicet propter munus ſuum Mediatorium cum à Patre ordinatus ac præordinatus eſt, ut ſit Prophetа Populi ſui ad illum docendum, ſacerdos ad illum

illum expiandum, atque Rex ad eundem Regendum & ab omnibus hostibus vindicandum sibique asserendum.

Id autem inter alia observari meretur, quod Unctio ejus non propria, sed metaphorica sit, spiritu quippe seu donis spiritus peracta quæ in scriptura Oleo & Unguento comparantur. Hæcce Unctio tres distinctas habet periodos.

§. 11. *Prima* Periodus in æternitate sive Consilio pacis quærenda est, atque Christi designationem sive Ordinationem ad munus Mediatorium indicat, quæ tanquam causa sine qua non salutis nostræ considerari potest, de qua ipse infit, Prov. VIII. v. 23. 23. *à sæculo Uncta* id est, præcognita ac præordinata *sum.*

*Secunda* periodus in tempore est, Partim in ejus conceptione ac nativitate, cum obumbrans Matrem spiritus partum donis suis simul implevit atque muneri suo obeundo sufficientibus instruxit, partim in baptismo quando per descendentem desuper Spiritum haut exiguum olei, hoc est, donorum ac virium accepit Auctarium. Hæc est illa Unctio de qua Es. XI. v. 2. LXI. v. 1. 2. coll. Luc. IV. v. 18.

*Tertia* periodus in ejus exaltatione est, cum post decertatam fortiter pugnam atque consummatum animæ laborem Sp. S. Unctus ejusque donis superfusus est. De qua Unctione Ps. XLV. v. 8. quæ oleo exultationis ob Amatam

Justitiam facta, eique cessit in laboris præmium. De qua etiam Ps. II. v. 6: & CXXXIII. v. 3. qua Unctione Deus Pater ipsum Christum ac Dominum fecit, h. e. declaravit Act. II. v. 36. X. v. 38. quo in actu Apostoli sustinuerunt partim Personam Christi, partim omnium fidelium Novi Testam. quod enim in aliquibus membris fiebat, censebatur ac si in Capite omnibusque membris factum fuisset, quamobrem etiam hocce oleum primo defluxit in Apostolos & per manum Apostolorum in alios, qui sua copia succurrerunt aliorum inopiæ. Huc præprimis respicit locus Cant. I. v. 3. & 12.

§. 12. Et hæc Unctio suas iterum habet Periodos.

*Prima* est in die *Pentecostes* cum per copiosam Spiritus Sancti effusionem, tanquam Rex Ecclesiæ suæ declararetur coram Judæis & Proselytis Act. II. v. 1. &c.

Secunda in die Conversionis Cornelii, cum in Gentes etiam spiritus dona descenderent atque coram gentibus demonstraretur quod esset Unctus Ecclesiæ Rex Act. X. v. 38.

*Tertia* Tempore Constantini Magni cum post decem gravissimas persecutiones exantlatas à Matre sua, h. e. Ecclesia ungeretur quo pertinet Cant. III. vs. 11. ubi mutata tantum phraseologia ejus Unctio coronatio vocatur, quæ duo sunt correlata atque æquivalentia, siquidem eo ipso quo coronatus etiam Unctus est.

*Quar-*

*Quarta* Temporibus ultimis, cum regno ignorantiæ, erroris, hæreſeos, ſuperſtitionis, Idololatriæ, vitiorum, & ut uno verbo dicam fraudulentiæ ac violentiæ everſo, omnes Univerſim Gentes cum Judæis ipſi nomen dabunt omnesque Reges gloriam ſuam in Eccleſiam inferent atque επινικειον Regni intonabitur ex Pſ. VIII. v. 10. & Apoc. XIX. verſ. 1. & ſqq.

Hæc eſt Unctio ejus metaphorica, qua partim declaratus eſt, partim adhuc declarabitur quod ſit Meſſias Unctus Rex Eccleſiæ ſuæ.

§. 13. Quo nomine Meſſias ſeu Chriſtus duplex myſterium continetur, tum myſterium noſtræ ſalutis tum myſterium ſacro, ſanctæ Trinitatis, ſiquidem illa nomina ſe referunt illinc quidem ad Ungentem Patrem, hinc ad Unctum filium atque ſimul ad Spiritum Sanctum, qui vicem olei præſtat, ut Baſilius ſcite obſervavit.

§. 14. Huic triplici Unctioni metaphoricæ à Patre factæ fortaſſis triplex reſpondet, quæ à matre, id eſt, Eccleſia peracta.

In hiſtoria Evangelica non legimus Chriſtum à viris Unctum, ſed à mulieribus. Verum quidem eſt, Joſephum & Nicodemum exanime Chriſti corpus aromatibus condidiſſe, ſed id non tam Unctio, quam pollinctura erat, quæ ſiccis peragebatur aromatibus, idque in corpore αψυχω. Mulieres autem pro-

ut Deus in Oeconomia salutis dignatus est, ut illis Mysterium Conceptionis ac Resurrectionis primo omnium manifestaret, ita easdem elegit ut ministerium Unctionis Christo viventi præstarent.

§. 15. Quæ prærogativa siquidem Mulieres à viris distinguit illisque quodammodo præfert, non ut insolescant, sed Deum revereantur, ita in hocce Unctionis actu, ut personæ Publicæ seu Repræsentativæ spectandæ sunt, Universam Ecclesiæ panegyrim omnesque fideles Repræsentantes. Et prout filius à Patre ad tria distinctim munera Unctus est, ita etiam ab hisce mulieribus ipsis licet insciis, neque tale quicquam cogitantibus.

Ad propheticum quidem per Peccatricem illam in domo Pharisæ, ide qua Luc. VII. quæ Pedes ejus Unxit.

Ad sacerdotium per Mariam in domo Lazari, de qua Joh. XII. v. 3. quæ identidem Pedes unxit.

Ad Regium ab Anonyma in domo Simonis Leprosi, quæ caput ejus unxit & quidem tam largiter, ut defluueret per totum corpus, de qua Matth. XXVI. v. 6. 7. & Marc. XIV. vs. 3.

§. 16. Hæc observatio quia peregrina & longe petita cuiquam videri posset, ulteriorem indagationem ac demonstrationem meretur, atque adeo probare necesse est 1. Quod tres distinctæ Unctiones sint, quas adduximus

mus 2. Quod unaquæque harum unctionum ſpecificam ad unumquodque munus habeat relationem. Primum, quod attinet, Evangeliſtarum unctiones bene diſtinguendæ ſunt. Communiter quidem putatur, inquit Ferus, tantũ fuiſſe unam, de qua quatuor Evangeliſtæ mentionem faciunt. Chryſoſtomus & Theophylactus ſentiunt tres Evangeliſtas Matthæum, Marcum & Lucam de una muliere loqui, Johannem autem de alia. Eadem etiam Auguſtini, Euthymii & Barradii ſententia eſt. Ambroſius hæret vixque ſe ex hoc ſcrupulo explicare poteſt, adeo ut in fine dicat. Poteſt ergo non eadem eſſe ne ſibi contrarium Evangeliſtæ dixiſſe videantur &c. Lib. VI. ſuper Lucam. Origenes hom. XXXV. ſuper Matthæum, ubi poſtquam multas Evangeliſtarum diſſonantias adduxerat concludit veriſimilius eſſe, quod non Una ſed tres fuerint Mulieres, Una de qua Matthæus & Marcus, altera de qua Lucas quam & peccatricem nominat, Tertia de qua Joannes mentionem facit, quam & Mariam ſororem Lazari nominat.

§. 17. Et ſane res obſcura eſt, inquit Ferus, certum quidem eſt quod Marcus & Matthæus de Una eademque muliere loquantur & quia unctio, cujus Joannes mentionem facit etiam Bethaniæ facta eſt & his ipſis diebus ante feſtum Paſchatis inſtante Chriſti paſſione, veriſimile eſt, quod eandem mulierem intelligat, de qua alii duo Evangeliſtæ ſcri-

pserunt, quam & proprio nomine exprimit, quod alii non fecerunt. An autem hæc Bethanienſis Maria intra paucos hos dies bis Chriſtum unxerit primo pedes ut habet Joannes, dein etiam caput ut Matthæus & Marcus teſtantur, & quod illic ſolus Judas hic autem omnes diſcipuli ſimul murmuraverint, aliorum ſit judicium. Autumat itaque unam eandemque mulierem apud tres Evangeliſtas eſſe, quicquid ſit de peccatrice illa ut ſcribit in Paſſ. pag. 11.

§. 17. Sed vero ſi circumſtantias bene expendamus atque inter ſe conferamus non poſſumus non aſſerere, quod tres diſtinctæ unctiones ſint, de quibus 4. Evang. mentionem faciunt, quanquam de mulieribus cum nullo velimus altercarier, an duæ an tres fuerint, atque adeo ut illud manifeſto conſtet, neceſſe erit unius cujusque Unctionis Circumſtantias ſpecificas expendere.

§. 18. *Primam* quod attinet de qua Luc. VII. illa ſeſe à cœteris tam clare diſtinguit, ut fere oleum perdere videremur, ſi illud operoſe probare vellemus nam I. Perſona ungens vocatur *Peccatrix*, non ſenſu communi ut nos omnes peccatores ſumus, ſed κατ' εξοχην ſecundum vim vocis quam habet in ſcriptura Evangelica 2. In *domo phariſæi* facta perhibetur, cui Chriſtus exprobravit, quod is id officii neglexerit, ut jam non dicam de Tempore, cum peracta ſit ſecundo Muneris ſui

anno

anno, quæ ſpecificæ temporisac perſonarum circumſtantiæ ſatis indicant hanc unctionem à cœteris diſtinctam eſſe.

§. 19. Secundo plane veriſimile eſt quod etiam diſtincta unctio fuerit, de qua Johannes ab ea, cujus Matthæus & Marcus mentionem faciunt, quod identidem ex comparatione perſonarum, loci, temporis aliarumque circumſtantiarum haut obſcure patet. Illa enim unctio, de qua Joannes mentionem facit, facta eſt in domo Lazari, de qua duo alii Evang. in domo Simonis Leproſi; hæc biduo, illa ſextiduo ante paſcha, ibi tantum ungebantur Pedes; heic caput, fracto inſuper vaſculo; ſuper illa tantum murmuravit Judas, de hac autem conqueſti ſunt omnes diſcipuli, quæ omnia ſatis indicant, unctionem, de qua Joannes ab illa de qua Matthæus & Marcus mentionem faciunt, fuiſſe diſtinctam, quanquam ut ſupra diximus ratione Unctricis nulli litem movere velimus, forte enim eadem mulier fuit, quæ Chriſtum Bethaniæ bis unxit; fortaſſis etiam duæ; quis dicet?

§. 20. Præmiſſa Unctionum diſtinctione jam probandum eſt, Unamquamque harum Unctionum ſpecificam ad hæc tria munera habuiſſe relationem, primam quidem ad munus ejus Profeticum, ſecundam ad ſacerdotale, tertiam ad Regium hoc opus, hic labor erit, ſed faciamus periculum.

*Primam* quod attinet Unctionem, de qua Lucas, mentionem facit, ad munus Christi *Profeticum* referimus. Facta enim est cum adhuc in medio cursu muneris sui Profetici esset occupatus, de qua ut nobis quadantenus constaret in pedibus facta est; Pedes autem in scriptura sacra ad Profeticum munus respectum habent atque sub iis obitio muneris exprimitur Es. LII. v. 7. Nahum I. v. 15. Matth. X. v. 14. Act. XIII. v. 51. Rom. X. v. 15. cum itaque de Messia prædictum esset, quod non fixo loco sessurus sed in Medio populi sui ambulaturus foret Lev. XXVI. v. 12. ad muneris sui officia obeunda atque pedes ambulationis Instrumenta sint, hinc percommode ipsi pedes Ungebantur ad alacritatem & sedulitatem suam in functione muneris subindicandam. Potissima autem ratio in ipsius historiæ visceribus latet, partim in Pharisæi Murmure v. 39. cum apud se diceret, *si hic profeta esset sciret utique quæ & qualis sit mulier quæ tangit ipsum* partim in sequentibus, nam postquam Evang. hancce Unctionem Cap. VII. narraverat Capite VIII. protinus subjicit *& factum est deinceps & ipse iter faciebat per singulas Civitates & Castella prædicans & annuntians Regnum Dei & duodecim cum illo.*

§. 21. *Secunda* ad Munus ejus *sacerdotale* fuit eaque facta est sexto ante Passionem die in domo Lazari, quod ἀβοσθητον significat, quales omnes peccatores propter reatum & corrupti-

ptionem ſunt, quorum ille ut *vir ſigni* typum ac Perſonam in hoc actu ſuſtinuit, atque hæc Unctio identidem in pedibus facta perhibetur, & ſpecificam ad munus ejus *ſacerdotale* relationem habuiſſe opinamur divina præſcriptione in inaugurandis ſacerdotibus nixi. Nimirum cum Deus Aaronem ad ſacerdotium eveheret, jubebat Moſi ut *Pollicem dextri ejus Pedis* inungeret ſanguine mactati arietis Ex. XXIX. v. 20. Lev. VIII. v. 23. 24. Sed dices, hoc leve argumentum eſt, nam & dicitur ibidem, quod dextram ejus auriculam pollicemque manus dextræ inungere deberet; fateor, ſed id nihil præjudicat; ſufficiat mihi illius unctionis tantum quoddam veſtigium indicaſſe, quæ in omnibus convenire haut debebat, eo quod Chriſtus ſacerdos fuit ſecundum alium, quam Aaronis Ordinem.

§. 22. *Tertia* ad munus *Regium* fuit duobus ante Mortem diebus facta in domo *Simonis*, qui vivum ejus bonitatis ac potentiæ erat ſpectaculum; ſed non in pedibus, verum in capite, idque tam largiter, ut ipſum vaſculum ſub effundendo fractum ſit, quam licet Chriſtus ad ſuam ſepulturã referat, non obſtat tamen quo minus ad *Regium* ejus munus referri poſſit; nam cum ſepeliebatur & hicce Unctionis Actus reiterabatur in corpore ejus, anima modo erat in gloria oleoque exultationis perfundebatur, atque thronum quaſi præoccupabat, in quem humanitas ſuo tempore foret

ret evehenda ac sublimanda, atque adeo quod in una natura factum est, in tota persona factum esse censendum est. Quamobrem etiam divina providentia cavit, ne unctio Mulierum succederet, siquidem jam alia unctio restabat propediem peragenda, quum longe excellentiori modo ungendus esset Spiritu sancto.

§. 23. Hæ ungentes Mulieres ut personæ publicæ considerandæ sunt totum Electorum Cœtum repræsentantes, ita quidem ut si tres fuisse statuamus, prima fideles ex Judæis, secunda fideles ex Proselytis, tertia fideles ex Gentilibus repræsentarint, sin autem tantum duas, ut una, repræsentamen fidelium ex Judæis, ad quos proselyti referuntur, altera fidelium ex Gentilibus sustinuerit.

§. 24. Nec peregrinum est per mulierem universam fidelium panegyrim adumbrari, nihil enim in scriptura frequentius. Vide Es. XXVI. v. 17. LIV. v. 1. Joh. XVI. v. 21. Apoc. XII. v. 1. 2. XIX. v. 7. XXI. v. 9.

Sed nec impedit unctionis actus, quod is per Mulieres peractus sit, siquidem per viros, ne muneri præjudicium fieret, fieri debebat, nam de Matre Christi h. e. Ecclesia dicitur, quod ipsum coronaverit Cant. III. v. 11. quare etiam dici non posset, quod Unxerit illum?

§. 25. Hæc sunt emblematica ac mystica, quæ Ratione Evangelicarum Unctionum B. L. com-

communicare voluimus, ſin autem ea alicui minus placeant, ei hæcce tropologica eorum loco ſubminiſtramus, quæ reliquit nobis Johannes *Ferus*, Cœnobii Franciſcanorum olim Guardianus & in Cathedrali Templo Moguntiæ Concionator, in aureo ſuo de paſſione Chriſti libello pag. 15. 16. 17.

§. 26. Deinde & hæc hiſtoria totum ſtatum Eccleſiæ adumbrat; Simon enim Leproſus, in cujus domo hæc facta ſunt, quique audiens vel obediens interpretatur, Judaicum populum ſignificat, qui primo verbum Dei audivit, ei enim commiſſa ſunt eloquia Dei, habuit idem populus cum adhuc ſanus eſſet, egregiam domum, in qua Deus libenter habitabat, congregationem ſcilicet fidelium tunc enim Deus in Juda notus erat; Leproſus autem factus propter incredulitatem ſuam, Judaicus populus ipſe è domo illa ejectus fuit, ſed domus ipſa manſit, imo major effecta eſt; ex ſynagoga enim Judæorum facta eſt Univerſalis Eccleſia Credentium.

§. 27. In hac domo ſunt tria hominum genera; aliqui è morte peccatorum reſurgunt, & convertuntur, hi ſignantur per Lazarum, alii in Laboribus vivunt propter externa, quæ tamen ipſa ad gloriam Dei ordinant, hi per Martham ſignantur, aliqui tantum Deo & ſpiritualibus vacant; hi ſunt Maria.

Imo quilibet Chriſtianus has tres perſonas gerere & in ſe habere debet; *primo* ſit Lazarus à pec-

à peccatis resurgendo & fugiendo, *Secundo* sit Martha in bonis se occupando. *Tertio* sit Maria in Ungendo Christum.

§. 28. Unguentum, quo Christus Ungi debet & vult primo fides est, non tamen quæcunque sed quæ optima est, nempe Christiana, debet autem & fides ex nardo confici h. e. debet habere fervorem, ut scilicet per Charitatem operetur, non sit adulterata per admixtionem errorum, sit plena, libram scilicet habens, ne in aliquo Articulo dubitet. Ungere autem Christo debemus caput, & pedes, id est, credere in divinitatem & humanitatem, hæc sunt, quæ Christo exhibere debemus in persona propria, cœterum nondum totum Christum honorasti, nam habet & Mysticum corpus, Ecclesiam scilicet, in qua ipse est caput, pedes autem omnes, qui in ipsum credunt.

Unguentum autem quo corpus Ungi debet est, charitas, de Corde bono & fide non fucata. Unge igitur & caput & pedes h. e. dilige Deum & proximum. Ex quibus B. L. decerpere potest, quæ lubet & quæ placent.

## D.

### *Tria Christi Munera in Uno subjecto repræsentata.*

§. 29. Pontifex Maximus, prout sanctissima in to-

toto populo erat Persona, ita ut Vir typi ac umbræ considerandus, qui unus & solus tria Messiæ munera in Pontificali ornatu præostendit.

*Pectorale*, quod ex XII. Lapillis pretiosis nominibus XII. tribuum radiantibus constabat, quodque super pectus gestabat & alias Urim ac Thummim vocabatur, per quod Deum in rebus arduis ac difficillimis interrogabat, emblema muneris Christi PROFETICI erat atque in sensu mystico denotabat eum magnum illum profetam fore, quem Deus Deut. XVIII. v. 15. & 18. excitandum prædixerat, in quem & Thummim Urim esset derivandum Deut. XXXIII. v. 8.

*Pallium superhumerale* quod in scapulis mediante sardonyche utrimque conjungebatur & cui identidem XII. Tribuum nomina insculpta erant quæque ea propter in humeris portare dicebatur, emblema muneris ejus SACERDOTALIS erat, vi cujus Israelitas tanquam alis aquilinis *à diebus seculi portaverat* Es. LXIV. v. 9. & Universim omnia portat Heb. I. v. 3.

*Cidaris*, seu potius lamina vel bractea aurea in fronte ejus cui sanctitas Jehovæ inciśa erat, atque in lege *Corona* dicitur Exod. cxxxxiv. v. 30. emblema erat muneris ejus Regii in ipsum post animæ laborem solenni modo conferendi, quando super Zionem Montem sanctitatis foret Ungendus Psal. II. v. 6.

Ita

Ita Unus & ſolus Aaron tria Meſſiæ munera in Pontificali ſuo Ornatu præmonſtravit, typum gerens benedicti noſtri ſervatoris JEſu, qui prout fuit verus Meſſias toties toties-que promiſſus, ita etiam Unus & ſolus tria hæcce Auguſtiſſima munera ſuſtinet.

§. 30. Eſt enim *profeta* Populi ſui & talem ſe docendo & miracula faciendo & Sacramenta inſtituendo demonſtravit, ſi modo ſacramentorum inſtitutio ad Munus ejus Profeticum ſit Referenda.

Eſt etiam *ſacerdos* Populi ſui & talem ſe demonſtravit, cum ſe ipſum in hoſtiam fragrantiſſimæ fragrantiæ obtulit Epheſ. V. v. 2. atque etiamnum pro illis intercedit Rom. VIII. v. 34.

Eſt etiam *Rex* Populi ſui, & talem ſe demonſtravit, cum ſpiritum ſanctum emiſit atque donis ejus Eccleſiam implevit Pſ. LXVIII. v. 19. cum ſceptrum ex Zione emiſit atque ſibi Eccleſiam ex Gentilibus ac Judæis collegit Pſ. CX. v. 2. & in medio hoſtium regnat regnabitque tam diu usque dum laborioſo Regno Mediatorio peracto regnum Patri tradet, ut Deus ſit omnia in omnibus. 1. Cor. XV. v. 27. 28.

V.

V.

# Epistolarum ineditarum vel à M. LUTHERO, vel ad LUTHERUM scriptarum

ΔΕΚΑΣ.

A.

## *JACOBI MEIERI,* (a) Cos. Basileensis Epistola ad LUTHERUM.

Dolet tam parum se posse conferre ad promotionem Evangelii, & literarum. Necessitas concordiae ecclesiarum evangelicarum. Ejus quaedam impedimenta. Precibus Lutheri se commendat enixe.

GNade und Friede von GOtt dem Vatter durch unsern HErrn JEsum Christum, wünsche ich euch, Ehrwürdiger, Hochgelahrter Herr und Vatter; Eueren Brieff an mich

(a) Hic Iacobus MEIER, dictus zum hirtzen ab a. 1530. consulatum gessit in Rauracorum regia. Epitaphium ejus in templo Basileensi majori hoc legitur. *D. Jacobum MEIERUM, hujus urbis inclutae Consulem prudentissimum consultissimumq; pietatis sanae cultorem, ac promotorem primarium, omnis honestatis, quod in ipso fuit, instauratorem diligentissimum lapis sub-*

mich, hab ich als für ein köſtlich Kleinot behalten zu mir zum Troſt, und zu einer Ermahnung, mich darnach zu richten, wie mich die frommen und hochgelahrten *Doctor Capito* und Herr *Martin* Butzer bey euch dargeben haben; wolte GOtt, daſs ich ein ſolcher wäre, ja ich wolte mich gerne von meinem HErren Chriſto mit weniger benügen laſſen; Aber leider zu Forderung des Evangeliums und der Künſten, dieweil der Widerſtand (wie euwer vätterlichen Lieb mehr dan ich erfahren) vaſt groſs iſt, werd ich offt ſchwach und hinläſſig, und beſorge, wo mich GOtt nicht beſünderlich erhielte, (welches Beyſtand ich wol befinde) und ich von anderen, als etwa auch fürnehmlich von dieſen zweyen theuren Männern *Capito* und *Butzer*, ernſtlich getrieben würde, daſs ich noch unfleiſſiger wäre, wie wol

*ſubjectus contegit.* Commemoratu dignum eſt, cum ejus exuviae, poſtquam a. 1541. peſte exſtinctus eſſet, ad latus Ioh. Oecolampadii & Simonis Grynaei, magnorum virorum, conditaeſint, tribus illis ſaxis, ſub quibus jacent, haec inſcripta legi.

So ehr / gut / künſt / hulffend in Noth /
Wär keiner von dieſen dreyen tod.

Elogium hoc ei deberi, vel ipſa haec epiſtola te docet affatim, quam à Cl. *Iſingio* (Vide ſupra p. 598.) mihi communicatam, ex ipſo autographo a me, ſicut & ſequentes maximam partem, deſcriptam, tibi nunc exhibeo. T. d. H.

wol ich von meinen Herren über alles Zeitliche begehre fortzufahren, und nur mein ausgebetenes Pfund wol anzulegen.

Die Einigkeit der Kilchen ist uns hochnöthig. *Dan wir eine vereinigte Kilchen haben müssen, oder aber wir werden das Evangelium gar verlieren*, und zu keiner beständigen Haushaltung kommen mögen. Doch hat uns jetzt durch euch der liebe GOtt, solche Mittel fürgestellet, dass kein Gottesfürchtiger, der aus seinem Wort eine rechte Erkäntniss hat, weiters Bedencken tragen, und einiges Missverstandes oder Aberglaubens besorgen mag. Darum hertzlieber Herr und Vatter, hab ich nach mein klein Vermögen möglichen Fleiss ankehrt, dass unsere Eidgnossische Kilchen, einfältig, und ohn Beding mit warhafftigem Hertzen in die Artickel bewilligten, wie meine Herren ein ehrsahmer Rath hie zu Basel vor dieser Zeit, willig und entschlossen sind, und aber der Sachen zu gut bis anher vertzögert haben, wiewol unsere Predicanten bescheidet worden, dass sie der Concordie gemäss predigen, und die gegen Zeugniss verwerffen solten, das sie ohn das geneigt, treulich und willig thun. Wir wissen auch nicht anders, dan das fast wenig fürnehme Predicanten sind bey anderen Obrigkeiten, die nicht ein

wohlgefallen ob der Concordie (*b*) und den Artickeln haben, deshalb, ob GOtt will, nicht viel Hindernüſſen bringen ſollen, obſchon nicht alle Oberkeiten bey uns oberländiſche Kirchen, mit ausgedrucketen worten, noch zur Zeit, darinnen bewilligen. Es müſſe ſeine Zeit auch haben, und durch die Prediger anderer ſtetten auch getrieben werden, als ſie auch treulich thun werden, wie ſie ſich willig und geneigt erzeigt haben, dagegen aber viel Hinderniſs fürfällt, der zeitlichen Regierung halber, als nemlich vom Hertzogthumb Saphoy; So muſs man mit viel Kilchhörigen handeln, und viel Kopff vor wol berichtet werden, ehe dan ein beſtändige Concordi mag beſchloſſen werden; welches Zeit bedarff. Doch wird GOtt uns zum Frieden und etwan zum vollkomnem End helffen, dazu ich neben meinen Herren und Obern keinen fleiſs ſparen will, ſintemahl uns täglich unter Augen läufft, der verderbliche Schad, ſo von dem Zanck erwachſen, und noch zuvor iſt. Verhoff unſer gütiger und barmhertziger Vatter im Himmel, werde ſeine Gnad verleihen, und uns zu glücklichem Ende helffen, wo wir ihn darumb ernſtlich anruffen, an welchem aber bey mir nicht geringer Mangel iſt, derohalben meine

(*b*) Intelligit illos concordiae articulos, qui Wittenbergae a. 1536. cuſi ſunt, de qua re ad hunc annum conſule Hoſpinianum.

ne gar fleiſſige Bitte an euer Erwürde iſt, für mich als euer Kind zu beten, auff daſs ich in meinem ſchweren Ampt meinem HErren Chriſto getreu erfunden werde. Dan warlich ich getröſt mich euers Gebäts gegen dem Allmächtigen zu genieſſen, auff daſs wie er mir und anderen die Erkäntnüſs ſeines Sohns durch euch mitgetheilet, daſs er alſo uns werde durch euer täglich Fürbitte erhalten und fortführen. Biſsher hab ich verzogen zu ſchreiben, dieweil mit andern Kilchen noch nicht gehandelt war. Daſs aber nun beſchehen, ſoviel auff dieſe Zeit hat ſeyn mögen, meiner Hoffnung nicht gar ohne Frucht. Hiemit ſey ewere Liebe dem Allmächtigen befohlen, welchen wir auch treulich mit unſerer Gemeine für eure Erwürde bitten wollen. Geben zu Baſel, den 7. Oct. a. MDXXXVI.

B.

## M. LUTHERI (a) ad præcedentem Epiſtolam reſponſio.

Lutheri votum pro concordia eccleſiaſtica. Ejus quædam media. Moderationem in ſuggestibus commendat Theologis. Dolet ſe affligi calculo.

GNad und Fried in Chriſto. Ehrbar, fürſichtiger, lieber Herr und Freund. Ich



(a) Has quoque literas, ex illo exemplo, quod hic Me-

habe euere Schrifft ſamt anderen, auch der Aidgenoſſen beygeſandte Schrifft, alles empfangen und vernommen, habe auch faſt frölich und gern euern Fleiſs und Ernſt, das Euangelium Chriſti zu fordern vermerckt, GOtt der Allmächtige gebe hinfort mehr und weiter Gnade, damit wir alleſamt in rechter lauter Einigkeit und gewiſſer einträchtiger Lehre und Meynung zuſammen ſtimmen, wie S. Paulus ſagt, daſs wir alle ſollen mit einerley Hertzen und einerley Mund preiſen, GOtt den Vatter unſers HErren JEſu Chriſti, dazu einander vergeben und NB. VERTRAGEN, wie GOtt der Vatter uns vergibt und vertragt in Chriſto JEſu.

Nun

Megalander manu ſua conſignaverat, primum vulgo. Idque eo lubentius, quod ex iis diſcas, qua ratione tam diu concordiae Eccleſiarum Evangelicarum optatum opus, quod noſtris rurſus diebus nonnulli, quibus cor de meliore luto fictum eſt, moliuntur, ſibi cordi voluerit eſſe D. Lutherus, & quam longe abfuerit ab illorum moribus, qui tum demum ſe partibus ſuis rite defunctos eſſe arbitrantur, ſi vel ſcriptis ſuis, non atramento, ſed felle *D*raconum, & ſanguine exaratis viperino, in nonnullis a ſe diſſentientes acerbiſſime, atque amariſime inſectari, vel Cathedras concionatorias, quas ambones vocant, tanquam theatra, in quibus virus ſuum ac maleſanos affectus explicent, ſtentoreis clamoribus implere, & inter imperitam plebem diſcordiae funeſtiſſima ſemina ſpargere poſſint. *D*egeneres ſane magiſtri ſui diſcipulos, atque indignos, quo tantum ſe efferunt, γνησιως Lutheranorum nomine! *Sed dabit Deus his quoque finem.* T. d. H.

Nun ist es nicht wunder, nachdem wir im Fleische noch leben, daſs vielleicht beydes, bey den unſern so wol als bey den eueren, welche Argwohn möchten hafften; Sintemahl wir über dieſer Sachen nicht ſchertzs oder ſchimpffs-weiſe, ſondern mit Ernſt aneinander geſetzt und getroffen haben, als die über keinem Spiel, noch leichtfertiger Sachen zu thun und uneins geweſt ſind. Das hierinnen noth ſey wird neben Chriſtlicher Liebe Pflicht, der Streiche und Schmertzen zu vergeſſen, und ſo viel deſto ernſtlicher wiederum zur Einigkeit zu trachten, es ſey mit Gedult, Sänfte, gutem Geſpräch, und womit es ſeyn kan und geſchehen mag, ſonderlichen aber mit hertzlichem Gebet, zu GOtt dem lieben Vatter, der aller Einigkeit, Troſts und liebe Vatter iſt. Derhalben ich wiederum aufs (*b*) hertzlichſte bit-



(*b*) Conferri cum his merentur, quae Lutherus eodem hoc licet moriente anno, ſuper hoc negotio ad Helvetios ſcripſit. *Amanter itaque M. V. rogo, ſerio dent operam, quo tam apud vos, quam apud veſtros, VOCIFERATORES ILLI, QUI ADVERSUS HANC NOSTRAM CONCORDIAM DEBACCHANTUR, à ſuis clamoribus abſtineant, populumque ſimpliciter doceant, & hoc totum concordiae negotium illis curandum relinquant, qui ad hoc vocati & idonei ſunt, neque illud impediant; ut & nos vicisſim tam in ſcriptis, quam CONCIONIBUS tranquillitati & moderationi omni operam dabimus, & ab ejusmodi CLAMORIBUS adverſus veſtros temperabimus, ne ullam im-*

te, wollet bey den eurigen treulich anhalten, und helffen, daſs ſie alleſamt wolten helffen die Sachen ſtillen, glympffen und zum beſten foddern. Es ſoll an uns auch nicht mangeln, und wir thun auch weidlich dazu, laſſen uns nicht bewegen allerley Schrifft und Rede, und *iſt auff unſer NB. Kantzel und unter dem Volck alles gar ſtill*, allein daſs die euren nicht die ruhende Vögel ſcheuchen, ſondern auch zum Friede mit uns treulich helffen. Die Sache wird ſich nicht in uns ſchicken, ſondern wir müſſen uns in der Sache ſchicken. So wird GOtt, der ſolches anfähet, auch dabey ſeyn, und gnädiglich volfüren. Hiemit GOtt befohlen. Amen. Grüſſet mir Eur. *Joachim Vadian* und *D. Wolff Capito*. Ich habe itzt nicht können allen ſchreiben. (c) Dan ich heute den gantzen Tag an dem leidigen Calculo liege; ein unnützer Menſch. Sonnabends nach Valentini. 1537.

Martinus Luther. D.

Inſcriptio hæc erat.

*Dem Ehrbahren fürſichtigen Herren Jacob Meyer, Bürgermeiſter der Stadt Baſel, meinen lieben Herren und groſsgünſtigen Freund.*

*impediendae concordiae occaſionem praebeamus, quam & nos ex animo videre cupimus, ejusque promotionem Domino vovimus. Nam NB. CERTE SATIS A-*

BUN-

C.

# Martini LUTHERI Epistola ad Wolffgangum Fabricium CAPITONEM.

Valde indigne fert rumorem, de sua cum Theologis Argentinensibus discordia. Testatur sibi placere nuptias sacerdotum & monachorum. Consilium de abjiciendo cucullo exponit. Aegre fert epistolas suas vulgari.

GRatiam & pacem in Domino, nisi tam constanter tu Bucerusque tecum, optime Fabrici, assereres esse aliquot, qui jactent vestra studia a nobis damnari, planeque nos dissentire, paratus eram hæc tribuere suspicionis imbecillitati ob diuturnum nostrum silentium, cum idem referri à fratribus illis ad nos profectis, vix ante triduum, cum acciperem has vestras literas, audirem. Et quamvis sic in vobis Christus regnet, & nihil vobis sit timendum jacturæ sive dissentiamus, sive damnemus nos vestra, tamen nihil mihi molestius est, quam hoc audire sic jactari discordiam nostram, cum sit summa con-



*BUNDE FUIT HACTENUS CLAMORUM & digladiationum, si iis aliquid promoveri debuisset.* Haec Lutherus. T. d. H.

(c) Ex his verbis colligo hanc eam esse epistolam, cujus Hospinianus meminit Hist. Sacr. T. II. pag. 156. b.

concordia & unitas ſpiritus ſincera atque perfecta. Quia ego ſoleo diſſimulare & celare, quantum poſſum, ubi aliqui noſtrum vere diſſentiunt a nobis (quales multos jam agitat, neſcio quis ſpiritus) quanto minus mihi hoc ſcandalum & injuriæ genus in Chriſtianam concordiam, & ſpiritualem pacem ferendum eſt. Quare niſi eſſem nimis occupatus, non dimitterem, quin publico ſcripto teſtarer & illorum ſuſurronum mendacium, & noſtrum candidum conſortium in re Chriſtiana. Mirifice placent nuptiæ ſacerdotum & monachorum & monialium apud vos. Placet appellatio maritorum adverſus Satanæ Epiſcopum. Placeat vocati ad parochias. Quid dicam? nihil dein audivi, quo non gauderem maxime in vobis. Tantum pergite & proſpere procedite, ut & vos doceat mirabilia dextera veſtra, & populi ſub vos cadant in corde inimicorum Regis. Quin ego jam ſatis arbitror his annis indultum infirmis. Deinceps, quia indurantur de die in diem, liberrime omnia ſunt agenda & dicenda. Nam & ego incipiam tandem cucullum (a) abjicere, quem ad ſuſtentationem infirmorum & ad ludibrium Papæ hactenus retinui. Si-

(a) Implevit hoc promiſſum ſuum Lutherus, utpote, qui 5. circiter menſibus poſtea d. 9. Oct. cucullo exuto, veſte, quali concionatores utuntur, indutus inceſſit, poſtquam e coenobio ſuo jam omnes fratres. præter Priorem diſceſſerant. T. d. H.

Sinamus mortuos ſepelire mortuos ſuos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Puto autem vaniſſimum hunc diſcordiæ noſtræ rumorem ex epiſtola illa ad te mea toties jam excuſa, & nunc etiam vernaculo ornata, natum eſſe, quæ res me pæne deterret à ſcribendis epiſtolis, cum videam ſic eas rapi me invito ad præla, cum inter amicos multa liceat, & oporteat liberius ſcribere, quam expediat in vulgus ſpargi. Eras autem & tu tum alius vir, & aulæ ſervus. Nunc autem Chriſti libertus & ſervus Evangelii, totus meus, & ego totus tuus. Saluta mihi in Chriſto M. Bucerum cum uxorcula & prole & omnes illos maritos novos, præſertim Hedionem. Salutat eccleſiam veſtram noſtra eccleſia. Gratia vobiſcum. Wittembergæ. 1524. die Urbani.

Martinus Luther.

*Excuſa me, quod Bucero & aliis non reſpondi. Scribam alias liberior & majore ocio.*

## D.

## *Ejusdem* ad *Eundem* epiſtola, qua de DECIMIS agit.

GRatia & pax in Domino. Submonuit me Philippus noſter, mi Fabrici, ut de *Decimis* meam ſententiam tibi aperirem,

cum vulgus isthic audiatur recusare velle. Mihi sane decimæ videntur esse omnium longe justissimæ, ut quæ divinis testimoniis & ab origine mundi pene fuerint, tum etiam æquissimæ, ut quæ tantum crescant ac decrescant, quantum fert terra de benedictione Domini. Quare omnibus modis agendum est, ut Decimæ maneant salvæ, ut sit quod Magistratibus & Principibus pendatur. Hoc agant potius, qui contra decimas pugnant, ut census redempticii & alia id genus gravamina, qui orbem exagitant aboleantur. Atque utinam omnibus aliis censibus aboletis, non solum Decimæ, imo Nonæ, aut octavæ maneant. Quin Aegyptiis quinta daca, tamen vivebant. Nos nec Decimis vivere possumus, tantum sæviunt alii census & gravamina. Sic sentio, & te oro, ut juves alios idem sentire, ne vulgo permittatur licentia talis. Saluta omnes & orate pro me. Vittenbergæ Fer. 4. post Barnabæ a. 1524.

E.

## *Ejusdem* ad eundem & Collegas Epistola.

Lutherus Capitoni, Hedioni, Bucero, S. in Christo.

Mitto ad vos Chariſſimi viri nostram exhortationem ad Senatum & invitus mit-

mitto. Scio enim illam indigniſſimam, quæ a vobis legatur. Sed quia vos putatis & noſtras quoque nugas eſſe aliquid, malui vobis gerere morem, quam peccare contra charitatem. De eruditione, ſicut videtis, nihil poſſumus polliceri: At de conſtantia, quæ ad fidei confeſſionem attinet, Chriſto duce, nihil non pollicemur vobis. Rogo itaque vehementer vobis etiam atque etiam perſuadeatis, nos tres officio noſtro defuturos nunquam. Bene valete, & pro eccleſia noſtra orate. Cæterum omnia recte habent. Evangelion audietis ex D. Sturmio, quem fortaſſis intra horam Salutabo. Francoforti 1. Jan. Lecta exhortatione curate ut ſupprimatur.

*Veſter Servus M. L.*

F.

## M. Lutheri epiſtola ad Caſparum (a) quendam.

*Dehortatur* Schvvenckfeldium à Schvvermeris. Adhortatur ad patientiam. Conſilium dat, quomodo ſe gerere debeat, quando publicus Dei cultus interdictus eſt. Baptizare licet in domibus. Sententia Lutheri de Baptismo Pontificiorum.

GNade und Fried in Chriſto. Hüth euch, huth

(a) Non dubito, quin hic ſit notus ille Caſpar Schvvenckfeldius, Lutheri primum amicus deinde adverſarius.

hüth euch, mein L. Caſpar, vor den Schwermern, das ihr ihrer gar müſſig gehet ihres Amts, wie ihr ſelbſt anzeigt, auff das ihr nicht theilhafftig werdet ihrer Plagen. GOtt hat ſchon zweymahl geſtrafft. Erſtlich unter dem Müntzer. Jetzt unter dem Zwinglin. Ich beſorg Augſpurg werde ſchwer ihren Theil auch haben, könt ihr nicht anderſt, ſo thut wie die Juden zu Babell gefangen, welche auch muſten ohne Tempel, ohne Gottesdienſt, ohne Brauch ihres Moſis, allein ſich am Wort benügen laſſen 70 Jahr lang. Dan es iſt noch nicht zu rathen, daſs ihr ſoltet ein eigenes in Winckeln anfangen; Erduldet ſolche Anfechtung, und tröſtet euch dieweil mit leſen und lehren des H. Worts, und wünſchen und bethen, wie Daniel zu Babel gegen Hieruſalem bethet. Alſo auch ihr begehrend das Sacrament mit Seufftzen, bis GOtt darinnen ſehe. Mit der Taufe hats nicht ſo groſs Mangel, hat man doch wol unter dem Bapſtum in Häuſſeren taufft, darumb kont ihr daſelbſt noch wol tauffen und beten, wie in der Kirchen. Eben ſo kont ihr Ehe einſegnen in Häuſſern, wie man ſie doch ſonſten vertruet, und wan es ſonſt nicht anderſt ſin kunt, und ein Rath ſolches tauffen verböth, ſo wolt ich ehe von Papiſten nehmen, mit bedingen, daſs wir ihre (b) Tauff wol recht biel-

(b) Exinde colligas, quaenam Lutheri ſententia fuerit

hielten, aber nicht ihren Glauben und Lehre in andern Stücken. Die Schwermer haben kein Tauff, noch Sacrament. So viel jetzt in Eyl, dan ich über die Massen beladen bin. Hiemit GOtt befohlen. Amen. Jan. 3.

*D. Mart. Luther.*

## G.

## M. *Lutheri* Epistola ad Mart. BUCERUM.

Comitatur his literis suam ad Helvetios missam epistolam. De valetudine sua conqueritur. Sententia de confessione Helvetica, & Tetrapolitana. Bugenhagii successus in promovendo Evangelio in Dania.

GRatiam & Pacem in Christo. Respondi tandem mi Bucere, Helvetiorum literis, quas Smalkaldi reddidisti. Excusabis moram meam, ut qui scias mihi cadaveri præter morbos & senectutem per se pigro & frigido impositas esse curas ecclesiæ nostræ, & causas multas cum molestissimas tum odibiles, ut non dicam odiosas. Exemplar autem mitto ad te, ut clavum habeas istius navis gubernandæ. Nam in te rursus re-

rit, de illa controversia, quae de pontificiorum baptismo nuper in illustri quadam aulâ inter celeberrimos Theologos agitari coepta est. T. d. H.

rejeci omnia & in Capitonem, cum non esset alia ratio, tam amice & suaviter scribendi, dum vos ipsi duo mihi argumentum difficile feciſtis; significantes quam sint isthic adhuc aliquot Concordiæ iniqui, in quorum manus vel notitiam has meas venturas esse suspicandum omnino fuit sed tu omnia facies pro dono Dei tibi dato. Ego certe simpliciter & candide scripsi. Latinam Helvetiorum confessionem paulo minus probo, quam Germanicam civitatum præsertim in Sacramento altaris. Cætera satis placent pro hoc tempore. Saluta mihi reverendum D. D. Capitonem & omnes vestros. Non possum singulis respondere. Pomeranus adhuc est in Dania, & prosperat omnia, quæ facit, Dominus per eum. Regem coronavit & Reginam, quasi verus Episcopus. Scholam instituit &c. Vale in Domino. Ipso die S. Nicolai anno Domini. 1537.

*T. Martinus Luther.*

## H.

## Martini Lutheri Epistola ad W. Fabr. *Capitonem* ex autographo.

Hortatur ad obeundum fideliter munus Pastoris. Status miser ecclesiae Argentinensis.

S.

S. Quod mihi nuper scripseris nondum teneo, quia uxor nondum venit ad nos, quæ tuas accepit ab Argentina, sed ut spero propediem aderit. Oro Deum ut bene valeas, & munus tuum diligenter obeas. Quid non est cursitare, monere, sollicitare omnem lapidem, & doctius & spiritualiter, hoc est, γεωφικῶς omnia interpretari & docere, omnibus benefacere; Sed id potissimum puto, ut ipse pastorem præbeas prudentem & artificiosum, non in tua ecclesia solum, sed in ipsis pastoribus, quos doceas, ducas, incites, corrigas, & ipse in omnibus prudenter & patienter pergas. Nec id solum, ut vulgo passim solent magnificis & grandibus verbis, sed Argentinæ, qua in urbe mirum est, quam ferveant & langueant omnia, quam omnia sint corrupta & vitiata cum cauda, tum capite. Ubi maxime opus est vigilantia, prudentia, constantia, sinceritate. Verum scio, nosti melius hæc omnia, & facis, quam quispiam tibi possit perscribere. Perge ergo in Domino & fortiter & ἀναλυπτῶς. Precor ut certiorem me facias, si quid peccet meus Martinus, (a) ut obsistere possim & ipsi. Deinde oro ut sine tædio facias id, quod summa cura & humanitate soles erga omnes, mihi autem plus, quam dici possit. Si quid certi habes ex comitiis item cognoscere cupio, quæ

(a) Credo innuere Martinum Bucerum.

quæ ſcribant in officina Wendelini. Non poſſum aliud ſcribere ad ea, quæ nuper ſcripſiſti, quia nunquam legi. Oro parochiam cures, & ut cepi male, tu melius pergas. Et ſi non hoc modo, alium quærito. Qualiter apud vos peſtis ſæviat, ſcire deſidero, & quomodo ſe habeat Comes meus; dicitur laborare vehementer. Saluto te & domum & eccleſiam & omnes in domino, & quando Bucerus ſit affuturus ſignifica. Vale. Te DEus augeat & ſervet; & tuum ſtudium & noſtram curam provehat animarum, 20. Julii (*b*) anno 41. Wolffachii.

*Tuus Martinus.* (*c*)

## I.

## W. Fabritii CAPITONIS ad M. LUTHERUM epiſtola. (*a*)

Judicium Eraſmi de libro indulgentiarum Lutheri. Monet Lutherum, ut cauſam ſuam agat moderatius. Pericula, quibus expoſitus eſt, recenſet. Apoſtolorum in cauſa ſua tuenda prudentia. Liber Sylveſtri Prieratis contra Lutherum. Quomodo illi reſpondendum. Melanchthonis laus. Egrani liber. De eo Eraſmi judicium. Eccius ſcripſit contra Caroloſtadium.

S. Proximis tuæ charitati ex Argentina reſpon-

(*b*) Eodem anno 1541. Capito d. 4. Oct. peſte obiit.

(*c*) Non auſim aſſerere hunc eſſe Lutherum, licet exemplar, ex quo deſcripſi, id innuat.

(*a*) Pars hujus epiſtolæ valde commemorabilis in Scult. Ann. pag. 32. legitur, & a Seckendorffio laudatur. L. I. p. 176.

ſpondi, ſimul addens de te judicium Eraſmi, quam videlicet honorifice, quam candide tuam Veniarum iſtam diſputationem miratur. Interea temporis vidi concionem tuam de pœnitentia & alteram de condonationibus. Utramque contra receptos hujus ætatis mores apertis ſignis militantem. Obſtupui de amici ſalute anxius, qui denſis hoſtium turmis ita nudum objicis latus, quamvis inſtructiſſimus videre armis veritatis. Tu tamen longe aliis, male metuo, impugnaberis, & periculum eſt, ne vi res geratur. Quod ſi ex fide conſulenti aures dare dignaris, expertus moneo, Sertorii cauſam amplecteris. Crede mihi carptim facies, quod viribus ne labefactare quidem potuiſſes. Arcem, ut vides, undique munitam occupant. Triplici vallo ſepti velut extra tela, quod dicitur, ſtertunt; auctoritate Pontificia, hoc eſt, univerſalis eccleſiæ, potentia Tyrannorum, & omnium Scholarum pertinaci conſenſu. Profecto triplicem hunc Cacodæmonis funem craſſiſſimum, haud facile unquam rumpes. Opus eſt Alexandro quodam ceu Gordia vincula gladio confidenter diſſolvente. Ingenio, aut ratione fieri, difficultas eſt. Piorum ſimplicitas a nutu & renutu pendet fictitiæ eccleſiæ. Argutioribus animum tyrannis admit. Porro qui omnibus majorem Sanctimoniam, peritiamque Chriſti venditamus Theologi ſupercilio noſtro committimus

Christum, religionis omnes invehimus sordes, prætextuque pietatis nostrum probe dispendium curamus. Proinde ne in irritum conatus iste egregius vergat, obtexas oro, quemlibet fucum, quo hamum queas infigere citius Lectori, quam sibi putet insidias fieri.

Sic Apostoli nihil subito, nihil sic aperte urgebant. Ubique decorem & humanitatem custodierunt. Per quos enim Paulus ingreditur cuniculos in epistola ad Romanos, quid non facit, quo gratiam apud eos tueatur? simulat, dissimulat, inducit, educit, ostendit procul divitem supellectilem, continuo celat, prorsusque sic sermonem librat, ne vel odium vel fastidium suboriatur. Ejus ingenii exemplis Acta Apostolorum redundant. Sic D. Paulus in tumultu similis tergiversanti respondet; Non dicit, nihil loquor contra legem, sed de resurrectione judicor, interea reddens de observata lege rationem mira dicendi prudentia. Siquidem obliquo ductu magnæ res secure conficiuntur. Quam vellem semper aliquam fenestram servares, quo effugias, vel disputatione vexatus. His diebus a Rhoma libellum Sylvestri de Pryoratis accepi, quem satis inepte in tuas venias edidit. Cui si respondendum, prudenti velim id fieret oratione, atque veram Christi ex Evangeliis imaginem præbeas. Natam & auctam religionem, consuetudinem priscorum, rationem indurati erroris, & variata Pontificum,

cum, adeoque Conciliorum decreta narres expreſſa notatione, ut Oratio fidem ſibi ſenſibus confirmet quaſi hauſta ex fonte veritatis. Deinde ſingula deliramenta riſu eleves frequentius, quam ſerio conatu. Sedulo à Pontifice lædendo abſtineas, quin omnem detorqueas invidiam in illum tamquam impudenter adulantem, tamquam attingentem indigna Pontificiæ dignitatis ventris cauſa; Te apertis obſiſtere Sycophantiis, anſam mali præcidere conantem, paſſim ut tulerit facultas inter agendum reſpondendi, ad ictus attendas ut nequeant in caſſum referire. En quorſum æſtu Amicitiæ rapior, mei oblitus, qui tibi ceu Præceptor leges præſcribo. Sed condona id, quidquid eſt, omnimode dete ſollicito. Habes non unum Theſeum, Andr. Carolſtadium, Gregorium (*b*) Spalatinum, Johannem (*c*) Egranum; & Phil. Melanchthonem, miraculum ingeniorum, quibus ſi communicaveris conſilia, nihil vellicandum aut infirmum evulgabis. Quorſum igitur mea verboſitas, niſi ut effectum ſincerum erga te ſufficiat conteſtari. Egrani libellum Eraſmus mire probat, quam nervoſe agit, ſe ſtatim expedit, arguit clare. Voluit ut Baſileæ nunc denuo edatur, quem tamen ſine ſtomacho hic primum impreſſum nunquam le-



(*b*) Voluit ſcribere Georgium.
(*c*) Intelligit Johannem Sylvium Egranum, paſtorem Zvickavienſem.

giſſet. Joh. Eccius in Andr. Carolſtadium ſcripſit. Non æquis judicibus diſputabitis, quantum potes annitere, in tuto nos loces. Reſcribo Eccio multa libertate per privatam Epiſtolam. Hunc enim diem ob nundinas cum nocte ſcribendis literis largior, utinam tam utilibus quam cupiam ex animo optimum quemque ſalutare meis verbis, tanquam nominatim juſſus eſſe. Vale Baſileæ 11. Non. Sept. A. M. D. XVIII.

*T. quem noſti.*

## K.

# EJUSDEM ad EUNDEM epiſtola.

Eccii Epiſtola Theologi Colonienſes. Status cauſæ Lutheri illius temporis. Diverſa hominum de eo judicia. Dialogus in Hochſtratanum, Hieronymus Aleander & Eccius perſtricti. Murneri libri contra Lutherum-Moderationem commendat. Res Evangelii non armis tractanda eſt. Timet de meliori Reformationis ſucceſſu. Commendat pacis ſtudium.

S. Comminatus es, ut audio per amicos ſæpe numero, at malum inerudeſcit indies, tota vis mali rupto ulcere aliorſum erumpet. Res agitur aliena quadam violentia, ſed humana partim eſt, nihil mirum, ſiquid humani ſpiritus habet, cujus Comes erit, qualis humana comitatur. Eccius triumphantem epiſtolam

epistolam Coloniam scripsit, qua jactat, quantum Lypsiæ successerit Christi negotium, sic enim vocat suas sycophantias. Infestius nihil vidi, quam illic sophistæ sunt barbari, stulti, ἄθεοι, ἄμυσοι, sine literis, sine gratiis, sine fide, imo prorsus expertes humani ingenii. Classicum dedisti tuba toties, & Hutterus nobiscum cecinit Bellicum, mox armis periclitaturus. Tibi, opinor, isthic tuta præsidia; nec nostrum ver perfugia destituent. Adversarii fortissimis munimentis & castris & vallo sepți, pecuniis armis, satellitio amplissimo freti. Stat à parte tua populi quædam consensio. Non minima vero facit cum Rhomanistis, Hui, clamant, quæ hæc rerum deformitas a priscis decreta in dubium vocare impune privatum homuncionem! Vicissim saniores, quanta impietas dogmata Christi exstinguere humanis decretis: Quorsum hæc? nimirum huc, quod omnia dissideant gravissimo tumultu, qui, quorsum vergat, incertum. Sunt, qui verentur, ne ista turbâ omnis imago pietatis obliteretur. Nam tua forte siniștre, ut fit, accipiunt. Lusit quidam Coloniæ dial gum quendam in Hochstratum, perstrinxit Eccium & Aleandrum incendiarium librorum, & me quoque non nihil adsperșit, forte non admodum volentem, certe dissimulantem. Eccius Coloniam rescripsit furias. Aleander tacite decoquit indignitatem, pronunci-

ans jocos non satis salsos, idcirco notatus est acri epistola, carmine non omnino pessimo, deinde altero quodam doctiore & multum fellis habente. Me infense observat hominem, ut scis, pacis & tranquillitatis observantissimum. Exussit enim Coloniæ libros tuos magno successu, sed me absente infeliciissime tentatur, multo infelicius consummatur. Exsibilatur a populo, ceu Judæus, qui prætextu relligionis sit Mosis gloriam illustraturus, quasi parum Christianus sit, qui ex Judæis est Christianus hac tempestate. At populus diversificatur. Ignominia combustionis multos absterret, rursum multos exacuit in odium Romanensium. Thomas Murnar 2. libellos vernacula lingua edidit inde, sed locis hæret omnibus, valde tamen populariter, hoc est, ex stomacho Romanensium suorum; nigræ famæ est, sed exercitæ linguæ, & qui multum currere soleat extra viam, quod vulgus insipidum & obscurum non animadvertit. Video futurum, quod semper timui, ingenium tyrannicum, caput fore negotii, & omnia illos acturos vafre per cuniculos præterituros, supra hominem ex Adamo genitum, citra leges consistere. Olfacias, quæ reticeo, revoca mentem ad priora tempora, & perpende, quod cruenta bella excitarit cruenta Tyrannis. Cupio refloresscere Christum, armis an patientia refloresscat, compertum habes. Nata est religio; aucta est, fir-

firmata est, ab innocentibus, ab imbellibus, tolerantia gladios furiosis e manibus excussérunt inermes. Quæ vero gens ab hoplomachis cruentis candidam religionem susceperit, non observavi. Quamquam haud ignorem veterem legem, cui nos videmur persimillimi, assertam esse manu sæpius. Et a nostris tentatum interdum, non dico, quam feliciter, neque quam pie, quia interim decrevit res nostra. Idcirco vehementer deterres deditos tibi significantia præsidiorum & armorum, etiamsi intelligam forte rationem consilii tui. Quæ apud me prope alia est. *Nam quod alte hæret non semel evellitur, sensim est & subinde labefactandum, ut tandem sequatur trahentis manum.* Nunc vero rebus semel commotis, quæ facies rerum, qui motus, quot incertos æstus, nemo non videt, nisi qui non viderit naturam perturbatæ multitudinis. Quare nullam video supereſſe spem salutis, nisi quieto animo, liberi morbis terris, utrinque coieritis & alteri alteris quippiam concesserint. Si malum fuit commovendum, nunc iterum sedandum esse arbitror. Novare omnia in novam faciem agnus ille potest; nos vero turbare omnia facile possumus, non autem in nobis situm videtur placare turbata, quod humiliter ut dixi divino afflatu conandum, id efficiet, si visum, forte Christus; id ipsum videt, quod nos vix cogitatione apprehenderimus. Inge-

nue fateor tibi, Frater Chariſſime, quod ſemper magis ac magis de negotio addubito; neque id injuria. Perſpicuum enim eſt ex uſu rerum, quam facili momento, vulgus vertatur, modo velit optime, mox peſſime. Non dico negotium Chriſti intermitterdum, ſed condonandum craſſiori plebi multa. Sunt, quæ dicis, quædam neceſſaria Chriſtiano, ſunt quæ nominatim ignorata ex prioribus ſuapte ſponte intelligerentur. Quarum rerum notitiam recentem tenes, utpote inſtructiſſimus ſacris & pro Caſtris quotidie propugnans cum *hoſtibus*. *Repone animum in cogitationem noſtræ imbecillitatis*, lacte paſtos inidoneos non cibo ſolidiore; ne exſtinguas nimia ſedulitate plebejam devotionem, ne prædica per contentionem, ſed per charitatem verbum Chriſti. Omnia hæc quam ſtulta ſint ſcripta cognoſces a (*a*) Cœna, cupiente videlicet optima Luthero & optante pacem, conanteque rem ad concordiam pro viribus perducere, neque dubito, quin idem tibi ſit animus, quem permittere hactenus noluerunt adverſarii, quorum finis interitus, ſiquidem ex contentione natis, ſi quidem conflatis ex fucis, Sycophantiis, impoſturis. Orandum eſt, ut ſit pax in diebus noſtris, per Jeſum Chriſtum, in cujus nomine perpetuo va-

(*a*) Ita ſcriptum erat in Apographo. Sed puto ſcribendum eſſe *Capitone*.

valeas, Christianissimum pectus,& cor meum. Mogunt. prid. Non. Dec. *Anni* XX.

T. Capito.

L.

# EIUSDEM ad EUNDEM (a) epistola.

Lutherum ad moderationem compellit. Exemplum Christi ob oculos ponit. Suadet, ut sepositis affectibus agat. Neque se induci patiatur, ut liberius æquo Magnatum vitia taxet.

S. Persuasum est vulgo præsertim ab initio causæ tuæ, quod incitatus amore pietatis, ad eam arenam, in qua nunc insistis, concesseris. Neque quidquam est plausibilius,



(a) Ut scopum ac sensum hujus & sequentis epistolæ cognoscas, consule Scult. Ann. Dec. I. pag. 96. sqq. Seckend. L. I. p. 175. sqq. I. H. Maji hist. Reform. p. 74. sqq. Literæ Lutheri ad Albertum, Cardinalem, Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgicum leguntur in Opp. Luth. Jen. Germ. T. I. p. 556. Wittenb. Lat. T. II. n. 12. Aldenb. T. I. fol. 925. sq. Hujus autem ad Lutherum leniissima responsio apparet in Jen. Germ. T. I. p. 557. Opp. Witt. Lat. T. II. n. 13. Aldenb. T. I. p. 927. sq. & L. II. Epist. p. 37. sq. Scripta autem illa fuerat ex consilio & stylo Capitonis, qui ejus a consiliis & concionibus erat. Quid autem Lutherus & Electori & Capitoni regesserit anno sequenti 1522. d. 17. Jan. operæ pretium est, ut cognoscas ex ejus epistola, quæ L. II. Epist. p. 36. sqq.

&

quam videri agere citra humanum affectum, a quo Christi placita longe lateque dissident. Verum indies pugna magis atque magis increscit, & videris, quod pace tua dixerim, impotentius agere, velut oblitus officii & professionis. Qua ratione multi a te desciscere fatentur etiam amicissimi. Et haud paulo iniquiores Rom. Ad hæc increbuit fama, jam nunc meditari te & in hoc totum incumbere, ut nominatim magnatum ecclesiasticorum vitia notes, quod profecto facies sine exemplo, nisi velis veterem imitari comœdiam, quam licentiosissimus ferre non potuit, sicut in Eupoli submerso, adeoque in ipso Aristophane videre est. Christus mansuetus inclamat Pharisæos, quorum nomina etiamnum latent, Paulus incestuosum ejecit, & pœnitentem ac emendatum restituit, suppresso nomine, quia nec per se infamiam quærit spiritus Christi, qui lenis est & paratior ad injuriam ferendum, quam irrogandum. Omitto, quod tragica vanitate, multa præter verum effingere cogeris. Nescit enim vel spiritus hominis quæ sunt in homine, & tu secretorum nostrorum, qui forte te ignoras, vis conscium reddere universum

& Germanice versa T. I. Aldenb. fol. 927. & Sculet. p. 112. reperitur. Mira prorsus in toto hoc negotio magnanimitas Lutheri elucet, & tantum non Θειον aliquid in ejus conatibus fuisse vel ex his apparet. T. d. H.

ſum orbem. Neque evidens, niſi quod teſtibus fide dignis conſtat, ne prætextu Chriſti, mundi leges tibi præſidio compares, & aſſeveres licere affirmare, quod in luce hominum exſiſtit. Eſt enim, quatenus Chriſtiana modeſtia diſſimulat, ut maxime apertum ſit, quod es exprobraturus. Cæterum, ne quid te celem, permoveare ne quid affectui indulgeas contra meum Principem, nam ſi humanitus agere inſtituis, & pergis inſervire aliorum affectibus, experieris forte & nos homines eſſe, quod tibi ſerio dictum puta, qui noſti quam leniter hactenus adverſum te conati ſimus, & certe ego nunquam tibi obfui. Oro itaque ne des occaſionem, nec in neceſſitatem inducas puſillos, ut animum exaſperent &c.

M.

## W. F. *Capitonis* epiſtola (*a*) ad *Melanchthonem.*

Laudat prudentiam Melanchthonis. Quomodo Albertus Card. duriores ad ſe Lutheri literas acceperit. Ejus in Lutherum, ejusque cauſam favor. Defendit eum a criminationibus. Ad modeſtiam & pacem hortatur. Laudat Melanchthonem.

Mirari ſatis nequeo prudentiam tuam, qui tam circumſpectas ad me dederis, nihil potuiſ-

(*a*) Eſt hæc epiſtola fere ejusdem cum antecedente argu-

potuisses commodius. Doctissimi Lutheri ad se scriptas Princeps legit, atque relegit placidissime nec aliud respondit etiam primo calore, quam acrem illam castigationem se non meritum, quando me authore cum Luthero hactenus clam feciſſet, illique vires atque authoritatem confirmasset. Tum monachos minoritas arcendo a petulantia, incessendi istum, tum edicta Cæsaris multis nominibus provocatus ex proposito intermittendo, neque se esse, qui Evangelium contemnat, quin religiose veneretur & colat, & sacris concionibus cupidius me operam det. Atqui rescripsit opinor ex animi tui sententia. Tuum erit, mi Philippe, curare, ne suboleſcentem Spiritum exstinguatis lacessendo; amantem pacis & otii liberalis. Nam si temere rixam moveritis, suboriturum video gravissimum incendium, quo eruditi etiam committantur, quos nulla munerum pollicitatio hactenus potuit committere, & in vos recidet suspicio, tanquam magis libidine, & impatientia animi, quam impatienti charitate acue-

gumenti. Patet exinde, quo animo erga causam Lutheri fuerit Albertus Elector. Meminit hujus Sculetus in Ann. Dec. I. p. 98. Epistolam Melanchthonis, ad quam Capito his respondet, quam Seckendorffius *notabilem* appellat, in ejus Epistol. Volumine non exstantem, ex ipso autographo, quod manibus teneo, jam descripseram, tecum ut communem facerem, sed deinde deprehendi jam integram a Sculteto p. 96. Ann. vulgatam esse. T. d. H.

acueritis ſtilum in tantum Principem deferentem veſtro gregi rara quadam humanitate. Sunt alioquin Principes Adulteri, Scortatores, Luſores, & in voluptates ſumptoſiſſimas propenſi, ſunt epiſcopi bellatores, & prophanis prophaniores, quibus nemo obgannit, & hic etiam omni ſtilo & linguis debet eſſe objectus, qui ſi peccat, magis peccat amore religionis & ſtudio ad verum cultum, quam malitia, in quem prodegit opes plusquam principales parituras aliis in cædibus & ſanguine humano fundendo. Adde quod rem propius agnoſcens ad legenda ſacra, ad audiendas evangelicas, conciones, ad primas Epiſcopi partes fungendas ſe deſtinavit, nam dicendi Evangelii animum pridem inſumſit, hactenus tamen deterritus eſt, ne conaretur, liberali pudore, & reverentia Eccleſiaſticæ majeſtatis, quam vere expendit viribus ſuis ſuperiorem. Hæc neſcio, quid aliud cogitans ſcribo, ne, quod metuam, me deſideraturum veſtram modeſtiam, ſed ut ſimpliciter & candide meam vobis ſententiam aperiam, quia videtis Lutherum non ſolum non contemtum, ſed illi habitum honorem, tanquam Evangeliſtæ, ulnis reprehenſionem ambabus, quod ajunt, amplectimur. Jonæ heri varia communicavi, quem ſimul oravi tecum, vel ob communem fidei profeſſi nem caveat, ne ipſi nobis autores internecionis ſimus, & ne, quod ajunt, noſtra ipſi vineta demetamus. Offendemus aliqui

qui, haud dubie Christum, modestiæ & pacis exemplum. Principis itaque responsum habes humanum, & prope supplex, quod is sua manu nemine præeunte conscripsit, mox a lectis literis, Lutheri nimirum, se illis fratri suo increpanti tragicum quid submittens. Vale, mi Philippe, gemma nostri seculi, & perge fidem, ut soles asserere, quo officio totum orbem, quam late pateat, in te observandum impelles, præterquam, quod divinitus inde præmium amplissimum feres Vale. Hallæ 21. Decemb. 1521.

Visum fuerat his addere aliam Lutheri epistolam, quam a. 1529. Marpurgo ad uxorem scripserat, valde notabilem. Sed deprehendi eam jam à celeberrimo Miegio in Monumentis literariis Palatinis P. II. pag. 39. vulgatam. Id itaque solum monere liceat, hanc à me cum ipso autographo collatam ei convenire ad amussim. Tantum adjiciam inscriptionem epistolii, in memorato libro omissam.

Meinem freundlichen lieben Herren Catharina Lutherin/ *Doctorin*, Predigerin zu Wittenbergh. T. d. H.

VI.

VI.

# CHRIST. AUG. HEUMANNI,

## Epistola responsoria (a)

ad

## V. CL. JOH. LAUR. MOSHEMIUM.

ETsi serius accepi Epistolam Tuam, VIR celeberrime, (fasciculum enim illum *Bibliothecæ Bremensis*, cui eam Cal. Maj. A. 1720. scriptam inseueras, postremo demum ejusdem anni mense videre mihi licuit,) ea tamen tantum abest, ut gratiam novitatis jam exuerit, ut potius illa Tui erga me amoris declaratio publica non mediocri mihi fuerit voluptati. Nec vero propterea de Tuo amore mihi gratulabar ac gaudebam, quod is Tibi nimis honorifica de me verba expressérat, (hoc enim unum in literis Tuis placere mihi non poterat, obstrepente tenuitatis meæ conscientiâ,) sed quod socium Te mihi præbere dignatus es in investiganda veritate & exterminando uno alterove errore e Rep. literaria. Hoc eo magis mihi gratum erat, quod intelligebam, Te & ingenii singulari pollere acumine,

(a) V. Cl. IV. fasc. I. p. 34. seqq.

ne, (quod vel ex ista epistola philosophico sane sale abunde conspersa elucet,) & ea esse animi fortitudine, ut præjudicatis haud succumbas opinionibus, sed de omnibus accurate philosopheris, & nudam nulloque fuco illitam amplexeris veritatem. Pauci profecto ad istud fastigium in studio sapientiæ pervenerunt, sed plerique ac ii maxime, qui theologica δοκησισοφίᾳ laborant, eos, quos bene de orbe literato merendi studium subinde compellit ad refellendos inveteratos errores, tam inhonestis adoriuntur armis, ut ne sophismatibus quidem atque calumniis abstineant. Tibi vero, VIR eruditissime, cum longe alia arriserit disceptandi ratio, non ægre in arenam Tecum descendo, discessurus quippe non tristis, sive vicero, sive victus fuero. Enimvero sinceri veritatis cultores, ut sola veritas triumphet, exoptant, adeoque nec sibi ipsis, cum errant, ignoscunt, sed refutari a quovis errata sua, veritatique præstari patrocinium, & æquo animo ferunt & magnopere gaudent. Quam vero patiens honestæ refutationis sim, ut & Tu, doctissime MOSHEMI, & boni omnes intelligerent, statuebam initio nihil publicæ responsionis literis Tuis humanissimis reponere, sed arbitrium permittere lectoribus, ut sive meæ sive Tuæ subscriberent sententiæ. At cum visus sis in literis Tuis exigere nonnullam responsionem, ne in Tuam humanitatem pec-

casse

cassе dicar, paucas profero annotationes, quæ mihi semel iterumque legenti Tuam Epistolam occurrerunt. En illas!

*Pag. 39.* nolles, me Dissertationem meam inscripsisse *Refutationem fabulæ.* Triumphum scilicet cecinisse videri possim ante victoriam. At scias, VIR optime. hic loci *fabulam* nihil esse aliud, quam *vulgarem narrationem*, quæ æque vera ac falsa esse potest. *Fabula* enim id proprie significat, atque hoc sensu usurpatur crebro a præstantissimis scriptoribus. *Phædrus lib. II. fab. 5. v. 6.* historiam aliquam vulgo notissimam appellat *fabulam veram.* Lege, quæso, quæ hanc in rem non ita pridem annotavi ad *Quintiliani Dial. de caus. corr. eloq. cap. III. n. 1.* Cæterum etsi illo sensu, quem dixi, & quo *fabula* etiam *vera* potest esse, id nominis in titulo dissertationis meæ cepi, tamen deinceps illam de Joanne in oleum conjecto narrationem etiam arctiore sensu appellare non dubitavi *fabulam*, id est, narrationem falsam: atque hoc ipsum est, quod non satis evictum a me fuisse existimas. Nam narrationem illam esse *fabulam*, hoc est, relationem in vulgus quoque notam, nec Tu negas, nec unquam quisquam negaverit.

*Pag. 49.* exhibes Tuam de ista narratione sententiam. Scilicet non defendis eam pro vera certaque, sed nec eam pro explorate falsa habes, adeoque rem in medio relin-

quendam esse contendis. Ac sane sunt hujus generis plura in omni historia, de quibus neutram in partem pronuntiandum, sed vetus illud NON LIQUET usurpandum est. An hanc in classem referenda sit ista, de qua disputamus, vulgi fabula, statim videbimus.

*Pag. 50.* credis, me concessurum, nihil esse in ista narratione, quod a temporibus illis alienum sit. Ego vero, VIR doctissime, id neutiquam concedo. Non enim usquam legi, Domitiani ævo id genus supplicii in usu fuisse. Quod si mihi objicis, quæ *Sagittarius* affert *lib. de cruciatibus martyrum cap. X. §. 44. & 45.* respondeo, ea non solum ævo Domitiani esse juniora, verum etiam fide martyrologica niti, quæ jamdudum pari passu ambulat cum fide poëtica. Addo, a possibilitate non esse argumentandum ad probabilitatem. Licet enim illud supplicium iis temporibus fuerit usitatum, (quod tamen an demonstrari possit, dubito,) tamen haud est probabile, eam Domitiani crudelitatem Christianis manifesse incognitam. Quod si cognitum Christianis fuisset, Joannem oleo immersum esse freventi, rursus haud sane verosimile est, eos pertinaci tecturos fuisse silentio historiam memoria nunquam intermoriturâ usque adeo dignam.

*Pag. 50.* videris, VIR clarissime hanc mihi tribuere conclusionem: *Narratio de Joanne*

*illa*

*illa eſt falſa, quia unius ea duntaxat hominis nititur teſtimonio.* Ego vero non ita, ſed hunc ſum argumentatus in modum: *Hæc narratio eſt falſa, quia unicum illud Tertulliani teſtimonium falſitatis poteſt lucide convinci.* Sed video, Temet ipſum *p.* 52. agnoſcere, priorem argumentationem non eſſe mihi tribuendam: atque adeo quieſco hac æquitate Tua.

*Pag.* 51. efficere ſtudes, non primum id narraſſe *Tertullianum*, ſed eum referre traditionem vulgi. Facile hoc concedo, VIR optime. Tantum addo, particularem hanc fuiſſe vulgi traditionem, non univerſalem. Alias non provocaſſet *Hieronymus* ad *Tertulliani* teſtimonium, ſed ad conſenſum orbis Chriſtiani. Ac *p.* 52. ipſe huc deſcendis, aſſentiens, unum eſſe *Tertullianum*, quem *Hieronymus* cæterique ſint ſecuti ducem.

*P.* 52. ſcribis, *Tertulliani* teſtimonium a me duabus rejici de cauſis, primo ob ejus viri credulitatem, deinde ob aliorum ea de re ſilentium. Sed audi me, VIR doctiſſime. Prius argumentum, quod Tu primo collocas loco, mihi duntaxat ſecundarium eſt argumentum, quo utor ad expugnandum auctoritatis præjudicium. Doceo igitur, non mirum eſſe, falſa hic tradere *Tertullianum*, quippe qui & alias nimis facile fidem habuerit vulgi traditionibus. Sed quid plura diſputem hac de re, cum ipſe *p.* 55. ſapienter illud argumentum miſſum facias, & in verum

meum argumentum omnem impetum convertas.

Itaque *p. 55.* aggrederis verum meum argumentum a silentio historicorum petitum. Sed nec hic mentem assecutus es meam. Mea enim argumentatio ita se habet: *Quæ narratio siletur ab iis, qui primo non poterant non rem habere cognitam, si vera esset; deinde, si cognitam habuissent, non fuissent tacituri, ea merito pro fabula habetur.* Vide sis meum *Lutherum Apocalypticum p. 96. §. XX.* ubi eadem forma hoc argumentum repræsentavi.

*Pag. 56.* argumentum meum a silentio petitum argute invertens ita argumentaris: *Si posteriores scriptores putassent, falsa narrari a Tertulliano, eum refutaturi erant saltim tribus verbis. Atqui id nemo fecit. Tacent ii,* inquis pag. 58. *qui non tacuissent,* si fabulam existimassent. Respondeo, illud ævum non fuisse historico - criticum, quale nostrum est, sed ad fabulas propagandas, quam ejiciendas, aptius. Accedit, illa ætate partem pietatis habitam fuisse, conservare fabulas ædificationi aptas, imo excogitare. Tu quidem, VIR doctissime, ignorare id non potes, ac ego, si aliunde non nossem, ex solo *Dallæi de usu Patrum* incomparabili Opere discere potui. Denique si Tuum illud argumentum esset ratum, vah! quanta multitudo fabularum foret retinenda, quæ repugnante nemine per plura sæcula fuerunt bona fide creditæ! Quis fabulam de Joanna

Papis-

Papiſſa notavit ante *Aventinum*? Quis non ſimpliciſſima credulitate amplexus eſt, quæ *Launojus* demum, *Dupinius*, *Centuriatores Magdeburgici*, aliique falſi convicerunt? Ac ipſe *p. 36 Plurima*, inquis, *Patres noſtri crediderunt, quæ in lucubrationibus anicularum numero.*

*Pag. 58.* ſub examen vocas ſilentium *Hieronymi.* Dicis eum in *Catal. ſcript. eccl.* illam narrationem fuiſſe refutaturum, ſi eam pro falſa habuiſſet. Annon, VIR optime, multo majori jure ſic ego reſpondeo: *Hieronymus* iſto loco illius hiſtoriæ mentionem feciſſet, niſi eam pro falſa habuiſſet. Quod igitur eam non commemoravit, cum commodiſſimam haberet occaſionem ejus commemorandæ, ex eo merito colligimus, *Hieronymo* eam non viſam fuiſſe veram. Quod non impugnavit eam, ideo fecit, quia illo ævo non erat moris, ea refutare, unde ſpes erat nonnihil acceſſurum eſſe vel ad pietatem plebis vel ad honorem Joannis Apoſtoli.

*P. 59.* & 60. ideo negas, a me recte urgeri ſilentium *Irenæi*, *Euſebii*, *Origenis* & *Hippolyti*, quod nullus eorum inſtituerit perfectam deſcribere Joannis hiſtoriam. Hic pace Tua ſic reſpondeo: Quatuorviri iſti locis a me adductis aliquid narrant, quod eos ultro invitabat ad memorandum illum Joannis caſum, ſi is ipſis fuiſſet cognitus, verusque habitus. Præterea e re ipſorum erat, iſtis locis laudare Joannem. Dum igitur tacent,

cent, clamare mihi videntur, se nihil tale de Joanne compertum habuisse.

*Pag.* 60. novum fulcrum Tuæ supponis antitheſi seu potius dubitationi. Fortasse, inquis, hæc historia in libris exstitit, qui jam perierunt. Sed paucis respondeo, in deperditis illis libris exstitisse eam non posse, quia, si eam pro vera habuissent laudati viri, in superstitibus libris eam non omisissent, oblatis quippe pluribus iisque perpulchris occasionibus eam commemorandi.

*Pag.* 61. suspicaris, *Eusebium* ac reliquos tres modo memoratos scriptores eam tacuisse ob causam, quia non legerint *Tertullianum*, scriptorem quippe Latinum. Sed hoc facile, nisi fallor, dilui potest. Si namque ista historia esset vera, *Eusebio* cæterisque ea non fuisset cognoscenda e *Tertulliano*, sed etiam a Græcis scriptoribus decantata fuisset: idque eo magis necessarium est, quod in regione Græca lingua utenti diu vixit mortuusque est Joannes ille.

Videant jam alii, imo ipso videas, VIR Clarissime, utrum dicendum Tecum sit: *Non liquet*, an concedendum, me ad liquidum perduxisse, illam esse falsissimam fabulam. Nolo pluribus Tua morari tempora honestissimis destinata studiis, atque adeo concludo meam hanc disputationem repetitione argumenti mei. *Si*, inquam, *narratio Tertulliani esset vera, sequitur, eam notam atque decantatam fuisse*

*fuisse scriptoribus ecclesiasticis. Atqui posterius est falsum. Ergo & prius.*

Verum sentio, me abs Te revocari, doctissime MOSHEMI, & urgeri, ut aperiam causas, quibus ductus rejiciam pro suppositititiis *Polycarpi & Ignatii Epistolas* sine ulla exceptione. Vellem Tibi morem gerere, si mihi vacaret, ita, ut par est, hoc argumentum exsequi. At cum tantum otii mihi nunc relictum non sit, ut in mare hoc evehi queam, rogandus mihi es, ut ipse, si modo vacat, epistolas illas acerrimo subjicias examini, utriusque partis eruditorum rationes expendas, ac denique cum videris, utra pars præponderet, sententiam feras. Ad me quod attinet, novi quidem, me non protulisse novâ opinionem, sed *Ignatii Epistolas* jamdudum pro pseudonymis habitas fuisse a *Blondello*, *Dallæo*, *Salmasio*, *Albertino*, *Centuriatoribus Magdeburgicis*, *Mart. Chemnitio*, *Josua Arndio*, *Larroquano*, *Tenzelio*, *Sam. Basnagio*; eandemque de *Epistola Polycarpi* sententiam tulisse *Usserium*, *Blondellum*, *Dallæum*, *Boeclerum*; attamen non pertraxerunt hi viri in hanc me sententiam auctoritate sua, sed tantum confirmarunt. Meæ autem rationes præcipue hæ sunt, quod in Ignatianis Epistolis omnia manifesto tendunt ad stabiliendam auctoritatem vel potius dominatum Episcoporum; quod in illis frigida ineptique tumo-

ris & affectatæ humilitatis plena sunt omnia; quod sæculum II. & III. permultos aluit homines, qui scriptis sub sanctorum virorum nomine conscribendis publicandisque orbi illuserunt turpiter. Cæteras, quibus motus sum, rationes omitto. Vide, si placet, quæ jam A. 1710. hoc de argumento disserui in *Actis Eruditorum Lipsiensibus p.* 197.

Vale VIR eruditissime, mecumque perge in hoc stadio literario strenue decurrere, non invidum, sed admiratorem atque æmulum me habiturus, si longo intervallo præcurreris. Gottingæ d. XXIV. Januar. cIↃ IↃCCXXI.

VII.

# CLEMENTIS VIII. Papae ad Senatum *Basilienſem* Literae.

*Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit Auceps!*

## Dilectis nobis Conſuli & Senatui Civitatis Baſileæ

## CLEMENS PAPA VIII.

DIlecti nobis: Salutem, & divinæ gratiæ lumen. Accepimus literas veſtras, quibus à nobis diligenter petitis, ut N. N. Civem veſtrum è cuſtodia, in qua hujus Sanctæ generalis inquiſitionis decreto detinebatur, educi ac emitti jubeamus, ſed antequam redditæ nobis eſſent literæ veſtræ, jam ille omni cum humanitate tractatus, & liber demiſſus fuerat, propterea quod Fidem Catholicam agnovit, quam hæc Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater & magiſtra ſemper docuit & docet. Quin etiam ſe eandem fidem jampridem ſuſceptam, conſtanter retenturum profeſſus eſt. Utinam & vos ſingulari Dei beneficio agnoſcatis eandem Catholicam fidem, quæ una eſt, non heri, aut

nudius tertius ab hominibus novitatis amatoribus excogitata, sed à Christo Domino, veritatis & vitæ auctore allata, qui eam Sanctos Apostolos suos, & beatissimum inprimis Apostolorum principem Petrum docuit, cui immobilis petræ firmitatem ipse dedit, qui portat omnia verbo virtutis suæ, & supra eandem petram, Ecclesiam suam ædificavit, & usque in finem seculorum ædificat, cui Regni cœlorum claves dedit & oves suas pascendas commisit. Petrus autem Romanæ Ecclesiæ ubi Apostolatus sui Cathedram constituit, eandem fidem tradidit, & sanguine profuso glorioso martyrio consignavit, quam unam & antiquissimam fidem Romani Pontifices, ipsius beati Petri successores, quamvis à Tyrannis & Hæreticis vehementissimè oppugnatam, in summa temporum varietate integram & inviolatam, per Dei gratiam conservârunt, & jam tot sæcula decurrerunt, usque ad humilitatem nostram, qui licet meritis impares, Dei tamen dispositione, in eadem Apostolica Petri sede, universali Ecclesiæ præsidentes pretiosum ejusdem Catholicæ fidei depositum, Spiritu Sancto auctore, illæsum atque illibatum conservamus.

Quam sanè Catholicam Romanam fidem, quæ ab initio, & per omnes ætates annuntiatur universo mundo, avi & majores vestri, non minus Religionis integritate & constantia, quam fortitudine præstantes, solam rece-

pe-

perunt, ſolamque profeſſi ſunt, omnisque fortiſſima Helvetiorum Natio profitebatur, non adeo veteri, ut noſtis, memoriâ, cum terra eſſet labii unius, ſermonumque eorundem, id eſt, cum omnes unum Deum, unam Fidem, unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, corde crederent ad Juſtitiam, & ore confiterentur ad ſalutem, à cujus Eccleſiæ firmitate, qui ſe ipſos præciderunt, quibus errorum fluctibus jactentur, quibus ventis doctrinæ veluti parvuli circumferantur, in quos denique hæreſium ſcopulos illidantur, nemo non videt, & vos facilè, ipſo rerum experimento edocti, animadvertere poteſtis, eos, qui ſemel à Veritate Catholica, & Romanæ Eccleſiæ communione diſceſſerunt, nusquam ſtabiles conſiſtere, nusquam certo in loco pedem figere, ſed ex errore in errorem præcipites ruere, ac poſtremò ad impietatem & Atheiſmum labi, & hic fructus eſt eorum, qui novam Eccleſiam, novam Fidem quærentes, nullam tandem Eccleſiam, nullam Fidem nec Deum habent, quæ eſt profunditas malorum & calamitatum omnium. Utinam hæc vos attentius conſideraretis, quæ certè, ſi animo ſedato & veritatis dignoſcendæ cupido conſiderentur, nimis manifeſta ſunt, vosque Catholicorum nepotes eſſe ad memoriam revocetis, & rejecto quovis obice, qui cœleſtis gratiæ lumen

ex-

excludit, in vos ipsos reversi, dicatis cum filio illo salutariter pœnitente, surgamus & eamus ad Patrem nostrum, ad Deum non dissensionis, sed pacis, ad Dominum Patris vestri, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum Veritatis, in qua sola panis vitæ reperitur, & extra quam nulla est salus, ad petram Fidei, supra quam Christus Dominus Ecclesiam suam fundavit; ad matrem vestram Romanam Ecclesiam, quæ majores vestros per Evangelium in Christo genuit, & maternæ charitatis non oblita, iterum vos intra gremium suum recipere optat ardentissimè. Nos pro nostro pastoralis officii munere, & zelo salutis animarum, & pro ea propensione, quâ erga Nationem Helveticam affecti sumus, non cessabimus orare Deum & Patrem misericordiæ, ut auferat velamen de cordibus vestris, omnesque tenebras depellat, ut unam Ecclesiam & unam Fidem Catholicam agnoscatis & profiteamini, nobisque aliquando vos, tanquam filios nostros dilectos è regione longinqua redeuntes, summo cum gaudio amplecti, & in visceribus Christi perpetuò retinere liceat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 11. Aprilis. MD. XCVII. Pontificatus nostri VI.

Sylvius Antonianus.

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Classis *Quartae*

FASCICULUS SEXTUS.



*BREMÆ,*

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXI.

VIRO
*Reverendo plurimum,*
*& clarisſimo*

# HERMANNO
van de
# WALL,

In florentisſima terrarum eccleſia, quae AMSTAELODAMI Chriſto colligitur, myſteriorum divinorum diſpenſatori fidelisſimo, facundisſimoque,

Viro, in quo ſolida rerum Theologicarum ſcientia cum pietate maſcula ſtabili juncta eſt connubio,

*Quar-*

*Quartum* hunc supra *vicesimum*

HUJUS

# BIBLIOTHECAE

## FASCICULUM,

impensissimi studii neque infucatae amicitiae monimentum

offerunt, atque dedicant,

UTQVE PORRO ILLAM SIBI velit esse de meliori nota commendatam, & quam sæpissime, quam plurimis politissimi ingenii, quo eminet, partubus augeri atque exornari,

cum optant, tum orant

EDITORES.

Coer-

## Coercet hic fascículus

I. Hermanni REINERS de τοις ΤΕΛΕΙΟΙΣ ad varia N. T. loca illustranda dissert. p. 949.

II. C. A. HEUMANNI ad 1. Joh. II. 20. de pansophia Christiana Comment. p. 991.

III. Theodori HASAEI de *Baptizatis Christo indutis* ad Gal. III, 27. Exercit. p. 1007.

IV. Jacobi HASAEI de THEOPHILO Lucæ Alexandrino, & testimonio, quod de illo habet Bar Bahlul, dissert. p. 1048.

V. Nova-historico Theologico-literaria p. 1081.

VI. Indicem quintuplicem

A. Auctorum & argumentorum *tertiæ* & quartæ classis p. 1098.

B. Scriptorum veterum in *quatuor* tomis hactenus illustratorum p. 1109.

C. Vocum Ebraicarum p. 1114.

D. Locorum Scripturæ explicatorum p. 1117.

E. Vocum Græcarum, Latinarum, rerum & materiarum p. 1128.



I.

# *HERMANNI REINERS*, V. D. M.

# Dissertatio de τοῖς ΤΕΛΕΙΟΙΣ ad locum 1. Cor. II: 6. & per accessionem ad loca Eph. IV, 13. 14. Phil. III, 15. Col. I, 28. IV, 12. Heb. V. 13. 14. VI. 1. Iac. I, 4. III. 2. Matth. V, 48.

## BREVIARIUM.

Τέλειον secundum Aristotelem tripliciter dicitur *quantitate*, *virtute*, & *consecutione finis*. Τέλειος significat animal Staturæ adultæ, conjugatum, athletam adultæ ætatis §. 1. initiatum sacris Eleusiniis, nam Gentiles credebant communicationem mysteriorum perficere eos qui initiabantur. Item victimam integram ætate ac corpore, eximium, amplum, Athletam perfectum

fectum, integrum & sincerum, denique probum qui in virtute proficere studet. §. 2. τέλειος bene latine redditur perfectus. Vox hæc 1. *Cor.* 11, 6. non ad res sed ad personas referenda est §. 3. Credentes sunt τέλειοι quia participes sunt perfectæ justitiæ Jesu Christi. §. 4. Item quia sunt adultæ ætatis & desponsati Christo §. 5. Inter ipsos adultos N. F. sunt gradus. Baptizati & S. Cœnæ participes dicti τέλειοι apud patres §. 6. probabile est alludere Paulum ad 1. *Cor.* 11, 6. ad Gentilium initiatos & ἐπ πτας & simul ad philosophos loquentes dictos & Judæorum גמרוים. probatur per τελείως intelligi provectiores in fide & cognitione §. 7. & perfectos discipulos & auditores §. 8. Illustrantur loca *Eph. IV*, 15. *Phil. III*, 15. *Heb. V*, 13. 14. *VI*, 1. *Luc. VI*, 40. 2. *Tim. III*, 17. §. 9. Credentes spectantur etiam ut perfectæ victimæ. Illustrantur loca *Col. I*, 28. *Jac. I*, 4. *Matth. XIX*, 20. §. 10. ut eximii & perfecti Athletæ. Illustrantur loca *Phil. III*, 15. *Col. IV*, 12. *Jac.* 1, 4. Judæi & Gentiles Virtutis studiosos vocarunt perfectos Athletas §. 11. Credentes τέλειοι sunt, quia sinceri sunt. Iudæi & gentiles sinceritatem, hominis perfectionem dixerunt. Ad hanc pertinet firmum propositum omnia Dei mandata observandi, & executio istius propositi. Illustratur locus Iac. III, 2. §. 12. una virtus sine aliis esse non potest. Credentes tamquam τέλειοι in omnibus Dei mandatis & juribus ambulant, præsertim imitatione Dei respectu caritatis, benignitatis & clementiæ. Illustrantur loca 1. *Joh. II*, 5. *IV*. 17. 18. *Matth. V*, 48. Gentiles clementiam vocarunt maximam perfectionem §. 13. plenissima caritas est in nemine. Locus 1. *Cor.* XIII, 9. 12. illustratus. Consensus Judæorum & Gentilium. Orandus Deus ut ipse nobis perfectionem dare velit. §. 14.

§. 1.

§. 1.

DE τοῖς τελείοις dissertaturo initium mihi a multiplici notione τοῦ τέλειος faciendum arbitror, siquidem, ut vere σοφῶς Epictetus, ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις *principium eruditionis est nominum trutinatio.* 1. τέλειος est a τέλος, notatque *perfectum* cui nihil deest, ad *finem perductum. Aristoteles Metaphys. L. V. C. 16.* docet τέλειον tripliciter dici, primo *quantitate* cum nulla pars debitæ quantitatis deest. Τέλειον λέγεται, ἓν μὲν, ᾧ μὴ ἔστιν ἔξω πλαβεῖν μηδὲ ἓν μόριον. *Perfectum dicitur uno quidem modo extra quod non est ullam accipere partem.* Secundo *virtute & excellentia* cum a nullo res in suo genere superatur. Καὶ τὸ κατ' ἀρετὴν καὶ τὸ εὖ, μὴ ἔχον ὑπερβολὴν πρὸς τι γένος, οἷον τέλειος ἰατρὸς, καὶ τέλειος αὐλητὴς, ὅλαν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπωσιν. οὕτω δὲ μεταφέροντες καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν λέγομεν αὐτούς, συκοφάντην τέλειον, καὶ κλέπτην τέλειον. ἐπειδήπερ καὶ ἀγαθοὺς λέγομεν αὐτούς, οἷον κλέπτην ἀγαθὸν, καὶ συκοφάντην ἀγαθόν. καὶ ἡ ἀρετὴ τελείωσίς τις. ἕκαστον γὰρ τότε τέλειον, καὶ ἡ οὐσία πᾶσα τότε τέλεια ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς, μηδὲν ἐλλείπει μόριον τῷ κατὰ φύσιν μεγέθους. *Et quod secundum virtutem, & quod est ejus quod bene, non habens excessum ad genus. Ut perfectus medicus, & perfectus tibicen, cum secundum propriam virtutis speciem in nullo deficiant. Ita etiam in malis metaphorice dici-*

*mus calumniatorem perfectum, & furem perfectum, quoniam etiam bonos eos appellamus : ut puta furem bonum & calumniatorem bonum. Virtus quoque quædam perfectio est. Unumquodque namque tunc perfectum est, cunctaque substantia tunc perfecta cum secundum speciem proprie virtutis nulla desit particula magnitudinis naturalis.* Tertio *Consecutione finis*, cum finem qui semper est optimum quid, obtinet. Ἔπι οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος σπουδαῖον ταῦτα λέγεται τέλεια, κατὰ γὰρ τὸ ἔχειν τέλος τέλεια *Item quibus finis studiosus est, ea perfecta dicuntur, etenim secundum quod habent finem, perfecta dicuntur.* II. Τέλειος notat maxime *animal staturæ adultæ*, seu quæ & qualis in confirmata est ætate, uti observat Celeberrimus Perizonius *in not. ad Ælianum* p. 305. Sic τέλειος usurpatur de *adulto equo* apud *Ælianum L.* VII c. 13. & τέλειος ἱέραξ est *justæ magnitudinis & integræ ætatis accipiter* apud eundem L. 11. c. 42. quomodo & τέλειαι γυναῖκες sunt *adultæ fœminæ L.* XIII. *c.* I. *Hesychius* τελείων ἤτοι τὴν ἡλικίαν ἢ ὁλοκλήρων αἰσινῶν. & τελειοῦσθαι dicebantur qui, ad virilem ætatem pervenerunt. *Aristoteles de Rep. L. VIII.* c. 5. p. *m.* 606. ἀλλ' ἴσως ἄν δόξειεν ἡ τῶν παίδων σπουδὴ, παιδίας ἕνεκα χάριν ἀνδράσι γενομένοις καὶ τελειωθεῖσιν. *Sed fortasse videatur alicui puerorum studium ludi causa esse comparatum, cum ad virilem ætatem pervenerunt, & adulti perfectique fuerint.* Hinc τέλειος est *conjugatus* & τέλος *nuptiæ. Pollux. L. III. Segm.* 38. καὶ τέλος ὁ γάμος ἐκαλεῖτο, καὶ τέλειοι οἱ-

εἰ γεγαμηκότες, διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα τελεία, ἡ ζυγία. ταύτη γὰρ τοῖς προτελείοις προυτέλουν τὰς κόρας, καὶ ἀρτέμιδι, καὶ μοίραις. *Tum etiam matrimonium* τέλος *appellabatur, &* τέλειοι *qui matrimonium inierant. Unde etiam ipsa copulatio* Ἥρα τελεία *vocatur à Junone. Hanc enim in primis illis sacrificiis virgines placabant Dianam quoque & parcas.* Vide insuper *Hesychium, Budæum C. G. l.* p. 335. *Spanhemium Obs. in hym. in Jovem* p. 24. & *hymn. in Apollinem* p. 57. Apud LXX. τελείωσις usurpatur pro בלולות *Sponsalia Jer.* II, 2. Cæterum τελέειν γάμον *conficere nuptias* legitur apud *Callimachum hymn. in Apollinem v.* 14. quem admodum τελεῖν usurpatur pro *opus Conjugii perficere* apud *Anacreontem od.* 23. Unde etiam dii qui præerant nuptiis τέλειοι dicti, sunt ut *Jupiter* ac *Juno* secundum *Plutarchum, Pollucem, Suidam Eustathium*, alios. Videatur Excellentissimus *Brissonius* de *Rit. Nup. p. m.* 44. 45. Quamquam etiam omnes majorum gentium dii τέλειοι dicti sunt, & præcipue *Jupiter* quod solo nutu omnia τελεῖν credebatur, uti observatum illustri *Spanhemio hymn. in Jovem* p. 24. & *hymn.* in *palladem* p. 642. & doctissimo *Elsnero* in *Obs. Sacr:* ad *Matth.* V. 48. Τέλειοι etim sunt *Athletæ adultæ ætatis*, qui alia quam pueri consequebantur præmia uti docet doctissimus *Lydius Agonist. Sacr. C. XXXV.*

§. 2. III. Τέλεος notat etiam *initiatum.* Unde qui Eleusiniis Sacris initiabantur, dicebantur τελεῖσθαι, τελίσκεσθαι & τελεῦσθαι. Τελεῖν

enim idem quod μυεῖν *initiare myſteriis*, & ἀπτέλεσοι ſunt ſacris Cabirorum initiati apud *Clem. Alexandrinum protrept.* p. 12. quomodo ἀτέλεσοι ſunt οἱ ἀμύητοι non *initiati* apud *Callimachum hymn. in Cerer.* v. 129. & *Ariſtotelem L.* III. c. 150. & τελεταὶ ſunt, omne genus ſacra maxime ſolennia & feſtiva. *Heſychius* τελεῖαὶ ἑορταὶ θυσίαι μυσήεια. *Suidas* τελετὴ θυσία, μυσηειώδης, ἡ μεγίση καὶ περιωτέρω, Verbum τελειόω apud LXX. Scriptores ſacros, & Eccleſiaſticos ſignificat etiam *initiare*, in ſacrum ordinem cooptare *Exod.* XXIX. 9. 22. 26. 27. 29. 31. 33. 34. 35. *Lev.* VII, 37. VIII, 22. 29. 31. 33. Vide *Budæum C. G. l.* p. 325. Doctiſſimus *Clericus* exiſtimat τελειῶν ſignificare etiam apud Gentiles *Sacris Eleuſiniis initiare*, ita enim ſcribit ad *Heb.* VII. 11. *Ethnici putabant ſe a ſacerdotibus ſuis* διὰ τῶν τελετῶν τελειωθῆναι, *ſacrificiis initiari, ac conſecrari numini.* Sed Vir Celeberrimus idemque doctiſſimus *Taco Hajo van den Honert* Academiæ Lugdunæ Batavæ ſplendidum decus in libro, cui titulus *Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchizedeci* p. 191. erudite & ſolide, ut ſolet, oſtendit verbum τελειῶν nunquam in Cereris myſteriis ſignificare *initiare*, ſed ſemper *perficere*, ut adeo verba διὰ τῶν τελετῶν τελειωθῆναι verti debeant *myſteriis perfici.* Nimirum poſt κάθαρσιν & initiationem in minoribus myſteriis (ubi μύησαι arcana doctrinæ fundamenta diſcebant & ſeſe ad perceptionem majorum præparabant) poſt quinquennale interſtitium, aut mi-

minimum poſt annum integrum (ſecundum doctiſſimum van *Dale* diſſ. de *Gymnaſiarch. C. II.*) ad majora δευτέρα μυήσει recipiebantur & dicebantur ἐπόπται & ἔφοροι quod ſacrorum ſecreta & ceremonias ἐποπτεύειν commiſſum illis fuerit. Clemens Alexandrinus *Strom. L. V. p. m. 582.* μετὰ ταῦτα δ' ἐσὶ τὰ μικρὰ μυήεια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευὴς τῶν μελλόντων. Τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων, ἃ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ, καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν, καὶ τὰ πράγματα. *Poſt hæc autem ſunt parva myſteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum. In magnis autem de univerſis non reſtat amplius diſcere, ſed contemplari & mente comprehendere, & naturam & res ipſas.* Vide *Meurſium in Eleuſ. Sac.* & *Caſaubonum* in *Athen. L. VI. C. 15.* & ad *Annal. Eccl. Bar. Exerc.* XVI. Hanc vero communicationem myſteriorum putabant Gentiles perficere eos qui initiabantur. *Maximus in Cap. I. Dionyſ. Areop.* de *cœleſti Hierarch. c. 5.* Τελετὴ λέγεται κατὰ τὰς τῶν ἑλλήνων φιλοσόφους, ἡ μετάδοσις τῶν μυστηρίων, ὡς τε τελειοῦσα τὸν μυέμενον, καὶ τελειωτική. Τυγχάνουσα τῶν προσιόντων τοῖς τοιούτοις. τελετὴ *dicitur ſecundum gentiles philoſophos communicatio myſteriorum, tamquam perficiens eum, qui initiatur, & perfectiva exiſtens eorum qui ad talia accedunt.* Credebant enim recta ſibi a Deabus eleuſiniis conſilia immitti; ſe iis ad virtutem eſſe obſtrictos, ſe inde cum lætitia vivendi rationem accipere, atque ſic vitæ hujus felicitatem

possidere se optimam inde moriendi spem nanciscei; cum post mortem a peccatis liberari atque absolvi debeant, se denique in inferis inter mortuos πτοεδρίαν habituros, immo apud Deos habitaturos in æternum, cum non initiati in cœno & luto sese volutaturi sint, ut ex variis auctoribus ostenderunt præstantissimi viri, *Meursius* in *Eleus. Sacr. C.* II. IV. XVII. XVIII & *Gothofredus exercit.* ad *1. Tim. III*, 16. IV. Τέλειος usurpatur quoque de *victimis integris ætate ac corpore.* Hinc τέλεια ἱερὰ dicebant eximia, vel sanctiora, vel justa vel largiora & luculenta, secundum doct. *Budæum C. G. L.* p. 326. aut per excellentiam τέλεια ἱερὰ dicta fuere sacra solenni ritu facta, vel potius, quibus nihil deesset uti observat Eruditissimus *Jensius* in *ferc. Liter.* p. 27. Unde apud *Demosthenem* legitur ὀμόσαι καὶ ἱερῶν τελείων, *jurare per sacrificia* τέλεια, hoc est, ut exponitur ὁλοκληρα κατὰ τὴν ἡλικίαν, καὶ μὴ λελωσεμένα *quæ integra essent ætate ac corpore, non decurtatis membris.* Apud *Homerum Iliad I.* mentio fit ἄιγων τελείων *caprarum perfectarum.* Hesychius τελήεσσας, ἑκατόμβας τὰς ἐπιλεξικὰς τῶν γινομένων εὐχῶν θυσίας, ἢ τῷ ἀριθμῷ πλήρας. V. Τέλειον (notante Budæo *C. H. L.* p. 326,) *pro eximio & amplo* ponitur. VI. Τέλειοι etiam dicuntur *Athletæ*, qui aut in pugilicertamine, aut lucta, aut utroque simul τελείως perfecte sese exercuerant *Plato* de *Leg. L. VII. p. m.* 630. Διαφέρει δὲ παμπολυ, μαθὼν τε μὴ μαθόντος, καὶ ἐ γυμνα-

στὴ-

σάμενος τὸ μὴ γεγυμνασμένου, καθάπερ γὰρ ὁ τελέως παγκράτιον ἠσκηκὼς, ἢ πυγμὴν, ἢ πάλην ἀπ τῶν ἀριστερῶν ἀδύνατος ἐστι μάχεσθαι. χωλαίνει δὲ καὶ ἐφέλκεται πλημμελῶν, ὁ πόταν αὐτὸν τις μεταβιβάζων ἐπὶ θάτερα ἀναγκάζῃ διαπονεῖν. *Differt autem multum qui didicit, ab eo qui non didicit: & exercitatus ab eo qui minime exercitatus est. Nam quemadmodum qui aut in pugili certamine aut lucta, aut utroque simul perfecte se exercuit, potis est congredi a sinistris & præsto se accommodat, quando ad partem alteram transferre cogitur. Id ipsum arbitror in armis ac cæteris rebus rectissimum esse. Quare oportet si duo quædam quis possidet, quibus se defendat, & alios cædat: ut nihil horum pro viribus otiosum inexercitatumque relinquat.* Vide *Lydium Agonist. Sacr. C. XXXV.* VII. Τέλειος est *integer & sincerus*, absque hypocrisi, *innocens*. Hinc apud Seniores ponitur pro שלם *3. Reg. VIII, 62. XI, 4. 1. Par. XXVI,* 11. 29. תמם *Gen. VI*, 9. *Exod. XII*, 5. *Deut. XVIII*, 13. *2. Reg. XXII, 26.* Cujus radicis primam notionem esse simplicitatem oppositam duplicationi, ostendit *Clar. Goussetus*, quæ vox alias ab iisdem vertitur ἄμωμος *Ps.* XV, 2. XVIII, 24. LXIV, 5. &c. ἄκακος *Job.* VIII, 20. *Ps.* VII, 9. 26. & ἄμεμπτος *Gen.* XVII, 1. *Job.* I, 1. & תם *Cant.* V, 3. VI, 8. quod alias redditur ἁπλαῖος *sine fuco* aut *simulatione* התמם 2. *Reg.* XXII, 26. vertunt τέλειος εἰμι, *perfectus sum* & תמה *Prov. II,* 3. Τελειότης. IX. Homo τέλειος est *probus, bonus*, qui in virtute proficere studet. *Stobæus* τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα τέλειον εἶναι λέγουσι, διὰ τὸ μηδε-

μίας ἀπολείπεσθαι ἀρετῆς *virum bonum perfectum esse dicunt, ideo quod nulla virtute caret.* Epictetus Enchirid. c. 75. ἤδη οὖν ἀζίωσον σεαυτὸν βιοῦν ὡς τέλειον καὶ προκόπτοντα. *Nunc igitur viri perfecti & proficientis vitam tibi sume.* Ad quæ ita Simplicius p. 324. οὐχ ὡς τέλος ἀπειληφότα. ἐκεῖνος γὰρ οὐ δεῖται τούτων τῶν λόγων. ἀλλ' ὡς κατὰ τὸ προκόπτειν τέλειον, τῷ ἀεὶ προκόπτειν καὶ μηδαμοῦ διακόπτειν τὴν προκοπήν. *Non quod perfectionem sis assecutus (id enim sermones hujusmodi non desiderant) sed quasi ratione progressuum perfectus, qui nunquam progredi desistas, nunquam cesses aut remollescas.* Τέλειος ad summam quoque animi sanctitatem significandam pertinere, probavit ex Plutarcho *Clar. Jensius* in *ferc. Liter.* p. 28.

§. 3. Atque ita τοῦ τέλειος vim & uberem notionem distincte satis explicasse me existimo. Celeberrimus *Heinsius in Exercit. Sacr.* ad *Matth. V.* scribit sibi non satisfacere eos qui in his similibusque locis *perfectionis* voce aut *perfectorum* usi sunt. Hujusmodi interpretationes & voces Catharos aliosque id genus omnes quos puritatis demum afflavit opinio, primo peperisse & confirmasse, sed recte omnino judicat magnus *Salmasius* L. II. *de fœn. Trapezit.* Catharos & Novatianos τελείου vocem non intulisse in novum testamentum, & ubicunq; τέλειος in græcis reperiatur, ibi comparere posse & *perfectum* latinorum. Antequam vero ostendamus quo sensu fideles N. T. in sub-

subjectis locis τέλειοι dicantur, supponimus vocem τέλειος in primo loco non ad res sed ad personas referendam esse, nam Apostolus σοφίαν non conjungit cum τελείοις, sed cum λαλοῦμεν, & Apostoli scopus in hoc versu non videtur esse sapientiam Evangelii describere ab aliqua conditione, hoc enim facit, v. 7. sed ostendere quibus sapiat quam prædicabat sapientia. Sunt tamen eruditissimi quidam viri ut *Bullingerus*, *Knathbul* & *Hombergius*, qui illud ἐν τοῖς τελείοις in genere neutro accipiunt, ut σοφία ἐν τελείοις sit *perfecta* illa, *sacra* & *divina sapientia*, quoniam 1. Corinthii non erant τέλειοι sed νήπιοι & σαρκικοὶ 1. *Cor. III. 1. XIII.* 11. 14. 20. neque Paulum ad alios adultos respicere. II. quia opponitur τῇ ἀνθρωπίνῃ vs. 4. III. Quia phrasis parallela σοφία ἐν μυστηρίῳ, est Paulo ipso explicante, *abscondita*. Sed hisce rationibus manum dare non possum. Ad primam enim respondeo cum *Augustino Epist. 59. ad Paulinum Tom. 2. Col. 301. Scripturæ mos est ita loqui de parte, tanquam de toto. Sicut Corinthios in primis suæ Epistolæ partibus ita laudat, tamquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tamquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinam scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam, quisquis diligenter advertit, multa dissolvit quæ inter se videntur esse contraria.* Sic cum Apostolus *Heb. V.* scri-

V. scribit Hebræos opus habere lacte, non solido cibo, non loquitur de tota Hebræorum Ecclesia, sed de magna parte, nam iis postea *Cap. VII.* solidum cibum tradit, immo & ardua mysteria proposuerat hactenus. Ad secundam facilis etiam est responsio, nam σοφία hic directe non opponitur ἀνθρωπίνη, hoc enim fit vs. 7. ἀλλὰ λαλοῦμεν σοφίαν θεοῦ. Sed τέλειοι *perfecti* aut *perfectiores* opponuntur *imperfectis* aut *imperfectioribus*. Quocirca ἐν τελείοις pro adjectivo non potest capi, quamquam alias Hebræi substantivum cum præpositione pro adjectivo frequenter usurpare soleant.

§. 4. Videamus jam qua ratione credentes titulo τῶν τελείων ornentur. Et primo quidem τέλειοι sunt omnes & singuli credentes sub N. T. quia participes sunt *perfectæ justitiæ* Jesu Christi, in qua nulla pars debitæ quantitatis deest quæ a nulla in suo genere superatur, & quæ finem optimum obtinet. Christus enim non tantum dicere poterat ἐμὸν βρῶμά ἐστιν ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον *Joh. IV. 34. V. 36.* & τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι *Luc. XIII. 32.* sed & τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω *Joh. XVII. 4.* & τετέλεσθαι *Joh. XIX. 30.* qui proinde ut ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας διὰ παθημάτων τελειωθεὶς *Hebr. II. 10.* & τελειωθεὶς ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου *Hebr. V. 9.* Et in illo habent credentes eam τελείωσιν quæ non erat διὰ τῆς λευι-

λευϊτικῆς ἱερωσύνης *Heb. VII.* 11. *Lex enim* οὐδὲν ἐτελείωσε *vſ.* 19. quæ non poterat κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα *Hebr. IX.* 9. aut τὰς προσερχομένους τελειῶσει, ſed Chriſtus μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τὰς ἁγιασμένους *Hebr. X.* 14. quare lex in illo nacta eſt τέλος *Rom. X.* 4. Hinc etiam credentes dicuntur veniſſe ad πνεύματα δικαίων τετελειωμένων *Hebr. XII.* 23. quam phraſin non de hominibus juſtis in terra degentibus, ſed de fidelibus poſt hanc vitam ſuperſtitibus intelligendam eſſe erudite docet doctiſſimus *Th. Haſæus diſſ. ad Luc. XV.* §. 10. in *Bibl. Brem. Claſſ. I. faſc. II.* hinc poſſunt τελείως ἐλπίζειν ἐπὶ τὴν φερομένην χάριν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ χριστοῦ, 1. *Pet. I.* 13. Unde πᾶς ἄνθρωπος eſt τέλειος ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *Col. I.* 28. ubi tamen *Clemens Alexandrinus Strom. L. V. p. m.* 577. per πάντα ἄνθρωπον intelligit non *omnem* ſed *totum hominem* πάντα ἁπλῶς ἄνθρωπον. ἐπεὶ οὐδεὶς ἂν ἦν ἄπιστος· ὁ δὲ μὴν πάντα τὸν πιστεύοντα τέλειον ἐν χριστῷ ἀλλὰ πάντα ἄνθρωπον λέγει, ὡς εἰπεῖν ὅλον τὸν ἄνθρωπον, ὅιον σώματι καὶ ψυχῇ ἡγνισμένον. *Non omnem hominum abſolute, quoniam nullus eſſet infidelis: ſed nec omnem qui credit perfectum in Chriſto: ſed omnem dicit hominem perinde ac ſi diceret, totum hominem, utpote ſanctificatum corpore & anima.* Et quod non ſit omnium cognitio probat ex *Coloſ. II.* 23. *Col. IV.* 3. 4. *Heb. V.* 11. 12. 13. præſtat tamen per πάντα ἄνθρωπον omnis generis credentem intelligere, qui omnino in Chriſto perfectus eſt quatenus juſtitiæ ejus perfectiſ-

fectisſimæ aliorumque donorum ſpiritualium vere particeps eſt. Hinc Paulus *Col. II.* 10. Καὶ ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, quare etiam omnes credentes, in Chriſto ſunt τετελειωμένοι *Joh. XVII: 23.*

§. 5. Hujus τελειώσεως ratione omnes credentes ſunt quoque *Staturæ adultæ* in confirmata ætate, oppoſite ad ſtatum infantilem patriarcharum ſub promiſſione, & ſtatum puerilem Eccleſiæ Judaicæ ſub lege *Gal. IV.* quando in ſervitute elementorum mundierat exprobratio pueritiæ, cum tota eſſet pædagogica quæ minutilis præceptis ac dogmatibus conſtabat, qualia præſcribuntur pueruli. Huc trahit *Alexandrinus Clemens* pædag. *L. I.* p. 97. verba Pauli 1 Cor. XIII. 11. χάριν τοίνυν οὕτως ἐξηγήσασθαι τὸ, ὅτε ἤμην νήπιος, τουτέστιν, ὅτε ἤμην Ἰουδαῖος. Ἑβραῖος γὰρ ἄνωθεν ἦν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ἐπειδὴ εἰπόμην τῷ νόμῳ, ἐπειδὲ γέγονα ἀνήρ, οὐκ ἔτι τὰ τοῦ νηπίου τουτέστι τὰ τοῦ νόμου ἀλλὰ τὰ τοῦ ἀνδρὸς φρονῶ, τουτέστιν τὰ τοῦ χριστοῦ. Ὃν μόνον ἄνδρα ἡ γραφή, καθὼς προειρήκαμεν, καλεῖ. Κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου· ἡ δὲ ἐν χριστῷ νηπιότης, τελείωσις ἐστιν ὡς πρὸς τὸν νόμον ἐν τούτοις γενομένοις τῇ νηπιότητι ἡμῶν συνηγορητέον. Eleganter ergo exponi poteſt illud, *quando eram infans: hoc eſt quando eram Judæus (erat enim a prima ſua origine Hebræus.) Cogitabam ut infans, quoniam ſequebar legem: poſtquam autem factus ſum vir, non amplius quæ ſunt infantis, hoc eſt quæ ſunt legis, ſed quæ ſunt viri cogito, hoc eſt*

quæ

*quæ ſunt Chriſti; quem ſolum virum ſcriptura vocat, ut ante diximus: Ceſſare feci quæ ſunt infantis. Quæ eſt autem in Chriſto infantia, eſt perfectio ſi cum lege conferatur.* Quicquid ſit de iſthac *Clementis* ſententia, certum eſt quod patres V. T. οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, τοῦ Θεοῦ περὶ ἡμῶν κρεῖττον τι προβλεψαμένου, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι *Hebr. XI. 39. 40.* Ubi χωρὶς ἡμῶν idem eſſe mihi videtur quod χωρισθέντες ἀπ' ἡμῶν, quo ſenſu χωρὶς ſumitur *Joh. XV. 5.* χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. hoc eſt χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ. & *Eph. II. 12.* χωρὶς Χριστοῦ eſt χωρισθέντες ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Placuit enim Deo demum εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς *Eph. I. 10.* Atque ita omnes Chriſtiani ſunt τέλειοι oppoſite ad τοὺς προηλπικότας & νηπίους V. T. quare *Chryſoſtomus ad 1 Cor. II. 6.* τελείους δὲ τοὺς πεπιστευκότας, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τέλειοι, οἱ τὰ ἀνθρώπινα εἰδότες ὅτι σφόδρα ἀσθενῆ, καὶ ὑπεριδόντες αὐτῶν, ὅτι μηδὲν αὐτοῖς σύμβαίνεται, πεπεπεισμένοι, οἷοι γεγόνασιν οἱ πιστοί *Perfectos autem eos dicit, qui crediderunt. Illi enim ſunt perfecti, qui cum norint res humanas eſſe valde imbecilles, & eas deſpexerint perſuaſum habent eas nihil conferre, cujusmodi ſunt fideles,* & *Hieronymus. Ne putetis & nos ſapientiam non habere, habemus divinam, ſed vos jam tunc capere minime poteratis, quæ jam credentibus aperitur.* Hinc Apoſtolus vocaverat Corinthios πιστεύοντας *Cap. I. 21.* & κλητοὺς *v. 24.* Et *Clemens Alexandrinus pædag. L. I. p. m. 108.* ad *Phil. III. 15.*

*III.* 15. hæc habet. Τελείωσιν δηλονότι λέγων τὸ ἀποτετάχθαι ταῖς ἁμαρτίαις, καὶ εἰς πίστιν τὴν μόνην τελείαν ἀναγεγεννῆσθαι, ἐκλαθομένους τῶν κατόπισθεν ἁμαρτιῶν. *Perfectionem scilicet dicens, renunciasse peccatis, & in fidem ejus, qui est perfectus, esse regeneratos, posteriorum peccatorum oblitos.* Et hi desponsati quoque sunt uni viro Christo 2 Cor. *XI.* 2. νύμφη τῷ ἀρνίῳ & ἡ γυνὴ *Apoc. XXI.* 9. Ut & adultæ ætatis athletæ, de quibus in sequentibus.

§. 6. Sed & inter ipsos *adultos* sub N. T. comparate ad νηπίους V. T. sunt alii incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Stoici in sapientiæ studio alios esse προκόπτοντας alios τελείους tradunt qui jam inciperent & adlubescerent, quique sapientiæ se darent, hos *studiosos* & *studere* dicebant, qui autem pervenissent *doctos* & eruditos, πεπαιδευμένους, seu παιδευθέντας. vide *Lipsium* manud. *ad Stoic. Phil. L. II. X.* verum autem sapientem vocant τέλειον, *consummatæ sapientiæ virum*, quem rarum esse inventu, immo nec inventum unquam ad eam quam exigunt normam, fatentur. Vide *Lipsium L. II. C. VIII. C. I. & IX. Pythagoras* habebat discipulos ἐσωτερικοὺς qui intra sindonem, & ἐξωτερικοὺς qui extra illum eum audiebant, uti refert *Jamblichus* de *vit. Pyth. p. m. 72. & sequ.* vide etiam *Clar. Schefferum de Phil. Ital. C. XI. p. 105.* Eruditissimus *Majus obs. Sacr. L. IV. p. 17.* observat velamine interposito sermonem habere cum aliquo ejus esse, qui eru-

diat

diat discipulos cum doctores tum rerum dicendarum lumen non sustinentes. Et secundum aliam philosophandi formam, dicebantur Pythagoræ auditores, ἀκουσματικοὶ, quibus tradebat auditiones demonstratione aut ratione destitutas, quibus indicabant quid res sit quid sit maxime, quid faciendum sit, quid non, & μαθηματικοὶ qui non tantum τὸ ὅτι præceptorum, sed etiam τὸ διότι cognita habuerunt, de quibus *Jamblichus* de *vit. Pyth. p.* 82. & *Porphyrius de vit. Pyth. p.* 37. & *Rittershusius* not. in *Porphyrium* p. 52. Judæi distinguebant quoque inter צדיקים (*a*) & צדיקים גמורים, per illos intelligebant, qui diu quidem, non ita ut eos decuerat, vixerant, at sero tandem per pœnitentiam ad meliorem frugem redierant, hos autem quos putabant a justitiæ semita deflexisse, sed ei constanter atque sedulo operam dedisse. Vide *Ligtfotum Hor. Hebr. in Luc.* XV, 7. Sic Rabbi Josua Ben Levi dicitur צדיק גמור *perfecte justus* in libro כל בו *fol.* 136. ut taceam צדיקים qui omnibus scripturæ mandatis se subjiciebant, & חסידים qui plusquam scriptura exigeret præstabant. In Christianismo sunt etiam gradus cognitionis, fidei & Sanctitatis ut μικροὶ *Matth.* X, 41. *Marc.* IX, 42 *Luc* XVII, 2. ἐλάχιστοι *Matth.* XXV, 40.



(*a*) De Δικαιοις τετελειωμενοις sive צדיקים גמורים Judaeorum, vide sis, quae a nobis disputata sunt Cl. I. fasc. II. s. 4. §. 10-19. T. d. H.

45. νήπιοι 1. *Cor.* III, 1. τεκνία & παιδία 1. *Joh.* II, 12. 13. νεανίσκοι 1. *Joh.* II, 13. & πατέρες v. 13. 14. de variis hiſce gradibus videatur *Celeberrimus Vitringa typ. Theol. Pract. C. VIII. Clemens Alexandrinus* etiam tres ponit gradus. In primo illi eſt ὁ ἐξ ἐθνῶν ἐπιστρέφων *qui ex gentibus convertitur*, in ſecundo ὁ εἰς γνῶσιν ἀναβαίνων qui ad ſcientiam adſcendit, in tertio ὁ κορυφαῖος, aut γνωστικὸς *ſummam obtinens ſcientiæ gradum. Origenes* memorat quoque τὰς ἁπλουστέρους, ἕως ἐπὶ πόσον ἀναβεβηκότας, ἕως τελείους. *Simpliciores, aliquo usque provectos perfectos.* Nimirum in primitiva Eccleſia qui paganiſmum deſerebant primo fiebant catechumeni, deinde competentes, poſtremo fideles & Chriſtiani, & primo quidem per *baptiſmum* qui hinc apud Græcos patres dicitur τελείωσις & τέλειον, & apud eos τελειῶσθαι eſt *baptizari*, τελειωθὴς *qui baptiſmum confert*, & τελεσθέντες *baptizati*, & μεμυημένοι hoc eſt *initiati*, Hinc illa uſitatiſſima formula in mentione Sacramentorum ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *norunt initiati* quod dicitur, quæ formula in unius Chryſoſthomi homiliis aut aliis ſcriptis minimum quinquaginta locis obſervari poteſt, ut notatum *Clar. Caſaubono Exercit. XVI. ad Annal. Bar.* & ἀτέλεστοι ſunt *non baptizati.* Latini quoque patres, dicebant *baptiſmi gratia perfici*, qui baptizabantur. Nimirum ſicut ſacerdotes Levitici per ſacrificia impletionum ſacerdotio initiabantur ſic Chriſtiani in baptiſmo per Chriſti mortem tamquam

quam impletionis ſacrificium ſacerdotio initiantur ſpirituali *Heb. X, 14. 1. Petr. II, 9. Apoc. I, 6.* Sed quam hujus denominationis rationem dederint Patres, vide ſis apud *Doct. Suicerum in Obſ. Sacr. de baptiſmi nominibus* §. X. & *Binghamum Ant. Eccleſ. C. IV.* §. 2. Addo baptizatos dictos etiam μύσας & μυσαγωγήτους ab *Iſidoro* & *Heſychio* oppoſite ad catechumenos qui dicebantur ἄμυσοι, ἀμύητοι, ἀμυσαγώγητοι. Sed & baptizati vocati ſunt πιστοὶ, quare a *Chryſoſtomo* oratio Dominica vocatur εὐχὴ τῶν πιστῶν, unde illæ locutiones in conciliorum canonibus συνίστασθαι τοῖς πιστοῖς *cum fidelibus conſiſtere*, συνεύχεσθαι τοῖς πιστοῖς vel μετὰ τῶν πιστῶν *cum fidelibus orare.* Nam oratio dominica a Catechumenis nondum baptizatis non recitabatur. Conſulatur *Suicerus obſ. Sacr. C. VI.* de *precant. Geſt. p.* 159. 160. Sed & magis τελειοῦσθαι Chriſtianos credebant patres per participationem S. Cœnæ, nam conjunctioni noſtræ cum Chriſto, cujus inſtrumenta ſunt verbum Dei & Sacramenta, veluti colophonem imponit participatio corporis & ſanguinis Chriſti in cœna dominica: nullus enim reſtat alius modus quo in terris verſantes arctius cum Chriſto capite noſtro conjungamur, ut bene *Caſaubonus ad Ann. Bar. Eccleſ. exerc.* 48. Hinc apud *Patres* dicitur etiam τέλειον, quare in canonibus Ancyrani legas ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, τελείως δέχεσθαι, μετέχειν τοῦ τέλους, λαμβάνειν τὸ τέλειον. Vide *Caſaubonum* ad *Annal. Bar. Eccleſ.*

*exercit*, 48. & τελετὴ, τελετῶν τελεὴ ἱερὰ τελεὴ, ἀπορρήτος τελετὴ φερωνδεσάτη τελεὴ, nec non τειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετὴ. apud *Dionysium Areopagitam*, nisi cum doctissimo Viro *Edmundo Albertino* de *Sacr. Euchar. L. II. p.* 271. statuamus *Dionysium* vocabulum τελετὴ abstracte sumere, ac per illud Christum, non Symbola Christum significantia intelligere, adeoque hæc verba, ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετὴ sic esse vertenda, *o divinissima & sacra perfectio*, eadem ratione qua eundem Christum in hoc libro τελείωσιν appellat. Notari etiam meretur Dionysium participationem cœnæ vocare sæpe ἐποψίαν & ἐποψίας ἑστίασιν *perfectæ contemplationis epulas*. *Pachymeres* ad *caput III.* Τοῦτο ἐστὶ τὸ τέλειον ἐν πάσῃ ἐπιστήμῃ τὸ ἐπόπτας καὶ μετόχους τῶν θεωρημάτων γίνεσθαι, καὶ μὴ κατὰ τὶ ἐλλείπειν. &c. *Hæc est perfectio in omni scientia, evadere epoptas, & participes contemplationum, neque ulla in re imperfectum esse.* Quare *Clar. Casaubonus Exercit. XVI. ad An. Eccles. Bar.* recte observat *epoptam* esse valere: cognitione rerum divinarum & sacramentorum perceptione esse perfectum. Alias omnes credentes sub N. T. ἐπόπται facti sunt mysterii quod ὁμολογουμένως μέγα est 1. *Tim. III*, 16. siquidem hoc illis ἐγνωρίσθη, ἀπεκαλύφθη, ἐφανερώθη *Eph. III*, 5. *Col. I*, 26. & certiora habent fidei capita quam initiati in Sacris olim Eleusiniis.

§. 7. Admodum probabile mihi videtur ad Gentilium initiatos & ἐπόπτας magnorum

rum mysteriorum alludere Paulum, respicit enim ad gentilium mysteria v. 7. ἀλλὰ λαλοῦμεν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην. & v. 10. loquitur de ἀποκαλύψει istius sapientiæ, ἀποκαλύπτομαι vero apud Gentiles etiam de divina revelatione dicitur, apud *Jamblichum de Myster. sect. II. C. X. p.* 54. Sed & simul alludere potuit Apostolus ad philosophos quosdam qui dicebantur מדברים *loquentes*, qui convenire videntur cum dialecticis cum quibus Auctor Cosri comparat תמים τὸν τέλειον *perfectum*, uti observat *Celeb. Vitringa L. III. obs. Sacr. p.m.* 313. 314. qui existimat quoque hanc philosophorum sectam forte sequutum esse Apollo, & alios quosdam doctores Corinthios illum præferentes magistrum, quos Paulus in Epistola sua carpit. Quin & forsan Apostolus oculos intentos habebat ad Judæorum גמורים . uti existimat. *Doct. Camero prælect.* de *Ecclesia p.* 238. Sic illud גמור quod de *Esdra* dicitur *Cap.* VII, 12. reddit *Vatablus perfecto Perfectissimo* hoc est *doctissimo & omnibus numeris absoluto.* Quicquid sit per τελείους 1. *Cor.* II, 6. intelligi perfectiores & provectiores in cognitione mysteriorum divinorum & fide, clarissimum mihi videtur. Nam 1. Apostolus hosce τελείους opponit σαρκικοῖς & νηπίοις in Christo 1. *Cor. III*, 1. Qui imperfectiores sunt Christiani oppositi ad πνευματικούς. νήπιοι sunt parvuli, qui institui & roborari adhuc debent, & metaphorice homines indo-

cti quos *Arnobius L. I. p. 21.* vocat *parvulos*, quos *Augustinus Tom. X. serm. IX.* de verbis Domini interpretatur *insipientes*, *imprudentes*. *Cicero L. I. pro Cluent.* oratorem plane jejunum vocat *infaustissimum*. II. Accedit quod Apostolus de talibus loquatur τελείοις qui sapientiam Evangelicam quam prædicabat, quamque alii spreverant, pro summa sapientia agnoscebant, quod adultorum & perfectorum est. Ita magnus ille Religionis Christianæ restitutor *Calvinus* in h. l. *Taxat autem obiter eos quibus non sapiebat sua prædicatio, & id fieri eorum vitio significat, ac si diceret, si quibus non placet mea doctrina illi hoc judicio jam satis produnt, se de pravatos esse, & vitiato sensu, quia inter homines sinceræ mentis & recti judicii pro summa sapientia semper agnoscetur, quamquam autem exposita omnibus fuit Pauli prædicatio, non tamen suo pretio semper æstimata fuit. Atque hæc ratio est cur sanos & integros judices appellet, qui doctrinam quæ mundo insipida erat, veram sapientiam pronuntient.* Et doctissimus *Beza, Adultis demum sapit quod annuntiamus, quod ii soli possint hoc sapientiæ genus agnoscere, quod habent cæteri pro stultitia.* Hinc provectiores hic intelligit *Augustinus cont. Pelag. L. II. Tom. 7. f. 244. Eis quippe & illud ait sapientiam loquimur inter perfectos utique perfectiores auditores volens intelligi.* Et, ne alios jam advocem, ὁμόψηφον habeo Clarissimi nominis interpretem Johannem *Coccejum*. *Sed nos*, inquit, *bene possumus intelligere provectiores*

qui

*qui postquam crediderunt Deo, & ei animum suum subdiderant ad* ἐπίγνωσιν τὴν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος τὸν καινὸν ἄνθρωπον *profecerunt. Qui & comparate* πνευματικοὶ *vocantur.*

§. 8. Ergo τέλειοι sunt apud Paulum 1. *Cor.* II, 6. qui in cognitione sapientiæ Dei mysticæ præ aliis sunt perfecti discipuli & auditores, qui τελειοτέραν τῆς γνώσεως λῆν ἔκλαμψιν *perfectiorem scientiæ lucem*, nacti, ut cum *Justino martyre* loquar, quomodo Graeci etiam discipulos eruditione τελειωθῆναι dicunt. *Strabo* L. XIV. p. 673. testatur quod apud Tarsenses ἐπιχώριοι δ' μένουσιν αὐτύθι, ἀλλὰ καὶ τελειῶνται ἐκδημήσαντες, καὶ τελειωθέντες, ξενιτεύουσιν ἡδέως. *Domi non desident, sed ut perfectionem consequantum peregre abeunt. Perfectique libenter in alienis versantur locis.* Τελῶ etiam notat *doctrina perficere*, quare præstantissimi viri *Heinsius* & *Hombergius* τελεῖν τὰς πόλεις *Matth.* X. 23. vertunt *doctrina perficere.* Extat quoque Philonis Judæi βίος σοφοῦ λόγου κατὰ διδασκαλίαν τελειωθέντος *vita sapientis per doctrinam perfecti.* p. 349. Hinc Paulus de quibusdam τελείοις inter Corinthios Cap. I, 5. ὅτι ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει. *Clemens Epist.* 1. c. 1. τίς γὰρ παρεπιδημήσας πρὸς ὑμᾶς, τὴν παναρέτου καὶ βεβαίαν ὑμῶν πίστιν οὐκ ἐδοκίμασεν; τὴν τε σώφρονα καὶ ἐπιεικῆ ἐν χριστῷ εὐσέβειαν οὐκ ἐθαύμασεν, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς τῆς φιλοξενίας ὑμῶν ἦθος οὐκ ἐκήρυξεν, καὶ τὴν τελείαν καὶ ἀσφαλῆ γνῶσιν οὐκ ἐμακάρισεν. *Quis enim apud vos diversatus, virtute omni*

*plenam firmamque fidem vestram non probavit? Modestam ac decentem in Christo pietatem non est admiratus? Magnificentiam liberalitatis vestræ non prædicavit? perfectam stabilemque cognitionem non judicavit beatam.* Sunt πνευματικοὶ, qui non minus *judicio* quam *ingenio* valebant (secus ac κινδυνεύει ἡ τῶν ἀνθρώπων ψυχὴ δι' ὑπερίαν τῦ φρονεῖν, τῦ κρίνειν ἀπαρεῖν, *plerumque evenit homini*, ut quo *fœcundiore sit ingenio, eo minus valeat judicio*, ut *Maximus Tyrius* loquitur *Dissert.* XXXIV.) qui proinde πνευματικοῖς πνεύματικὰ noverant συγκρίνειν, immo πάντα ἀνακρίνειν, nexum ordinemque mysticæ Dei sapientiæ probe perspicientes. Quod Karæi *sanitatem* dicerent. *Sanitas* est, ajunt, *quando rerum existentiam, ordinemque recte apprehendit.* Vide Celeb. *Triglandium Diatr. de Sect. Kar. p.* 157. Atque ita considerantur illi tanquam discipuli interioris admissionis, qui Christum summum sapientiæ doctorem detecto velamine accurate contemplantur ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κυρίε κατοπτριζόμενοι 2. *Cor. III*, 18. quique sanctæ θεοπτωσίη per fidem vivam operam dant. Sicuti Gentiles credebant spiritualem animæ partem per consecrationes theurgicas aptam fieri ad videndum Deum quare animam vocabant θεοπλικήν. Vide *Iamblichum de myst. p.* 23. & notas *doctissimi Gale.* Unde etiam Julianus Imperator à Deûm matre ἐν θεουργίᾳ τελειότητα, seu in Arcanis illis & effectricibus ceremoniis perfectionem, submisse flagitabat. *Orat* V. p. 172. §. 9.

§. IX. Ad hunc πλειότητος modum referri etiam debet *Eph. IV.* 13. μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ, ubi ἀνὴρ τέλειος opponitur νηπίῳ *v.* 14. *Clar. Raphelius* observat appellationem hanc transferri ad animi habitum atque cognitionem ejusq; perfectionem tantam, quanta quidem in hac vita cadit. Et νήπιον infantem dici cui hæc omnia desunt. Ad illustrationem istius loci non parum facere mihi videtur quod Karæi *Israëlitam perfectum & virum* vocant, qui decem articulis fidem habeat. Karæorum verba profert *Clar. Triglandius Diatr. de Sect. Kar. p.m.* 175.176. *operæ pretium est advertere ut eum agnoscas*, quod unusquisque qui est ex *semine Israel*, & *non credit hisce decem articulis*, *vel uno excepto*, *non est in censu Israëlis*, *neque convenit ipsum amare*, *aut fratris nomine compellare*; *etiamsi omnia cæteroquin mandata observaverit*, *neque inter eos erit*, *qui in hortum Eden intrabunt*, *sed vocandus est Epicureus*. *At vero si quis habeat iis fidem & agnoverit argumentis & demonstrationibus*, *juxta ea quæ nos ordine proposuimus*, *iste est Israëlita perfectus*, *licet haud ex semine Israëlitico sit oriundus*, *decens est*, *illum amare tamquam fratrem Israëlis filium*, *etsi transgrediatur aliqua ex parte legis mandata*, *violentia suæ cupiditatis victus*, & *non ex lubentia voluntatis*, *hic erit ex iis qui in hortum Eden recipientur hic vocandus est dominus veræ fidei*, *dignusque qui* איש *vir*

vocetur. Confer *Buxtorfium Syn. Jud. C. I. Hottingerum Thes. Phil. p.* 13. Ergo ἀνὴρ τέλειος est qui est πλήρης ἐν πίστει *Jac. II.* 5. & τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι. *Col. I.* 23. &c. Huc etiam spectat *Phil. III.* 15. nam ex connexione evidens est τελείους hic quoque esse qui doctrinam de abrogatione ceremoniarū legis, & de perfecta Christi justitia recte intelligebant. Neque dubitandum quin ad *perfectionem cognitionis* respiciat Apostolus *Hebr. V.* 13. 14. Ibi enim τέλειοι opponuntur νηπίοις, & νήπιος dicitur μετέχων γάλακτος, & ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης, lac sunt prima Christianismi docendi initia quæ Paulus *C. V.* 12. vocavit τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τοῦ θεοῦ, quæ *Theophylactus* nominat τὰς πρώτας ἀρχὰς τῆς πίστεως & quæ Paulus dicit τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον *C. VI.* 1. sed τελείοις competit ἡ στερεὰ τροφὴ, λόγου scil. δικαιοσύνης ab elementali distinctus. *Clemens Alexandrinus Strom. L. V. p.* 570 γάλα ἡ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη ψυχῆς τροφή. βρῶμα δὲ ἡ ἐποπτικὴ θεωρία. σάρκες αὗταί καὶ αἷμα τοῦ λόγου τυγχάνουσι κατάληψις τῆς θείας δυνάμεως καὶ οὐσίας. *Catechesis veluti primum nutrimentum animæ, cibus autem suspiciens contemplatio, quæ sunt ipsæ carnes & sanguis verbi, hoc est comprehensio diuinæ potentiæ & essentiæ.* Sunt præterea qui διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα habent πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Qui prius fractum solidum cibum acceperunt discendo, & postea apti ad eum dispescendum & distribuendum docendo (nam

He-

Hebræorum priſci doctores capita doctrinæ cum cibo pane & carne compararunt quæ diſpeſcere & diſtribuere ſecundum hanc metaphoram eſt docere, accipere fracta & diſtribruta diſcere, (verba ſunt Clariſſimi Vitringæ de *Synag. Vet. p. m. 714.*) uti τέλειος apud LXX. uſurpatur pro מוֹרֶה *erudiens, magiſter*, 1. *Par. XXV. 8.* Nec dubium eſt quin idem Apoſtolus ad ulteriorem progreſſum in rerum divinarum cognitione reſpiciat quando dicit *Heb. VI. 1.* ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα opponitur enim hæc τελειότης τῷ τῆς ἀρχῆς τὸ χριστὸ λόγῳ, & θεμελίῳ. De hac *perfectione* loquitur Servator *Luc. VI. 40.* κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, *ſed quilibet perfectus*, aut *exercitatus* πεπαιδευμένος, *eruditus aut informatus erit ut magiſter ſuus.* Vide *Doct. Elsnerum.* Et *Paulus II. Tim. III. 17.* ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἐξηρτισμένος ſi cum *Celeb. Vitringa obſacr. L. I. C. 16.* dicamus vocabulum ἄρτιος & ἐξηρτισμένος reſpondere voci תמר quod docendi & diſcendi ſignificatum habet, ut ἄρτιος ἐξηρτισμένος nihil aliud ſit quam *bene eruditus.* Vide *etiam Cl. Bos, Exercit. phil. ad h. l.*, qui etiam exiſtimat per πᾶσαν δόσιν ἀγαθὴν καὶ πᾶν δώρημα τέλειον *Jac. I. 17.* præcipue deſignare Auctorem *ſapientiam Coeleſtem & cognitionem rerum divinarum*, quæ homines virtutibus inſtruit, & perfectos reddit.

§. 10. Sed & aliæ τοῦ τέλειος notiones in credentes ſub N. T. quadrant. Spectari enim debent

debent ut ἱεράτευμα βασιλικὸν & ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ, qui offerunt ſacrificium μῶμον ἀμέτοχον, quod non eſt cæcum, fractum, mutilum pſora vel ſcabie infectum &c. egregie *Philo p.* 836. εὔλητοι γὰρ αὐτοὺς ἀναδιδάξαι διὰ συμβόλων ὁπότε προεργοιντο εἰς βωμούς, ἢ εὐξαμένους, ἢ εὐχαριστήσαντες, μηδὲν ἄρρωστημα ἢ πάθος ἐπιφέρεσθαι τῇ ψυχῇ. παρεῖσθαι δ' ὅλην δι' ὅλων ἀκηλίδωτον ἀνιγάζειν, ὡς ἰδόντα μὴ ἀποστραφῆναι θεόν. *Submonentur enim his ſymbolis, ut quoties accedunt altaria, vel nuncupaturi vota, vel reddituri, nullum vitium, nullumque morbum afferant in animi, ſed conentur omnino nitidam & immaculatam in conſpectum Dei producere ne viſam averſetur.* Et ut tales dicuntur credentes ἄμωμοι *Eph. I. 4. Apoc. XIV. 5.* alluſione ad ſacrificia, quia additur κατενώπιον αὐτοῦ, & ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ uti victimam Deo oblatam, conſtituere eam debebat ante oſtium Tabernaculi, ſive in atrio *Lev.* I. 3. II. 2. & poſtea in atrio interiori templi, (& hoc dicebatur הקריב לפני יהוה *adducere & offerre in conſpectum Dei.* Et huc etiam alludere potuit Apoſtolus *Col. I. 28.* ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, nam παραστήσαι uſurpatur de ſolenni victimarum conſtitutione ante faciem Dei ut *Rom.* XII. 1. Et ad hanc quoque ſacrificiorum integritatem reſpicit forſan *Jacobus* Cap. I. 4. ἵνα ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι: nam vox ὁλόκληρος uſurpatur de *ſacerdotibus* apud *Athenæum L.* VII. *p.* 300. & de ſacrificiis apud *Pollucem L.* I. §. 1.

*Clar.*

*Clar. Jenſius in ferc. liter. p.* 28. non dubitat quin Servator *Matth.* XIX. 20. reſpiciat eum τελειότητος modum, qui ſpectabatur in hoſtiis. Gentiles *ſapientem* & *philoſophum Dei ſacerdotem* quoque dixerunt. *Stobæus tom.* I. *L.* II. *tit.* 4. §. 4. λέγεσι δὲ καὶ ἱερέα μόνον εἶναι τὸν σοφὸν, φαῦλον δὲ μηδένα. *Porphyrius de abſtin. L.* II. §. 49. ὁ ὄντως φιλόσοφος τῷ ἐπὶ πᾶσιν θεῷ ἱερεὺς, & ſacrificia in animi pietate morumque probitate ſita eſſe cenſuerunt. Vide *Grotium* de *verit. R. Chriſt. L.* IV. *C.* 12. *Pfannerum Syſt. Th. Gent. Pur. Cap. XV.* §. 10. Cæterum τέλειοι etiam ſunt Chriſtiani quatenus ſunt *eximii* אדירים *Pſ.* XVI. 2. γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν 1. *Pet.* II. 9. &c.

§. 11. Præcipue tamen credentes conſiderare debemus ut πλείους *Athletas* qui nullo deficiente labore, per multas exercitationes & certamina & in iis patientiam, omnibus nervis contendunt ad metam. Hanc τελειότητα ſpectat Apoſtolus *Phil.* III. 15. ὅσοι οὖν τέλειοι τοῦτο φρονῶμεν. Nam *vſ.* 12. 13. 14. de curſu egit ſpirituali. *Chryſoſtomus* ad *h. l.* ποῖον τοῦτο τὸ ὅτι δεῖ τῶν ὀπισθεν ἐπιλανθάνεσθαι, ὥστε τελείως τὸ μὴ νομίζειν ἑαυτὸν τέλειον εἶναι. *Quid hoc eſt, nimirum quæ retro ſunt, obliviſcenda eſſe, ita ut perfecti hominis ſit, non ſe exiſtimare perfectum eſſe. Auguſtinus de perfectione juſtitiæ tom. VII. Quotquot perfecti ſumus, id ſapiamus: id eſt quotquot perfecte currimus, hoc ſapiamus quod nondum perfecti ſumus,*

*sumus, ut illic perficiamur quo perfecte adhuc currimus, ut cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; id est, non jam ex parte sit, sed ex toto* &c. vide etiam *L. II. Tom. 7. p. 244. Ambrosius superius v. 12. & 13. negat se esse perfectum. Ad comparationem autem cæterorum, qui res divinas negligenter curant, perfecti dicendi sunt, qui adhibita solertia perfectionis iter ambulant.* Lubet etiam adscribere, quæ *Hieronymus* habet ad *Jes. LXI. perfectos sponsi comparat pulcritudini, incipientes sponsæ assimulat ornatui. Perfectus erat Paulus qui quasi sponsus decoratus corona atque coronandus, sive ut Aquila transtulit* ἱεροκτυμένος στεφάνῳ *quod in lingua nostra dicitur sacerdotii portans coronam, loquentes in se Christi auctoritate dicebat, certamen bonum certavi, cursum consummavi, de cætero reposita mihi corona justitiæ. Et in alio loco. Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus. Incipiens autem erat comparatio. Ne plenitudinis, quando ex persona incipientium loquebatur, cum essem parvulus sicut parvulus loquebar, sicut parvulus sapiebam, sicut parvulus cogitabam.* Huc quoque respexit forsan Apostolus Col. *IV. 12.* πάντοτε ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὑμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς, ἵνα στῆτε τέλειοι &c. nam verbum στῆναι videtur desumtum esse a luctatoribus, qui nimirum stantes luctabantur, qualis lucta ὀρθοπάλη dicta. Confer. *Eph. VI. 11.* Ad Athletarum patientiam referri quoque debet quod habet *Jacobus Cap. I. 4.* Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω ἵνα ἦτε τέλειοι, καὶ ὁλόκληροι ἐν μηδενὶ λειπόμενοι. vide *Lydium Agonist. Sacr.*

*Sacr.* CXXXV. *Philo de migrat. Abrah. p. m. 392.* Jacobum vocat ἀθλητὴν τέλειον. ἴσον τῷ γέγονάς μοι ἀθλητὴς τέλειος, καὶ βραβείων καὶ στεφάνων ἠξιώθης, ἀγωνοθετούσης ἀρετῆς, καὶ προτεινούσης ἆθλα σοι τὰ νικητήρια. Κατάλυσον δὲ ἤδη τὸ φιλόνεικον, ἵνα μὴ πάντοτε πόνης, ἀλλὰ καὶ τῶν πονηθέντων ἀπόναισθαι δυνηθῇς. *Acsi diceret, fuisti mihi athleta perfectus, præmia coronasque promeritus, virtute præsidente certamini, & tibi porrigente insignia victoris desine jam contendere, ne in totum defatigeris, sed possis frui actis laboribus.* Gentiles etiam viros bonos & virtutis studiosos vocabant *Athletas. Marcus Antoninus L. 1. §. 4.* memorat ἀθλητὴν ἀθλητοῦ μεγίστου τοῦ ὑπὸ μηδενὸς πάθους καταβληθῆναι, δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος, ἀσπαζόμενον ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ συμβαίνοντα καὶ ἀπονεμόμενα πάντα. *Certaminis præstantissimi, ne ab affectu scilicet ullo subvertatur, Athletam justitia penitus imbutum, ex animo omnia prorsus amplexantem, quæcunque ex lege divina illi attributa contigerunt.* *Andronicus XII.* post præmissa quædam, πρὸς γὰρ τὴν τελείωσιν τοῦ γυμναζομένου τὸν παιδευτὴν προσῆκει τάττειν τοὺς λόγους. τελείωσις δ' ἂν εἴη τοῦ τῆς ἀρετῆς ἀθλητοῦ, τὸ ἀγαθὸν αὐτὸν γενέσθαι, καὶ πρακτικὸν τῶν καλῶν. *Eo enim, ut perfectus in arte sua esse possit gymnasta, totam docendi rationem suam dirigere oportet eum qui docet. Illa autem erit athletæ perfectio, si bonus esse, & quæ honesta sunt agere possit.* Statuebant etiam patientiam in perferendis malis esse τελειότητα quandam, immo calamitati

tatibus etiam numinis divini felicitatem provehi credebant. *M. Antoninus L. V. §. 8.* Καὶ ἕτως ἀσπάζε πᾶν τὸ γινόμενον καὶ ἀπηνέστερον δοκῇ διὰ τὸ ἐκεῖ ἄγειν, ἐπὶ τὴν τῶ κόσμω ὑγιείαν, καὶ τὴν τῶ διὸς εὐοδίαν καὶ εὐπραγίαν. *Eodemque modo quicquid evenerit, quamvis asperius visum fuerit, libens admittito, quandoquidem ad mundi integritatem, Jovisque prosperitatem atque felicitatem ferat.*

§. 12. Cæterum πέλειοι sunt quoque credentes quoniam non est in iis duplex & diversissimus animus (quod de *Sylla* dicitur apud *Vellejum Paterculum p. 3.*) sed simplex & candidus, quorum interius est ut exterius, osque illorum & cor æqualia, ut Rabbini loquuntur, qui ante omnia operam dant להיות לבו שוה עם פיו, *ut Cor ori ad amussim respondeat*, qui inde dicuntur καθαροὶ ζῇ καρδίᾳ. ἀνυπόκριτοι, ἁπλοῖ, ἀκέραιοι &c. vide *Hombergium* & *Elsnerum* ad *Matth. X. 16. Bos Etym. Græc. p. 15.* qua ratione spectantur etiam ut δίκαιοι ἐνώπιον τῶ θεῶ *Luc. I. 6.* vide *Keuchenium.* Profecto *simulata sanctitas duplex est iniquitas.* Recte *Augustinus* in *Ps. LXIII. simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia & iniquitas est & simulatio.* Non mirum ergo quod veteres *simplicitatem ab initiatis in baptismo* requirebant quemadmodum *Ambrosius* alicubi dicit. *Vera enim fides ab initiatis & simplicitas requiritur. R.D. Kimchi* hominis perfectionem in cordis sinceritate ponit. Ita enim scribit in *Ps. XXIV. v. 4. Ecce in hoc versu tres hominis dispositiones com-*

*commemorat, operis scilicet, sermonis & cogitationis, in quibus tribus posita est hominis perfectio; si nempe fuerit innocens in operibus, mundus in cogitationibus cordis sui & in sermone suo fidelis.* Marcus quoque *Antoninus* ἀνυπερθεσίαν refert inter morum perfectionem *L. VIII. §. 69.* Ἴδιον ἔχει ἡ τελειότης τοῦ ἤθους, τὸ πᾶσαν ἡμέραν ὡς τελευταίαν διοδιεξάγειν, καὶ μήτε σφύζειν, μήτε νωθρᾶν, μήτε ὑποκρίνεσθαι. *Hoc in se habet morum perfectio, quod diem omnem tamquam novissimum exigit, nec aut festinat, aut torpescit, aut simulate quicquam, agit.* Vide etiam L. XI. §. 13. Porro ad illam perfectionem εἰλικρινείας pertinet προθυμία firmum & constans propositum, omnia Dei præcepta observandi. Christiani sumus affectu magis, quam effectu & maxima pars Christianismi est toto pectore velle fieri Christianum. Bene *Augustinus* in 1. *Joh. tri. IV. Tota vita boni Christiani, sanctum est desiderium.* Et *Lactantius Inst. L. VI. C. 5. Virtus nostra tota posita est in voluntate faciendi.* Sed major conspicitur perfectio in sincera istius propositi *executione.* Huc spectat *Jacobi* effatum *C. III. 2.* εἴτις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνήρ. *Doctissimus Camero* observat, fuisse ἀσκητὰς in disciplina Judæorum, qui sese in virtute exercebant, & fuisse itidem quos Philo τελείους vocat, quos dicit non laborare, sed tantum conservare quæ acquisiverunt labore, nempe τελείους eos esse qui docent reapse & factis, se vere didicisse quod se didicisse profitentur, illos ergo qui eo usque in vir-

tutis documento & experimento profecerunt, ut possint linguam suam moderari eos eo ostendere se non amplius ἀσκήτους, sed πλείους esse. Verba autem *Philonis*, quos spectat *Camero*, extant Lib. *quod det. potiori insid. soleat p. m.* 169. Ubi ita ad legem illam *Levitarum Num. VIII. a quinquagesimo anno ministrare cessabit. Cæterum perfectum non jam laborare, sed quæ per exercitationem laboremque acquisivit, custodire. Absit enim ut eorum sim mediator, quæ mox servare non liceat. Ergo exercitatio mediocritas est, non perfectio. Fit enim non in perfectis quidem animis, sed tamen ad fastigium tendentibus. At custodiæ perfectum officium, memoriæ mandare, contemplativa exercitia Sanctorum, scilicet fideli custodi, pulchrum scientiæ depositum, quæ sola contemnit oblivionis casses multiplices. Itaque memorem eorum, quæ didicit, recte custodem appellat. Hic autem priusquam exercetur, alterius docentis erat discipulus. Factus autem ad custodiam idoneus, adscitus jam in docentium dignitatem ac ordinem, fratrem ad ministeria suæ doctrinæ substituit, hoc est sermonem suum enuntiativum &c.* Τελειότης ergo est linguam compescere, scire ratione tacere & loqui in tempore quod compertum habes. Pythagoras imperabat suis quinquennale silentium, ut sciret quantum possent in continentia linguæ, re omnium difficillima, ut refert *Jamblichus de vita Pyth. p. 77.* Vide *Rittershusium* not. in *Porphyr.* p. 20. Multa de tempestivo silentio tanquam virtute prima, & re sapientissima

inter

inter homines legas apud Catonem, Pindarum, Menandrum, alios. In Harpocratis imagine circa ſiniſtrum lacertum ſerpens volvitur, quo notatur prudentia in linguæ regimine conſiſtens. Vide *Clar. Lomejerum diſſ. de Harpocrate* §. 9. Stoici ad ἀπροπτωσιαν dialecticam neceſſariam eſſe ſtatuebant ἐκ ἀνευ δὲ τῆς διαλεκτικῆς θεωρίας τὸν σοφὸν ἀπτωτον ἔσεσθαι ἐν λόγῳ τὸ τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος διαγινώσκεσθαι ἀπ' αὐτῆς, καὶ τὸ πιθανὸν, τό τε, ἀμφιβόλως λεγόμενον διευκρινεῖσθαι, *absque dialecticæ ſpeculatione ſapientem in oratione ſua non futurum ſine lapſu. Quippe ex illa dignoſci verum atque falſum, probabile autem & quod ambigue dicatur, dijudicari.* ἀπροπτωσίαν autem definiunt ἐπιστήμην τῶν ποτε δεῖ συγκατίθεσθαι, καὶ μὴ. *Scientiam quæ docemur quando conſentire oporteat, & quando non.* Vide *Laert. L. VII.* p. 391. & *Marc. Ant. L. III.* §. 9. *IV.* 49. *VII.* 55. Requiruntur ergo ad hanc perfectionem *concocti ſermones* ὥσπερ γὰρ τὰ πεφθέντα σιτία τὴν ἕξιν τρέφει τοῦ σώματος, οὕτω καὶ οἱ πεφθέντες λόγοι, τὴν ἕξιν τρέφουσι τῆς ψυχῆς, ἀφ' ἧς λοιπὸν ὡς ἀπὸ μονίμου ῥίζης οἰκαρποφόροι λόγοι προέρχονται. *ut enim cibi concocti habitudinem corporis alunt: Sic & concocti ſermones, animi habitum nutriunt: e quo poſtea ut e ſtabili radice frugiferi ſermones efflorescunt.* ut ſcite *Simplicius Com. in Epict. Ench. p.* 311. Cæterum obſervatione digna ſunt verba *Philonis* de *migrat. Abrah. p. m.* 399. ἡ γὰρ τελειότης δι' ἀμφοῖν, ὡς ἔοικε, τοῦ τε ὑποβάλλοντος τὰ ἐνθυμήματα καθαρῶς, καὶ τοῦ διερμηνεύοντος αὐτὰ ἀπταί-

ςως. *Nam perfectio videtur ex utroque constare, inventione sincera & inoffensa elocutione.* Verba autem Jacobi dupliciter intelligi possunt, aut de eo qui in nullo unquam λόγῳ πταίει qui sit absolute perfectus, a qua perfectione procul omnes absint, aut de eo qui non πταίει ἐν λόγῳ de capitibus fidei fundamentalibus, ut v. g. de perfecta justitia J. C. ut causa meritoria justificationis nostræ, qualis comparate ad alios perfectus sit & ad quam perfectionem in hac vita perveniri possit.

§. 13. Sed una hæc virtus sine aliis non est. *Nec vera ulla virtus est si mixta virtutibus aliis non est*, ut vere *Gregorius moral. L. XXI, 1. & L. 1. C. 39. Augustinus Ep. XXIX. Qui unam habet omnes habet: & qui unam non habet nullam habet. Ambrosius* de *paradiso C. III. in quo aliqua horum principalis est virtus, in eo etiam cæteræ præsto sunt, quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæque virtutes. Chrysippus* ajebat quoque τὰς ἀρετὰς ἀκολουθεῖν ἀλλήλαις, ὥ μόνον τῷ τὴν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. ἀλλὰ ἅτι τὸν κατὰ μίαν ὅτι ἂν ἐνεργοῦντα κατὰ πάσας ἐνεργεῖν, ὅτε ἄνδρα τέλειον εἶναι, τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετὰς, ὅτε πρᾶξιν τελείαν, ἣ τὶς ὡ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετὰς. *Virtutes invicem comitari, non solum quod qui unam habet, omnes habeat sed quod qui secundum unam aliquid operatur, idem secundum omnes: & nec virum perfectum, qui non omnes virtutes habeat, nec actionem perfectam, quæ non fiat secundum omnes.* Vide *Lipsium man. ad Stoic. Phil. L. III. p. 757. Laërtium L. VII.*

*VII. Seg.* 125. 126. Τέλειοι ergo sunt credentes, quatenus sincere πορεύονται ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τῦ κυρίυ ἄμεμπτοι, qui ut bene perveniant, bene procedunt, qui instar τελειουργῶν & τελεστικῶν inter incedendum properant μακρὰ βαίνουσιν ἐπιτελῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ θεῦ, nam ut recte *Simplicius* in *Epict. p.* 176. μὴ τὰ πρῶτα μόνα καὶ τὰ μέσα ἔχων, ἀλλὰ καὶ τὰ ἔσχατα. *Non prima tantum, & media, sed extrema quoque, id quod est proprium perfectionis.* Optime *Bernardus in Cant. 84. Magnum bonum quærere Deum: primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulla cui accedat quam nulla præcedit? cui cedat quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi potest non quærenti Deum? aut quis terminus quærenti Deum?* Maxime vero ostendunt τέλειοι progressum in omnibus virtutibus quando fiunt μιμηταὶ τῦ θεῦ ὡς τέκνα ἀγαπητὰ præcipue respectu caritatis benignitatis, bonitatis & clementiæ in proximum etiam impios & inimicos. Τὸ τέλος enim τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας 1. *Tim. I*, 5. Est caritas συνδεσμὸς τῆς τελειότητος *Col. III*, 14. Hinc Johannes 1. *Ep.* II, 5. ὃς δ' ἂν τηρῇ τὸν λόγον ἀληθῶς ἐν τύτῳ ἡ ἀγάπη θεῦ τετελείωται; & 1. *Ep. IV.* 4. ἐὰν ἀγαπῶμεν ἀλλήλυς ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν μένει, καὶ ἡ ἀγάπη αὐτῦ τετελειωμένη ἐστὶν ἐν ἡμῖν. In quibus locis ἀγάπη θεῦ videtur denotare amorem Dei erga nos secundum nexum & scopum Apostoli, ut amor Dei in nobis *perficiatur, consummetur*, dum fratres amamus, per

ampliſſimos caritatis effectus, regenerationem puta illuminationem, juſtificationem, ſanctificationem &c. Addit idem Apoſtolus 1. *Joh. IV.* 17.18. ἐν τούτῳ τετελείωται ἡ ἀγάπη μεθ' ἡμῶν ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως ὅτι καθὼς ἐκεῖνός ἐστι, καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ. φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἀλλ' ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον, ὅτι ὁ φόβος κόλασιν ἔχει. ὁ δὲ φοβούμενος οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ. quibus locis non putem agi de amore Dei erga nos, ut exiſtimat *Doctiſſimus Langius*, ſed de amore erga proximum juxta proprium Johannis ſcopum, ut ſenſus ſit amorem erga proximum in nobis *perfici & conſummari*, cum ipſo actu oſtendimus nos vere proximum amare quo ipſo Deo ſimiles reddimur, ſiquidem ille tamquam ipſa ἀγάπη amorem ſuum erga nos luculentis indiciis demonſtravit. Bene *Clemens Al. Strom. L. V.* p. 511. ἀγάπην οὖν ἀσκεῖν τὸν τέλειον χρὴ καθένδεν ἐπὶ τὴν θείαν φιλίαν σπεύδειν, δι' ἀγάπην ἐκτελοῦντα τὰς ἐντολάς, *oportet igitur qui perfectus eſt, caritatem exercere, & hinc ad divinam tendere amicitiam, per caritatem exequendo mandata.* Cæterum ad *perfectionem clementiæ & miſericordiæ* hortatur Salvator *Matth. V.* 48. ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τέλειός ἐστι, hoc evidens enim eſt ex v. 44. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ προ-

προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς. Quare *Lucas Cap. VI.* 36. habet γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστὶ. Caritas etiam νόμῳ βασιλικὸς *Jac. II.* 8. dici potest quod animis nostris regiam ingerat indolem, Clementia vero convenientissima principi & regi, quia plus habet apud illos quod servet, ac majore in materia appareret ut *Seneca* ait de *Clem.* Recte ergo *Clemens Alexandrinus strom. L. VII. p. m. 752.* πλείως ἀφέντες τὰς ἁμαρτίας ἀμνησικακοῦντες, *perfecte peccata remittentes, & acceptæ injuriæ obliviscentes.* Scite etiam *Ambrosius Offic. I. 48. infirmorum est, retorquere acceptam contumeliam, proficientium silentio perficere; perfectorum maledicentem benedicere,* Consentit *Augustinus Tom. III. fol. 38. perfectorum est inimicos diligere.* Gentiles hanc quoque virtutem *maximam* vocasse *perfectionem* ostendit *Doct. Elsnerus Obs. Sacr. ad Matth. V.* 40. ex *Hierocle* & *Cicerone*, quibus addo *Pythagoram* qui dicebat δύο ταῦτα ἐκ τῶν θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι καλλίστα, τό τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν: καὶ προσετίθει, ὅτι καὶ ἔοικε τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον *hæc duo divinitus hominibus data esse pulcherrima, veritatem amplecti, & aliis benefacere: & addebat utrumque cum Deorum operibus comparari posse*, uti *Ælianus* memoriæ prodidit *L XII. C. LIX.* Lenitatem conviciis exhibendam docuere *Epictetus Enchirid. C. LXIV.* & *Simplicius* Com. in *Epict. Ench. p. 302. & seq.*

Et amare nos debere ipsos verberantes, & bene precari ei qui injuria nos affecerit, præcipit idem *Epictetus L. III. C. 22. & L. I. C. 25.* Et perfectionis istius specimina, exhibuerunt luculenta Euclides, Pericles, Cicero, P. Clodius Pulcher, aliique bene multi. Quin & ad pravorum hominum tolerantiam suadendam numinis divini exemplar proposuerunt. Præclare *M. Antoninus L. VII. §. 70.* Οἱ θεοὶ ἀθάνατοι ὄντες ἀδυχεφίνουσιν ὅτι ἐν τοσούτῳ αἰῶνι δεήσει αὐτοὺς πάντως ἀεὶ τοιούτων ὄντων, ἠμὴ τοσούτων φαύλων ἀνέχεσθαι. προσέτι δὲ ἠμὴ κήδονται αὐτῶν παντοίως. σὺ δὲ ἔσον ἀδέπω λήγειν μέλλων ἀπαιδᾶς; ἠμὴ ταῦτα εἶς ὢν τῶν φαύλων. *Dii immortales cum sint, non ægre ferunt tamen, quod perævum tam immensum ipsos oporteat omnino, tot talesque qui sint, improbos jugiter sustinere. Immo quod amplius est omnimodam horum curam gerunt. Tu vero qui mox desiturus malos tolerando defetiscaris, idque cum ex eorum ipse sis numero.*

§. 14. Cæterum probe tenendum illud *Augustini* Epist. 29. ad *Hieronymum. Plenissima caritas, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet ex vitio est, ex quo vitio non est, qui faciat bonum & non peccet.* Recte etiam *Trypho Judæus* apud *Just. Mart.* dial. cum eo p. 227. ὑμῶν δὲ ἡ καὶ ἐν τῷ λεγομένῳ εὐαγγελίῳ παραγγέλματα θαυμα-

μαστὰ οὕτως καὶ μεγάλα ἐπίσαμαι εἶναι, ὡς ὑπολαμβάνειν μηδένα δύνασθαι φυλάξαι αὐτά. *Vestra sane quæ in Evangelio, quod dicitur, sunt præcepta, tam magna & admiranda esse novimus ut suspicio nostra sit a nemine illa servari posse.* Verissime Apostolus 1. *Cor. XIII.* 9. ἐκ μέρους hoc est κατ' ἄνθρωπον, sive ὡς ἐν ἀνθρώποις juxta illustrem *Heinsium*) γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν. & *v.* 12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου, (per *specuum* aut *speculare*, hoc est *e longinquo, imperfecte* uti *Cl. Bos* interpretatur quod enim nonnulli per ἐσόπτρον intelligunt evangelium per quod videamus in ænigmate V. T., hoc a Pauli scopo alienum videtur.) ἐν αἰνίγματι, hoc est *obscure*, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. hoc est *cernimus coram*, *clare* & *perfecte*. Nam ὁτὰν ἔλθῃ τὸ τέλειον τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. Hisce similia docuerunt tum *Judæi* in *Succa fol.* 45. &c. tum *Gentiles* apud *Platonem in Phæd. p.* 380. & *Simplicium* in *Epict. ench. p.* 237. Nulla ergo datur in hac vita mysticorum quorundam ἀποθέωσις qua nostri cum Deo communio, supra eam quam fert humana natura sortem evehitur. Orandus interim Deus qui solus vere τέλειος, a quo principium, medium & finis vel summa perfectionis, ut ipse nobis dare velit tantam perfectionem quæ in nos potest cadere. Pro qua *Jamblichus Sect. X. C. VIII. de myst:* votum facit. εὔχομαι δὲ οὖν τὸ λοιπὸν τοῖς θεοῖς ἐπὶ τῶν τέλει, τῶν λόγων

τῶν ἀληθῶν νοημάτων ἐμοὶ τε καὶ σοὶ παρέχειν τὴν φυλακὴν ἀμετάπλωτον, εἰς τε τὸν αἴδιον αἰῶνα δι' αἰωνίων ἀληθειαν ἐυπιθέναι καὶ τελειοτέρων νοήσεων περὶ θεῶν χορηγεῖν, μετουσίαν. ἐν ᾗς δὴ τὸ μακάριστον τέλος τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν πρόκειται. *Quod reliquum est in calce sermonis Deos comprecor, mihi tibique dare velint, ut firmiter custodiamus, quæ vere intelligimus, insinuentque nobis per sempiterna secula veritatem, præstentque adhuc perfectiores de iis notiones, in quibus omnium bonorum beatissima possessio nobis reponitur.*

II.

# C. A. HEUMANNI

## Commentatio.

### *ad 1. Joh. III: 20.*

### DE

## PANSOPHIA CHRISTIANA.

§. 1.

CUm omnes ad res, tum maxime ad ſtudia literarum, prudentiam eſſe adhibendam, facile intelligitur atque in confeſſo eſt apud omnes. Jam vix turpius imprudentiæ literariæ genus excogitari poteſt eâ inſcitia, qua, neglecta ſcientia principe, levioribus adhæreſcitur diſciplinis, & animi ſtudioſorum procos illos Homericos imitantium toti irretiuntur amore doctrinæ humilioris. Scilicet *unum eſt neceſſarium*, id quod pulchre ſciebat Maria illa Evangelica, perpaucos quidem certe e literatis nacta imitatores, pluribus Marthæ exemplo multa agendo nihil agentibus, ac per varias diſciplinas perque libros varios nequicquam diſcurſantibus. Cum vero periculoſiſſime hic erretur, merito & eruditi & eruditionis candidati identidem etiam atque etiam

etiam monentur, ne docta ſtudia tractandi rationem ineant ſtultam, a veroque literarum ſcopo toto, quod ajunt, cœlo totaque via aberrent. Cæterum quodnam ſit caput ac veluti prora puppisque omnis doctrinæ, & quo referri ab eruditis oporteat præcipuam curam atque induſtriam, ſi quærimus, non malum ſe nobis doctorem præbet poëta neſcio quis, cujus notiſſimi ſunt hi verſus:

*Si Chriſtum diſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis:*
*Si Chriſtum neſcis, nihil eſt, ſi caetera diſcis.*

Nobis vero nunc viſum eſt multo locupletiorem ſequi auctorem, *Joannem* apoſtolum, qui doctrinæ Chriſtianæ ſcientiam non ſolum σοφίαν, ſed plane πανσοφίαν eſſe habendam, luculentiſſimis pronuntiat verbis ſecundo primæ ſuæ epiſtolæ capite, & ejus quidem verſu vigeſimo. Quæ verba paucula quidem illa, ſed ſenſu ponderoſiſſima, expendere curatius libet.

§. 2. *Vos*, inquit Apoſtolus noſter ad Chriſtianos, *vos ſcitis omnia*. Facile apparet, ἐμφατικώτερα eſſe hæc verba, & ardentiori quodam affectu expreſſa. Neque enim contentus noſter eſt dicere, Chriſtianos ſcire, quantum ſatis ad æternam conſequendam felicitatem; ſed ſcire eos dicit omnia, neſcire nihil. *Vos*, inquit, *ſcitis* OMNIA. Equidem nullus dubito, Apoſtolum reſpexiſſe inimicos re-

religionis Christianæ, profiteri ausos, Christianos ipsosque adeo eorum doctores eousque esse indoctos, ut NIHIL *plane scire* dicendi sint. Ac sane fuerunt, qui primis illis temporibus id objicerent Christianis. Ipsum *Joannem* nostrum a supercilioſis Judaeorum sacerdotibus dictum fuisse ἄνθρωπον ἀγεγράμματον καὶ ἰδιώτην, relatum videmus a (a) *Luca*. Testis quoque *Minucius* (b) *Felix* est, Christianos in universum omnes ab ethnicis habitos fuisse *studiorum rudes, literarum profanos, expertes artium, indoctos, impolitos, agrestes, ne ad civilia quidem intelligenda, nedum ad differenda divina idoneos.* Ac ne nesciamus, a quibus nominatim hoc exprobratum sit Christiano nomini, *Hieronymus* (c) memoriæ prodidit, fuisse *Celsum, Porphyrium*, ac *Julianum*, ferociſſimos illos ἀνπχείρας, qui *summæ imperitiæ rusticæque simplicitatis* Christianos arguerent. Quid? Ipsa *Celsi* verba, quibus illusit Christianis quasi simplicisſimæ credulitatis reis, supersunt in Opere (d) *Origenis* quo fuse docteque *Celsi* illius adversus religionem Christianam criminationes diluit ac refellit. His igitur singularis cujusdam sapientiæ opinione tumentibus pseudophiloſophis contradicturus *Joannes*, in hæc fortiter erumpit verba: VOS, *Christiani*, SCITIS OMNIA, hoc est *tantum abest, ut* NI-

(a) *Actor. IV.* 13. (b) *In Octavio cap. V.* 4. & *cap. XII.* 7. (c) *In prooemio ad Catal. script. eccl.*
(d) *Lib. I. adv. Celsum. p.* 8. *Conf. lib. VI. p.* 282.

NIHIL *sciatis*, [*quæ inimicorum vestrorum calumnia est,*] *ut potius sciatis* OMNIA: *cum contra ethnici, qui sibi videntur* (e) πάνσοφοι, *adeo non sint sapientes eruditique, ut potius* NIHIL *scire jure censeantur.*

§. 3. Nec difficile fuerit intelligere, cur Christiani ab apostolo nostro dicantur *omnia scire*, ethnici *nihil.* Nam primum quicquid est humanarum disciplinarum & artium, id sane *nihil* est ad Christianæ religionis scientiam, sique huic comparetur, verissima æstimatione pro *nihilo* ducitur. Ecquid enim, quaeso, prodest scientia omnis ævi historiarum, notitia plurimarum linguarum, peritia artium mathematicarum, poëticæ, criticæ, rhetoricæ, dialecticæ, aliarumque, investigatio naturæ rerum quarumvis, & ipso *Aristotele*, *Homero*, *Demosthene*, *Aristarcho*, *Archimede* esse superiorem; quid hoc prodest, inquam, si careas regina illa scientiarum, philosophia Christiana, qua qui instructi non sunt, quantumvis (f) sapere sibi aliisque videntur, ἐμωράνθησαν. Deinde Christiana religio quam sana, quam præclara tradit de DEO ejusque cultu! quam stolida e contrario & irreligiosa est tota illa ethnicorum religio! ut verissime

(e) *Certe hoc titulo Euripidem ornavit Athenæus Dipnosoph. lib. XV. ineunte p. 665. Et Quintilianus Dial. de caus. corr. eloq. XXX. 4. tribuit Ciceroni* omnium rerum scientiam, *& n. 2. ait, eundem* omnes philosophiae partes penitus hausisse.

(f) *Rom. I. 22.*

sime Paulus eam descripserit hisce (g) verbis : Εσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς. Uti autem hoc loco *Paulus* ethnicorum sacram disciplinam vocat *tenebras* & *ignorantiam*, sic alibi Christianam religionem jure meritissimo *lucem* appellat. *Eratis* (h) inquit, *olim tenebræ, nunc lux estis in Domino*, hoc est, olim NIHIL *sciebatis*, *nunc scitis* OMNIA. Quod si quis forte dicat, *philosophorum theologiam* cum (i) *Varrone* a publica religione, quam *civilem theologiam* vocat, discernens, prisci ævi philosophos præclara multa edisseruisse de DEO ejusque colendi ratione, is velim omnem omnium philosophorum de DEO rebusque divinis doctrinam contendat cum doctrina Christianorum vel catechetica : qua in re ducem haud sane imperitum se præbet *Grotius* in altero (k) *de veritate religionis Christianæ* libro, ad quem satis lucide id cognituros delegamus. Agnoscet, scio, quisquis animum huc adverterit, religionem sive Platonicam, sive Aristotelicam, sive Stoicam, sive cujuscunque philosophi, *nihil* esse, meras tenebras esse, præ illa religione, quam quilibet de vulgo Christianus hausit e limpidissimis Scripturæ sacræ fontibus. Quod cum ita sit, quis dubitet

(g) *Ephes. IV*, 18.
(h) *Eph. V*, 8.
(i) *Apud Augustinum lib. VI. de C. D. cap.* 5.
(k) *Lib. II. §. 9. usque ad §.* 16.

bitet aſſentiri *Joanni* noſtro, ethnicos *nihil* ſcire, Chriſtianos ſcire *omnia*?

§. 4. Neque vero ſoli ethnicorum philoſophi videntur ab Apoſtolo innui, ſed facile a me impetro, ut credam, reſpici ab eodem τοὺς ἑτεροδιδασκαλοῦντας ſui ævi cui pſeudochriſtianos: qui e ſcholis ethnicis in Chriſti caſtra transgreſſi adulterabant doctrinam apoſtolorum ſpecie doctrinæ perfectioris & eximiæ cujusdam rerum divinarum intelligentiæ: quam ob cauſam inditum eis fuit nomen *Gnoſticorum*. Video, jam *Hammondo* in ſuis ad epiſtolam *Joannis* commentariis in mentem veniſſe hæreticorum iſtorum: quem etſi non ignoro pluribus eruditis (*l*) notatum fuiſſe ob violentiorem minimeque veroſimilem plurimorum N. T. locorum ad Gnoſticos applicationem, hoc tamen, quem expendimus, loco ejus ſententiæ libens ſubſcribo, ac, Gnoſticos ſimul notari ab Apoſtolo, eo minus dubito, quod & *Tertullianus* liquido (*m*) teſtatur, Gnoſticos ipſorum *apoſtolorum ignorantiam ſugillare* conſueviſſe, & ipſe *Joannes* eorum diſertam paulo poſt (*n*) injicit mentionem, qui Chriſtianam plebem meliora ſcilicet ſe edocturos profitebantur, quam docuerint Apoſtoli. *Non eſt*, inquit, *vobis opus*, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς, hoc eſt,

(*l*) *Vid. Ittigius de hæreſiarchis primitivae Eccleſiae lib. II. cap. 9. §. 6. p. 168.*

(*m*) *Lib. de praeſcript. adv. haeret. cap. 23. Vid. & c. 22.*

(*n*) *Verſu 27.*

est, ut rectissime interpretatus est Celeb. (o) *Langius*, *ut quisquam antichristorum istorum, qui sua doctrinarum βδελύγματα pro singularibus fidei mysteriis venditant, imo obtrudere volunt, vos, tanquam adhuc rudes ac ignaros, doceat nova dogmata, antea nondum a nobis Apostolis percepta.*

§. 5. Ex his, quæ dixi, elucet, propositionem apostoli, qua *Christianos omnia scire* pronuntiat, non esse, ut cum Logicis loquamur, absolutam, sed relativam. Neque enim Christiana doctrina, ut *Alstedius* (*p*) putat aliique encyclopædiæ Biblicæ (*q*) patroni, o-



(o) *Comment. ad h. l. p.* 320.

(*p*) *Exstat* Joh. Henr. Alstedii Triumphus Bibliorum sacrorum, seu Encyclopædia Biblica, exhibens triumphum philosophiæ, jurisprudentiæ & medicinæ sacræ, itemque SS. Theologiæ, quatenus illarum fundamenta ex Scriptura V. & N. T. colliguntur. Francof. 1625. in 8. *Liber est parum eruditus, nec injuria censorio carptus dente a Baelio Dict. Hist. crit T. I. p.* 177. *& Morhofio Polyhist. lit. lib. II. cap. 7. §. 79. Recte hanc e sacro codice eruendi quasuis disciplinas methodum praeter alios emunctae naris viros rejicit Verulamius lib. IX. de augm. scient. cap. I. p.* 494. *sq. & Morhofius, cujus haec est ἐπίκρισις T. II. Polyhist. lib. 2. cap. 3. §. 1.* Hic sancta quorundam simplicitas notanda est, qui inepta pietate ac superstitione potius, quam Ingenio ducti, omnium scientiarum principia in S. Scriptura putant esse recondita, qua opinione quidam imbuti integras Encyclopædias Biblicas nobis pepererunt.

(*q*) *Huc referendus est Aug. Pfeifferus*, Pansophiæ Mosaicæ *auctor, cujus hoc nomine notandi jam alibi oblata mihi fuit occasio, Act. Philos. T. II. p.* 25.

mnem, quae cadit in homines, ſapientiam complectitur: imo ne rerum quidem divinarum ſcientia in Chriſtianis, quoad in hac vita verſantur, ad perfectionis faſtigium pertingit, ſed vel apoſtolis maxima luce divinitus perfuſis fatendum (r) eſt: Ἐκ μέρους γινώσκομεν. Utroque igitur ſenſu verum eſt illud (s) *Theognidis*: Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀνὴρ ἅπαντα σοφός. Ac relativam eſſe Joannis ſententiam, ipſe nos docet ſubſequenti verſu, Chriſtianos dicens ſcire τὴν ἀλήθειαν hoc eſt, doctrinam Chriſti, qui (t) eſt ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή. Cum igitur apoſtolus noſter dicit, Chriſtianos omnia ſcire, ſignificat, eos ſcire omnia ad ſummam felicitatem conſequendam ſcitu neceſſaria. Quo ipſo ſenſu & Chriſtus: *Spiritus meus*, inquit *Joan. XVI.* 13. ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς ΠΑΣΑΝ τὴν ἀλήθειαν. Pari modo (t) alibi: *Spiritus*, inquit, *meus* ὑμᾶς διδάξει ΠΑΝΤΑ. *Paulus* item Chriſtianos ſcribit (u) ditatos eſſe ἐν πάσῃ γνώσει. Idemque precatur (x) Coloſſenſibus, ut proficiant ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ (ita addit ſemetipſe interpretans,) συνέσει πνευματικῇ, & paulo poſt [y] a ſe doceri ait homines ἐν πάσῃ σοφίᾳ.

§. 6. Revertimur ad *Joannem* noſtrum, eique attendimus docenti, unde perfecta illa Chri-

(r) 1. *Corinth. XIII*, 9.
(s) *v. 898.* (t) *Joan. XIV*, 6. (t) *Joan. XIV*, 26.
(u) 1. *Corinth. I*, 5. *Conf. Phil. I*, 9. (x) *Coloſſ. I*, 9.
(y) *v.* 28. *Conf. Coloſſ. II*, 2.

Christianorum sapientia, πανσοφία illa, in ipsos profecta sit. *Nam*, inquit, *vos unctionem habetis* ἀπὸ τοῦ ἁγίου. Figurata hæc sunt, adeoque ex antiquitate Hebraica paucis illustranda. Scilicet sacros olim inter ritus haud postremum tenebat locum *unctio*, qua modo res, modo personæ, DEO consecrabantur (z) dedicabanturque. Quam singularis exempli ritus iste fuerit, ex eo manifestum est, quod præter regem & pontificem maximum inungi solebat (a) nemo. Ii vero hoc ritu declarabantur esse augusti ac sacrosancti, sanctissimis a DEO ministeriis præfecti, quosque adeo religiosa quadam veneratione prosequi pium, quocunque modo violare nefas foret.



(z) *Spencerus lib. III. de legibus Hebr. rit. Diss. III. cap. 6. §. 1. p. 1041. originem hujus ritus incognitam sibi esse fatetur. Ego vero, quod ad unctionem rerum attinet, non dubito, fragrantissimo illo oleo significari, rem Deo esse pergratam. Vid. Genes. VIII. 21. XXVII, 27. & ad utrumque locum Jo. Clericus; Ephes. V, 2. Phil. IV, 18. De unctione personarum, & ejus symbolico scopo, dicemus paulo post.*

(a) *Tralatitia doctorum sententia est, memorata etiam a Chrysostomo homil. 3. in 2. ad Corinth. p. 531. prophetas quoque unctione initiari consuevisse. Sed locus certe 1. Reg. XIX. 16. qui unus huic rei probandae adhibetur, id non probat, & jam Lundius in Jüdischen Heiligth. lib. I. cap. 28. §. 56. & Roëllius Comm. in Ephes. §. 146. p. 363. sq. (ut Coccejum, Seb. Schmidium, Glassium, aliosque, prætream,) docuerunt, id omnino falsum esse. Conf. Dachseltii de hoc argumento Disputatio, recensita in Novis lit. Hamb. A. 1709. p. 1. & 2.*

*Ea unctio* (ut *Cunæi* (*b*) verbis idem iterum describam,) *celsitudinem quandam divinam regibus* (& pontificibus) *majestatemque addidit, sacrosancti in terris ut essent, & commercia cum Numine haberent.* Nec vero unctio illa personarum erat simplex consecrationis ritus, sed illa olei præstantissimi suavissimeque olentis affusio tria potissimum symbolica ratione significabat. *Primo* enim symbolum id erat largissimæ veluti effusionis Spiritus S. & χαρισμάτων divinorum in eum, qui ungebatur. Interpretem hujus rei se nobis Esaias praebet: *Spiritus Domini,* (*c*) inquiens, *super me, eapropter unxit me Dominus.* Unde & relatum (*d*) legimus, simul ac Davidem unxisset Samuel propheta, statim eum factum esse plenum Spiritu sancto. *Secundo* unctio ista significabat corroborationem & virium animi confirmationem, scilicet ut unctus fortiter ac strenue sanctum officii sui munus exsequi posset ac tueri. Oleum enim viribus augendis jam olim adhibitum fuisse, vel ex illo *Ciceronis* (*e*) patet: *Vellem, non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam, ut aliptæ,* (hoc est, unctores,) VIRIUM & *coloris rationem habere voluissent.* Unde & athletae sive luctatores

[*f*] oleo

(*b*) *Lib. I. de rep. Hebr. cap.* 14. *p.* 122.
(*c*) *Cap.* LXI. 1. & XLIV. 3.
(*d*) 1. *Sam.* XVI. 13.
(*e*) *Lib. I. ad Famil. epist.* 9. *p.* 116.

(f) oleo ſolebant perungi, partim ſcilicet, ut (g) fibræ redderentur molliores, partim ne tranſpiratione nimia ipſæ vires corporis veluti ejicerentur, ſed robur conſervaretur integrum & illibatum. *Tertio* denique unctio illa ſignificabat gratioſitatem, quam parit oleum illud fragrantia ſua naribus jucundiſſimum. Adi ſis *Cantic. I.* 3. & *IV*, 10. Huc reſpiciens *Paulus* 2. *Corinth. II*, 15. inquit : Χριϛὸ εὐωδία ἐσμέν τῷ Θεῷ, wir ſind Gotte ein guter Geruch Chriſti.



(f) *Vid. Cellarii Antiquitates Medicæ cap. IV. §. 6. ſqq. Ad hunc ritum athleticum, Chriſtiani quoque ſequioris aevi reſpexerunt, cum, illaudabili quidem Eccleſiae Moſaicae imitatione, (ut recte cenſet Hottingerus in Pentade p. 28. ſq. Arnoldus* in der Abbildung der erſten Chriſten *lib. II. cap. 14. §. 28. p. 322. & Cel. Buddæus Diſp. I. de ritibus Judaicis Eccleſiae Chriſtianæ §. 8.) baptizatos unxerunt: de quo Eccleſiae junioris ritu vid. F. V. Calixtus Diſp. de antiquis baptiſmi ritibus §. 20. Cyprianus epiſt. 70. p. 190:* Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei poſſit. *Quod autem dixi, unctione illa reſpectum fuiſſe ad athletas ſeſe ungere ſolitos, confirmat Ambroſius (ſi tamen Ambroſius verus horum librorum auctor eſt,) lib. I. de ſacramentis cap. 2.* Unctus es, *inquiens*, quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen ſæculi hujus luctaturus. *Dionyſius quoque Areopagita, auctor* ψευδώνυμος, *lib. de hierarch. eccl. cap. 2. §. 6. docet, unctionem baptizatorum ſignificare, certandum eſſe Chriſtiano tanquam fortiſſimo pugili. Vid. ad h. l. paraphraſis Pachymeris p. 279.*

(g) *Haſce phyſicas cauſas affert. Cl. Schulzius in Diſp. de athletis veterum, Halæ A. 1717. edita. §. 77.*

§. 7. Non jam obscurum nobis esse potest, quid sibi velit *Joannes* noster, ita alloquens Christianos: *Vos habetis* τὸ χρίσμα. Innuit quippe, Christianos, tanquam *reges & sacerdotes* novi fœderis, (ita enim idem noster *Joannes* in *Apocalypsi* (*h*) sua Christianos appellat,) accepisse divinitus Spiritum sanctum, Spiritum illum omnis χαρίσματῶ, Spiritum (*i*) roboris ac virtutis, Spiritum gratiæ, qui abstersо peccatorum fœtore reddat ipsos virtute omni fragrantissimos DEOque acceptissimos. Producam illustrandæ huic rei aliquot Novi Testamenti loca. In *Actis apostolorum* (*k*) hæc ipsius DEI verba exhibentur: Ἐκχεῶ ἀπὸ τῦ Πνεύματός μȣ ἐπὶ πᾶσαν σάρκα. Luculentior est locus *Actor.* X, 38. ubi *Jesus Nazarenus* legitur *unctus fuisse a DEO sancto Spiritu & virtute.* Sic & (*l*) *Paulus*: *DEUS nos unxit*, *hoc est*, *nobis dedit suum Spiritum.* Atque (*m*) iterum: DEUS *largissime in nos effudit Spiritum sanctum.* Quando igitur *Joannes* ait, Christianos habere τὸ χρίσμα, sive eos *unctos* esse, nihil aliud sibi vult, quam eos esse DEO consecratos, optimisque Spiritus S. donis ornatos & cumulatos, ac spirituali robore quasi indutos, virtutum DEO gratissimarum jucundissimum spirare odorem.

§. 8.

(*h*) *Cap. I. 6. & V.* 10.
(*i*) *Vid. Judic. XIV. 6. & 19.*
(*k*) *Act. II.* 17.
(*l*) 2. *Corinth. I.* 21. 22.
(*m*) *Tit. III. 6.*

§. 8. Cum porro addit, eos esse unctos ἀπὸ τ῀ ἁγίȣ, non sane Spiritum sanctum (quæ quidem *Hammondi* (*n*) est sententia,) intelligit, (quis enim dixerit, nos Spiritum sanctum accepisse a Spiritu sancto?) sed ipsum Christum, a quo Christianos accepisse unctionem, diserte v. 27. scribit, nostramque adeo interpretationem ponit extra omnem dubitationis aleam. Christus enim & *sanctus* κατ' ἐξοχὴν alibi locorum in sacro codice (*o*) vocatur, &, vt sic loquar, *Sanctus sanctorum* est, qui Spiritum sanctificationis uberrime in suos effusurum se esse pollicitus est. Is igitur Christianos unxit, suumque in eos effudit Spiritum, ut, quemadmodum ipse præcipuo merito est vocaturque ὁ χρισὸς, id est, *unctus*, sic & universi Christiani sint iidem χρισοὶ, ipsique, quippe *uncti Christi chrismate*, *recte CHRISTI dici possint*, ut *Augustini* (*p*) verba faciam mea. Concinit *Cyrillus Hierosolymitanus*, ita (*q*) Christianos affatus: *Participes ergo Christi effecti*, *merito CHRISTI*, hoc est, uncti, *vocamini*, *& DEVS dixit de vobis*: Nolite tangere *Christos* meos. *CHRISTI vero estis facti*, *posteaquam*



(*n*) *Comment. ad Act. X.* 38.
(*o*) *Luc. I.* 35. *& Act. III.* 14.
(*p*) *Lib. XV II. de C. D. cap.* 4. *extremo.*
(*q*) *Producit hunc locum Albaspinæus lib. I. obs.* 25. *p.* 116. *Alia hujus generis dicta veterum exhibet Arnoldus* in der Abbildung der ersten Christen *lib. I. cap.* 20. §. 14. *& Suicerus Thes. eccl. v.* χρισός.

*quam Spiritum S. recepistis.* Uti igitur *Lutherus* alicubi scripsit: *Nos Christiani sumus DOMINI & in genitivo & in nominativo*; sic & *Christi* utroque casu dici possumus.

§. 9. Si ergo simplicissima paraphrasi mens apostoli nostri declaranda est, hoc dictum is vult: *Vos Christiani cognita habetis omnia ad consequendam æternam salutem necessaria, quippe Spiritum habentes sanctum, vos omnia illa* (r) *docentem, & quæ antea ethnicis tenebris immersi ignorabatis, perspicue vobis* (s) *revelantem, atque adeo homines estis omnium sapientissimi.*

§. 10. Unum illud hic animadvertendum supereſt, non tribuere *Joannem* nostrum hoc ipso immediatas revelationes Christianis promiscue omnibus, quem in sensum hæc verba detorquentur a quibusdam male sani capitis interpretibus, externum verbi ministerium superbe respuentibus, rectèque refutatis, a Celeb. (t) *Langio.* Etsi enim *Spiritus sancti unctio*, ut *Olympiodori* (u) verbis utar, *mentem fidelium illuminat*, tamen id non facit ἀμέσως, sed ministris usus suis, quos in omnem orbem dimisit ad gentes quasvis docendas & præparandum san-

(r) *Joan.* XIV. 26.
(s) 1. *Corinth. II.* 10.
(t) *Comment.* 1. *Joan. II.* 27. *p.* 317. *sqq.*
(u) *Comm. in Ecclesiasten cap.* 9. *Cæterum Olympiodorus in animo videtur habuisse illud Apoc.* III. 18. Inunge oculos tuos collyrio, ut acute cernas.

ſanctiſſimo Spiritui aditum, qui eos deinceps (x) gubernat, piosque motus omnes in ipſorum mentibus per doctores e S. ſcriptura eruditis excitat, in diesque plus roboris ac gratiæ ſpiritualis iis impertit. Sumus certe meritoque vocamur, quotquot Chriſtiani ſumus, (y) θεοδίδακτοι, at non ſumus eodem modo διδακτοὶ ὑπὸ Θεοῦ, quo prophetæ & apoſtoli, ſed hoc ſenſu, quod Spiritus S. per ὑπὸς (z) διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων conſtitutos, & per τὰ ἱερὰ γράμματα nos docet ac σοφίζει [a] εἰς σωτηρίαν.

§. 11. Meridiani jam ſolis luce clarius eſt, ſcientiam Chriſtianam, quam e ſacris haurimus literis, eſſe veram πανσοφίαν, eamque cæteris diſciplinis ab omnibus, qui colunt literas, longiſſimo anteponendam intervallo. Caetera igitur ſtudia πάρεργον Chriſtianorum eſſe oportet, hoc τὸ ἔργον. Quare ſacra volumina nocturna diurnaque manu verſare debemus, quotquot literis navamus operam, ſive theologiæ, ſive jurisprudentiæ, ſive medicæ artis, ſive philoſophiæ, ſive philologiæ denique cultores profeſſoresque. Quicquid enim eſt præter ſacram iſtam diſciplinam diſciplinarum, vitæ hujus (quam brevis! quam miſeræ!) terminis circumſcribitur: ſola illa



(x) *Rom.* VIII. 14.
(y) *Joan.* VI. 45.
(z) *Epheſ.* IV. 11. 12.
(a) 2. *Tim.* III. 15.

comitatur nos infinitum illud ævum ingreſſuros, ac, cæteris ſcientiis æternæ traditis oblivioni, non manet ſolum, verum etiam abſolutiſſime expolitur & ad perfectionem perducitur eam, quam capit homo ἰσάγγελος. Nec vero Chriſtiana illa πανσοφία ſterilis eſt ſcientia & infructuoſa ac veluti mortua. Imo lux mentis illa eadem vitæ dux eſt certiſſima. Scientia illa θεόδοτος regit ac moderatur conſcientiam, nec eruditos ſolum nos facit, ſed etiam ſanctos. *Nos*, inquit [*b*] *Cyprianus*, vir ſanctiſſimus, *non verbis, ſed factis, ſumus philoſophi: nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate praeferimus: nos non loquimur magna, ſed vivimus.* Ipſe *Joannes* noſter nos admonet, *practicam* eſſe Chriſtianam eruditionem, eo ipſo, quo verba modo expenſa exhibet, capite hunc ſcribens [*c*] in modum: Πᾶς ὁ ποιῶν [FACIENS] δικαιοσύνην ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται. Tribus ut verbis rem omnem comprehendam, Chriſtiani ut *ſciunt* OMNIA divinitus edocti, ſic & *faciunt* OMNIA divino agitati corroboratique Spiritu, dicentes cum [*d*] Paulo: ΠΑΝΤΑ ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ.

(*b*) *Lib. de bono patientiae cap. 2. p. 211.*
(*c*) 1. *Joan.* II. 29.
(*d*) *Phil.* IV. 13.

III.

III.

# THEODORI HASAEI,

## De *Baptizatis Christum indutis* ad illustrationem loci Gal. III: 27.

## *EXERCITATIO.*

### SUMMARIUM.

Disquirendum, quo hac phrasi respexerit Apostolus. §. 1. Quid in variis de hac re conjecturis desiderandum. §. 2. Novae conjecturae proponuntur ex sacris *Isiacis* §. 3. ex more *Sophistarum* §. 4. e ritibus *sacrificeantium* §. 5. *Mithriacis* §. 6. Cur eae heic locum habere nequeant ostenditur. Scripsit hanc epistolam ad *Judaeos*. §. 7. Ex eorum itaque sacris illa phrasis est illustranda. An ex inauguratione Sacerdotum? Apoc. I: 5. 6. illustratur §. 8. Vestium mutatio cum lotionibus passim conjungitur §. 9. Quid in hujus phraseos explicatione attendendum sit. Respicitur ad historiam receptionis populi in foedus, quae describitur Exodi XIX. §. 10. Ibi enim occurrit (A) *lotio*; quod probatur (a) e voce קדש, quae Judaeis est *lavare*. §. 11. & sacris scriptoribus. §. 12. uti ἁγιάζειν est purgare §. 13. (b) ex phrasi *lotionis vestium*, quae corporis baptismum innuit §. 14. (c) ex historia *Columnae* N. & I. quae aquam spargebat inpopulum, quod probatur ex testimonio Josephi, natura nubis, diversis scripturae locis & phrasibus. §. 15. In primis ex 1. Cor. X, 2. 3. cui nova lux adspergitur §. 16. (B) *Vestium* in-

indumentum. Quod probatur ex Josepho, Philone §. 17. ex loco Ezech. XVI, 8. §. 18. (C) *Indutio Christi*, cujus symbolum fuit nubes, quae ambiebat populum §. 19. Illa autem erat columna N. & I. §. 20. quae undiquaque populum ambiebat. Deut. XXXII, 10. 11. §. 21. Instar *tabernaculi* §. 22. Unde venit sub symbolo *vestis*. Quod probatur (α) ex Ps. CV. 39. Es. IV, 4. quid sit חפה *Chuppa*. §. 23. Ex (β) phrasi, qua illi tribuuntur *Alae*. Phrasis *Umbra alarum Domini* hinc accersenda. *Alae* notant *fimbrias* vestium. §. 25. De phrasi gemina. *Expandere super aliquam alas*. §. 26. De altera, qua baptizati se *recipere* dicebantur *sub alas Schechinae* §. 27. Locus Ezech. XVI, 7. illustratur §. 28. Ex (γ) collatione scriptorum profanorum, nubem, instar vestis describentium §. 29. Ex (δ) aquis illis, ex nube stillantibus, populumque instar vestis cingentibus. Neque (D) haec ignorare tum poterant Judaei §. 31. vel Christiani §. 32. Omnia autem (E) bene conveniunt cum scopo Apostoli. §. 33. 34. Lotio & vestium indutio ab antiquissimis temporibus fuere conjunctae. Sunt emendationis morum Symbolum. Gen. XXXV. 2. §. 35.

## §. 1.

AD recte intelligendum Paulinum locum Gal. III: 27. ΟΣΟΙ ΓΑΡ ΕΙΣ ΧΡΙΣΤΟΝ ΕΒΑΠΤΙΣΘΕΤΕ ΧΡΙΣΤΟΝ ΕΝΕΔΥΣΑΣΘΕ, id faciet praecipue, si cui rei potissimum, cum ista scriberet, animum intenderit Apostolus, cognoverimus. Variis illud modis doctissimos Viros exercuit, quorum bene longum catalogum supra pag. 361. tum à celeberrimo D' OUTREINIO, cujus ibi exstans dissertatio huic

huic disquisitioni ansam praebuit, tum à me contextum vide. Cogitationes illorum ad tres fere classes referri posse deprehendo. *Prima* est illorum, qui isthaec ex ritibus illustranda conjiciunt GENTILIUM inter quos vel religionis causa, vel triumphum acturi, vel juraturi Deorum suorum vestes induebant. Altera CHRISTIANORUM heic ritus baptismales respici autumat, quibus sacro lavacro tinctos candido amicire vestimento solebant. Tertia denique de JUDAEIS cogitat, solennemq; Pontificis maximi inauguratione quae sub templo secundo sacerdotalium vestium induitione, quam Judaei vocabant מרובה בגדים, *multiplicationem vestium*, absolvebatur, innui existimat.

§. 2. Habent illarum opinionum singulae aliquid incommodi. Vel enim de ejusmodi loquuntur ritibus, qui illis, ad quos scribebat Apostolus, *Judæis* nempe, vix erant cogniti, vel qui tum nondum usu erant recepti, quo pertinet, quod de candidae vestis in baptismo Christianorum usu adducitur, vel omnis analogia, ad unicam duntaxat rem v. gr. *vestiariam*, refertur, cum saltim aliquid heic debeat afferri, quod simul alicujus lotionis pariter & *vestitus* indicium habeat, vel denique nulla Paullini scopi, totiusque sermonis συναφειας habetur ratio.

§. 3. Quando olim de hac re mecum meditabar, in mentem venit sollemnis ad sacra

Isi-

Isidis inaugurationis, quae & *lotione* fiebat, & *induitione*. Docet id Apulejus Metam. L. XI. *Jamque tempore id postulante, stipatum me religiosa cohorte deducit ad PROXIMAS BALNEAS, & prius sueto LAVACRO traditum PURISSIME CIRCUM RORANS ABLUIT, rursumque ad templum reductum ante ipsa Deae vestigia constituit.* Vides baptismum, sed & nota vestitum singularem. Ita enim deinceps pergit. *Tunc semotis procul profanis omnibus LINTEO undique CONTECTUM amicimine, arrepta manu sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia. -- -- perfectis solemnibus, processi DUODECIM SACRATUS STOLIS habitu quidem religioso satis, sed effari de eo nullo vinculo prohibeor. Namque in ipso aedis sacrae meditullio, ante Deae simulacrum constitutum tribunal ligneum jussus, superstiti, byssina quidem, sed florida depicta VESTE CONSPICUUS. Et humeris dependebat pone tergum talorum tenus pretiosa Chlamyda, quaqua tamen viseres, colore vario circumnotatis insignibar animalibus, hinc Dracones Indici, inde gryphes Hyperborei, quos in speciem pinnatae alitis, generat mundus alter --- hanc Olympiacam STOLAM sacrati nuncupant-- sic ad instar solis exornato, & in vicem simulacri constituto in adspectum populus errabat.* Notari posteriora haec verba velim. Deprehendis enim heic aliquem non *lotum* solum, & *indutum*, sed & *habitu indutum idoli*, nempe solis.

§. 4. Cogitavi quoque aliquando de veterum Sophistarum more, qui adolescentem in

suam

ſuam ſocietatem receepturi ſolenni illum pompa ad *balneum* publicùm deducebant, deinde autem *veſte* quadam ſingulari ac pallio donabant quod geſtare nemini integrum erat, niſi cui illud a ſophiſtis ſingulari privilegio permiſſum eſſet. Id quod dicebatur δεχεσθαι την τε τριβωνος αξιαν, vel ut alii legunt εξεσιαν vel λαμβανειν τον τριβωνα. Quod quibus contigiſſet illi legitimi, & εγγεγραμμενοι, illorumque myſteriis initiati eſſe credebantur. De quo ritu vide inprimis quae Ludovicus CRESOLLIUS in Theatro Rhetorum ex Photio, Gregorio Nazianzeno, Eunapio, Ariſtophane atque aliis adnotavit L. III. c. 6.

§. 5. Obverſati quoque animo meo ſunt mores ethnicorũ, qui ad rem ſacram faciundam vix accedebant, niſi & bene *loti aqua*, & ſplendidis ſimul *amicti veſtibus*. Herodotus de Aegyptiorum id narrat Sacerdotibus L. II. c. 37. *qui tertio quoque die non ſolum corpus radebant, ne, quando ſacris operabantur, vel pediculus aliquis, aut alia ſordes adhaereſceret, ſed & tantum lineam VESTEM GEREBANT, calceosque papyraceos, quotidie autem FRIGIDA LAVABANTUR bis ſingulis diebus, & totidem vicibus noctu.* De eorundem Regibus refert Diodorus Siculus L. I. Bibl. Hiſt. p. m. 63. quod ubi primo mane literas miſſas accepiſſet, επειτα ΛΟΥΣΑΜΕΝΟΣ και τοις της αρχης συσσημοις μετ' ΕΣΘΗΤΟΣ λαμπρας κοσμησας, το σωμα *poſtquam ſe deinde LAVASSET, & inſignibus imperii ut & VESTE alba*

*ba ornaviſſet, corpus ſacrificatum DIS proceſſerit.* Confer quoque Porph. de abſtinentia L. IV. §. 7. Telemachi matri ita filius acclamat apud Homerum vſ. 48.

ὑδρηναμενη καθαρὰ χροι εἱματ' ελυσα
Ευχεο πασι θεοισι.

*Abluta, puris veſtibus ſumtis*
*Vota fac omnibus DIS.*

Tibullus L. II. El. I: vſ. 13. id innuit

*Caſta placent ſuperis, PURA cum VESTE venite*
*Et MANIBUS PURIS ſumite fontis aquam,*

quem verſum explicat Servius ad Aen. L. XIV. vſ. 169.

-- *Puraque in veſte Sacerdos,*

ubi *Impolluta*, inquit, *& pura dicitur veſtis, qua feſtis diebus, uti conſueverant ſacra celebraturi. Ideo magiſtratus & ſacrificaturi togam praetextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant.* Euripides in Alceſte vſ. 157. ſqq.

-- ὑδασι ποταμιοις λευκον χροα
Ἐλυσαι' ἐκ δ' ἐλυσα κεδρινων δομων
Ἑσθητα κοσμον τ' ευπρεπως ἡσκησατο.

-- *fluviali aqua candidum corpus*
*Lavit, & accipiens ex cedrinis arcis*
*Veſtem, & ornamenta decore ſe ornavit.*

Sed

Sed haec in re nota, quam omnes fere, qui de veterum lotionibus & sacrificiis scripserunt, notarunt, plus satis. Sicut apud Judaeos quoque rem sacram facturos & vestium, & purgationis rationem accurate habitam fuisse, ostendi posset, si id ageretur.

§. 6. Sed & in eam cogitationem nonnunquam incidi, MITHRIACA sacra, in quibus prorsus aliquid geminum occurrit, huic locutioni potuisse occasionem praebere. Qui enim iis erant initiandi, solebant *baptizari*, juxta & indui *vestibus*. Audiamus modo Tertull. de praescr. c. 40. TINGIT ET *ipse Diabolus quosdam, utique credentes & fideles suos expositionem delictorum de LAVACRO repromittit, & sic adhuc initiat, Mithra signat illic in frontibus milites suos celebrat panis oblationem, & IMAGINEM RESURRECTIONIS inducit;* Rectius quidam codices legunt, *induit*, atque ita haec verba, nisi valde fallor, innuerent ejusmodi ritus in sacris Mithriacis adhibitos, quales in usu erant Christianis eâ tempestate, mersionem scilicet in aqua, exutionem (*a*) vestium, purarumque indutionem, quibus nimirum imago resurrectionis populo ob oculos ponebatur. Baptismi idem meminit in libro de bapt. c. 5. *Nam & sacris quibusdam per LAVACRUM initiantur Isidis alicujus, aut MITHRAE,*



(*a*) Utendum nobis erit his vocibus, cum commodiores non occurrant, quamvis Latinas aures minus iis esse adsuetas sciamus.

*ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt.* In iisdem autem ſacris Mithriacis ſacerdotes veſtes certorum animalium ſimulacris depictas & figuratas quales deſcripſiſſe modo Apulejum audivimus, gerebant, unde videntur Coracica, Leontica, & Gryphica vocata, quod ſub figuris illorum animalium corvorum, leonum Gryphum tradebantur. De quo ritu Phil. à *Turre*, Forojulienſis de *Mithra* diſſ. c. V. ejus monumentis veteris Antii Romae primo hujus ſaeculi anno editis adjectam conſule.

§. 7. Cum itaque in gentium ſacris ad quae alias frequens eſt Apoſtolici ſermonis alluſio, & *lotiones*, & *veſtium* ſolennes ἐνδύσεις commemorentur, quibus Deorum ſuorum miniſterio conſecrabantur, putavi quondam hanc Paulinam phraſin hinc illuſtrari poſſe luce, ſed accuratius ſubductis rationibus deprehendi non in eo ſubſiſtendum eſſe. Ut enim nunc alias rationes praeteream, Apoſtolus ſcribit ad Judaeos, quibus illa gentilium ſacra, ad quae ἀμύητοις vix aliquis acceſſus concedebatur, aut prorſus non, aut parum ſane perſpecta atque explorata erant. Ad illos autem dirigi ſermonem & totus epiſtolae contextus, ſcopusque, quem ſibi Apoſtolus in illa praefixerat, demonſtrare nimirum, non amplius legi ceremoniali locum eſſe, comprobant. Et ne longius abeamus, cum in commatibus quae noſtrum locum praecedunt, eos, ad quos ſcribit, ſe adjungat, eosque dicit

cit *concluſos fuiſſe ſub lege*, & *concluſos ad futuram diem*, *quae erat revelanda* vſ. 23. iisque *legem* fuiſſe *paedagogum ad Chriſtum*, vſ. 24. immo *fuiſſe ſub paedagogo* vſ 25. cum porro deinceps ſequenti capite de iis teſtetur fuiſſe ὑπο ἐπιτροπους καὶ οἰκονομους ἀχρι της προθεσμιας τȣ πατρος, καὶ νηπιους ὑπο τα ϛοιχεια τȣ κοσμȣ δεδȣλωμενȣς, ecquis non animadvertit Judaeis haec dici, atque phraſibus Paulinis ad ea alludi, quae illi ignorare omnium poterant minime?

§. 8. Id cum perpenderem, Judaeorum conſiderare ſacra coepi, & quid ex illis huc faciat, circumſpexi. Occurrebant illico illorum Sacerdotes, qui ſuo initiari muneri non poterant ſine LOTIONE, ex diſerto Dei mandato, quod exſtat Ex. XXIX: 4. Notanda ſunt Joſephi verba Ant. Jud. L. III. c. 9. qui ſcribit Moſen *mactatis animalibus adſperſiſſe eorum ſanguine Aaronem, ejusque filios eorumque veſtes & purgaviſſe aquis fontium*, ΙΝΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΓΕΝΟΙΝΤΟ ut *fierent Dei*, ſc. ſacerdotes, additque *ſeptem diebus eo modo illos & veſtes illorum* curaviſſe. Vulgatum porro eſt lotioni illi acceſſiſſe ſingularem VESTIUM ornatum qui deſcribitur Ex. XXV: 40-43. quem pertinuiſſe ad inaugurationem ex ſequentis capitis commatibus 8.9. diſcimus. Inprimis ex collatione Ex. XL: 12. 13. 14. 15. quem vide. Philo Judaeus inaugurationem ſacerdotum a Moſe factam deſcribens in libro de ejus vita tertio; λȣει inquit, το πρωτον αὐτȣς ὑδατι πηγης

τω καθαρωταλω και ζωπικωτατω. Καπειτα τας ιερας αναδιδωσιν εσθητας. *Primum* ABLUIT *eos aqua fontis purissimi, limpidissimique, deinde autem sacras iis induit* VESTES. Testantur quoque Judaei, *inaugurandum sacerdotio octo vestium species induisse, deinde exuisse, rursus ut altero die rursus indueret, eamque induitionem per septiduum continuasse*, ut patet ex Maimonide de appar. templ. c. 4. Immo sacerdotes quotidie, cum sacris operaturi ingrederentur tabernaculum se lavisse, idque stante tabernaculo non solum manus pedesque, sed & erecto templo totum corpus (quam ablutionem vocabant תבילת כל הגוף) constans est Judæorum traditio. Praeterea in illis circumstantiis augustis illis vestibus amicti erant ex lege illa, quam Deus dedit sub comminatione poenae mortis Ex. XXVIII: 43. quas deinde rursus deponebant, singulari cistae, quarum in sanctuario erant XCVI. includendas; Neque enim illis uti, extra cultum divinum integrum erat, quod vel ex Ezech. XLIV: 19. constat. Paulus itaque sermonem suum dirigens ad Novi foederis fideles, qui toties *Sacerdotes* vocantur, & βασιλειον ιερατευμα, eis videri posset illud nunc in memoriam revocare voluisse, cum & *baptizatos* & *indutos* esse scribit, quemadmodum hos quoque ritus respiciens D. Johannes in Apocalypsi I: 5. 6. Cum dixisset ABLUTOS *esse sanguine Christi a peccatis*,

*tis*, uno halitu addit factos esse *Reges* & SACERDOTES.

§. 9. Sed & alias frequenter mutatio vestium cum purificationibus conjungebatur. Qui mundatus erat à lepra, illi omnes *vestes* erant abluendae, & ipse *aqua* toto *corpore lavandus*, ut discimus ex Lev. XIV: 8. 9. Id pariter injungitur diversis personis, quarum partes erant in combustione vaccae rufae, v. gr. illi cujus erat lignum cedrinum, hyssopum & lanam coccineam in icere vaccae, quae comburebatur, & illi, cui illa combustio erat demandata, & qui cineres vaccae colligebat, &, cujus erat adspergere inpurum, non minus, ac illi, qui adspersionis aqua tingebatur, his, inquam, omnibus ablutio corporis juxta & vestium mundatio erat demandata, quod Numerorum Caput decimum nonum nos docet. Occurrit praeterea illa phrasis passim יכבס בגדיו & *lavabit vestimenta sua*, ut videre est Lev. XI: 25. 28. 40. XIV: 47. XV: 5. 6. 7. XVI: 26. 28. XVII: 15. XXII: 6. Num. VIII: 7. 21. XXXI: 24. Jam vero est pervulgata magistrorum Judaicorum opinio, illa phrasi notabilem non solum vestium exutionem, purgationem, atque induitionem, sed & eam totius corporis mundationem quae aqua fiebat, idque summa cum cura, significari. Apostolum itaque iis, qui Christo nomen dederant, excitaturum memoriam mutationis status, qua se à sordibus peccati, & mortuis operi-

bus Christi sanguine & spiritu esse purgatos, debebant declarare, diceres iis uti locutionibus, quae mutuatae erant ab illis ritibus, quibus haec olim V. T. fidelium animis repraesentata fuerunt.

§. 10. Ut tamen dicam, quod res est, non haec animo meo satisfaciunt. Si enim verba Pauli in plena collocare velis luce, tale aliquid afferendum est, in quo (A) vestigia appareant non solum alicujus *baptismi* sive lotionis, sed & ejuscemodi, quam comitabatur [B] vestium *induitio* & quidem [C] talis, in qua Christus ipse, tanquam vestis indui dici poterat, cujus [D] etiam memoria illa tempestate, qua scribebat Paulus, nondum erat obliterata, neque apud Judæos, neque apud Christianos, sed vulgari quodam ritu saepius renovabatur, cui denique, [E] cum scopo Apostoli, bene conveniat. Haec autem omnia, nisi fallor animi, occurrunt, in illustri illa populi Judaici in numerum foederatorum Dei aggregatione, quam tertio, postquam ex Aegypto exiverant, mense in deserto propter montem Sinai factam esse, Exodi cap. XIX. commemoratur, ritibusque illis, qui ex ea primum ad Judaeos, atque ab his deinceps ad Christianos derivati sunt.

§. 11. Occurrit ibi [A] *Lotio* dum Deus jubet eos *sanctificari*, Ita enim praecipit Mosi. לך אל העם וקדשתם היום ומחר *I ad populum, & sanctifica eos hodie & cras*, vs. 10. & id fa-

factum est; *Descendit enim Moses de monte ad populum, & SANCTIFICAVIT populum, & abluerunt vestimenta sua* v. 5. 14. Verbo illo וקדשתם innui ablutionem docet Abenesra ad illum locum; וטעם וקדשתם שירחצו במים *Et sensus est*; sanctificabis eos, *ut lavent se aquis.* Abarbanel ad eundem locum, נכלל בקדושה ההיא מה שפירש מר'עה אל תגשו אל האשה ורחיצת הגופים ואפשר שאמר וקדשתם היום ומחר על הרחיצה שירחצו ויזבו בימים ההם כי זה יקרא קדוש כמו שאמר קידוש ידים ורגלים: *In consecratione hac comprehenditur id quod exposuit Moses, Doctor noster p. m.* verbis v. 15. *ne accedatis ad uxorem; item* LOTIO CORPORUM. -- --

*Quin & nil obstat, quo minus dixerit* & consecrabis eos hodie & cras de ABLUTIONE, *ut abluant se ac purgent istis diebus. Hoc enim vocatur* CONSECRATIO *quemadmodum consecratio manuum atque pedum.* Imo vulgata est haec Judaeorum sententia, uti vox קדש in istis circumstantiis occurrit, semper innui *lustrationem*; Vide Maimon. hilc. Biath Hammikdasch c. 5. Cod. Joma c. III. sect. 2. 3. 4. 6. 10. Jom Hakkippurim c. II. §. 2. Thorath cohanim ad Lev. XVI. f. 41. col. 4. Alias טבילה & קדוש ita distinguunt, ut illa notet totalem immersionem, haec autem tantum ablutionem manuum ac pedum, de qua re vide Sheringamii notas ad citata Jomæ loca c. III. §. 3.

§. 12. Sanctificare autem idem fere esse ac abluere a sordibus ex stilo s. scripturae patebit, in qua קדש & טהר conjunguntur. Ita Lev. XVI: 16. *Et adsperget super illud* [altare] *ex sanguine digito suo septies*, וטהרו וקדשו *& purificabit & SANCTIFICABIT de immunditie filiorum Israelis.* Ita Es. LXVI: 17. fit mentio, των המתקדשים ומטהים *sanctificantium se & purificantium ad hortos* Ita Ex. XXIX. vs. 1. coll. cum vs. 4. קדש & רחץ במים inter se permutantur. Vide quoque Ex. XL: 12. 13. Ita quando Bathseba 2. Sam. XI: 4. dicitur מתקדשת, מטומאתה *id recte plurimi interpretum explicant de lotione ab immunditia, quae per concubitum contracta erat, quasi Persii phrasi* Sat. II: 16. dicere velles *purgatam flumine nostis.*

§. 13. Simili ratione in N. T. ἁγιαζειν sumitur pro καθαριζειν. Ita Paulus ait 2. Cor. VII: 1. Cum itaque tales habeamus promissiones, ΚΑΘΑΡΙΖΩΜΕΝ *nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, ἐπιτελουντες ΑΓΙΩΣΥΝΗΝ ἐν φοβῳ θεου. Ita Eph. V: 26. cum dictum esset Christum ecclesiam suam ἁγιαζειν, quomodo id fiat, porro explicat καθαρισας τω λουτρω του ὑδατος ἐν ῥηματι. Et cum Apostolus 1. Cor. VI: 11. dixerat ἀπελουσασθε immediate addit ἡγιασθητε. Atque inde lucem accipit locus ad Tit. III, 5. quando ibi mentio fit του λουτρου της παλιγγενεσιας. Inde ἁγνος quoque notat καθαρος. Hesychius. Ἁγνοι οἱ καθαροι και σεβασμιοι.

σμιοι. Et LXX. pro טהור purus ponunt ἁγιος Lev. X, 14. Etymologici magni ſcriptor ἁγιος explicat non ſolum ε'υκτος, πμιος, ε'υστεβης, ſed & καθαρος. Et ſi κοινον, quod reſpondet Ebraico חול, idem eſt ac ἀνιπτον, quod diſcimus ex Marc. VII, 1. ſequitur ex natura oppoſitorum ἁγιον, & קדש notare το νιπτομενον, quod *lotum* eſt.

§. 14. Quod ſi tamen in foederis illa ſanctione talem lotionem habuiſſe locum non putas poſſe colligi ex voce קדש, ſequitur tamen illud ex altera phraſi, cum additur lavandas eſſe illorum veſtes. יכבסו שמלותם, *& lavent veſtimenta* ſua. Illa autem totam corporis immerſionem lotionemque ſignificari modo §. 9. monitum a nobis eſt. Atque hoc ex collatione Lev. XV: 10. 11. 21. 22. 27. ubi veſtimentorum lotio cum corporis ablutione conjungitur, conſtare arbitror. Saltem id viſum Judaeorum Magiſtris. Docet id diſertus Maimonidis canon in Hilc. Mikvaoth. c. 1. §. 2. כל מקום שנאמר בתורה רחיצת בשר וכיבוס בגדים בן הטומאה אינו אלא טבילת כל הגוף: *Quoties cunque in lege injungitur mundatio carnis &* LOTIO VESTIUM, *ab immunditie, toties nihil aliud innuitur, quam* BAPTISMUS *totius* CORPORIS. Adjungamus ei Bechai in legem fol. 87. c. 2. מכבוס הבגדים למדנו טבילת הגוף וכן דרשו ר'ז'ל במכילתא אין לך כבוש בגדים שלא יהא טעון טבילה: *Lotione veſtium diſcimus baptiſmum corporis. Et hic*

*exposuerunt Magistri nostri b.m. in Mechilta, nunquam lotio vestium tibi injungitur sine obligatione ad baptismum.* Vide praeterea Codicem Jevamoth f. 46. Maim. hil. Issure bia c. 13. §. 13. R. Mosen Mikkozi pr. neg. num. 115. aliosque citatos à Cl. Danzio in Diss. de bapt. prof. §. 30. & Seldeno de Syn. Vet. Ebr. L. I. c. 3.

§. 15. Quod si tamen ne ita quidem te induxero ut credas tum baptizatos fuisse Judaeos, puto tamen te mihi adstipulaturum, quando memineris Columnae, illustris illius Israelitarum, qui in deserto palabantur, comitis ac Ducis. Illa cum, ut mox videbitur, populum ab omni latere tegeret & cingeret, rore eum liquido jugiter adspergebat. Testatur id de illa Josephus Ant. Jud. L. III. c. 8. §. 5. Ηδεια δε απ' αυτε δροσος ερρει; Quamvis enim non desint, qui de fide hujus scriptoris dubitent, quod nihil de ea re divinus scriptor tradiderit, non video tamen satis idoneas iis esse dubitandi causas. Erat enim nubes; nubes autem cum tota aquosa sit, non potest non stillare. Saltim Judaei, tantum inde emanasse aquarum scribunt, ut maculatae in deserto vestes iis fuerint purae candidaeque factae. Vide Jalkut Ps. XXIII: 98. col. 2. Midrash Tillim Ps. 23. Et multa sunt sacrarum literarum loca, quae id videntur innuere. Non loquar de Baptismo spiritus & ignis, qua phrasi huc respici. Matth. III: 11. nonnulli suspicati sunt. Neque id inepte;

prae-

praecipue si conferatur locus Es. IV: in quo toto capite cum omnes phrases hanc columnam respiciant, ita & illa, quae commate quarto occurrit, & de *baptismo*, quo filia Zionis esset abluenda, & de *igne* suscitando huc referenda est. Nec adducam, quam elegans tum inde exsurgat emblema & spiritus & doctrinae Christi, quae sub Symbolo roris pluviaeque proponuntur. Deut. XXXII: 1. Ps. LXXII: 6. CX: 3. Es. LV; 10. 11. atque alibi. Inspiciamus modo Ps. LXVIII: 8. 9. 10. ubi dicitur, *cum Deus egrederetur coram populo suo, cum incederet per desertum* (incessit autem in deserto ante populum suum in Columna illa, suae praesentiae visibili symbolo) *tum tremuisse teram, & coelos* STILLAVISSE *a facie ejus, tremuisse Sinai a facie ejus, Pluviam copiosam effudisse super haereditatem suam, & fatigatam confirmasse.* Cum autem in his versibus respiciatur praecipue panegyris illa populi ad radices montis Sinai, cum legem suam promulgaturus esset Dominus, tum quidem temporis sigillatim inde patet factum esse, ut, si huc verba (*a*) Poetae transferre liceat,

- χρανοθεν σκοτιον νεφος ἀμφιλλαυψη
χρωτα δε μυδαλεον θειη, κατα θ' εἱματα δευσι.

*Coelitus tenebrosa nubes circumtegeret,*
*Corpus madefaceret, vestesque humectaret.*

Sal-

(*a*) Hesiodi in ἐργοις vss. 555. 556.

Saltim illas nubes, quae in datione legis videbantur, aquarum fuisse foetas ex Ps. XVIII: 12. colligimus.

§. 16. Omnem autem dubitationem tollit Apostolus 1 Cor. X: 2. 3. ubi dicit Judaeorum *patres fuisse sub nube, atque omnes transiisse per mare, & omnes in Mosen esse baptizatos & in nube, & in mari.* Non opus est, ut cum Viris quibusdam insignibus à sensu literali abeamus nimium, & per θαλασσαν conceptaculum aquarum intelligamus, illosque statuamus dici *in nube & mari baptizatos*, qui aquis pluviarum fluminumque maritimis imbuti essent, aut aliquam ταυτολογιαν heic admittamus, & Apostoli sermonem ad Baptismum illum initiationis, de quo dictum est, referamus unicè. Quin? Oratio Apostoli sine istis procedit egregie, si recte capiamus. Ostensurus enim Patres V. T. eorundem sacramentorum fuisse participes, quibus fideles N. foederis gaudent, revocat iis in memoriam duo illa beneficia, quibus transeuntes rubrum mare, & tecti columnâ nubis, fuerant mactati. ου θελω υμας αγνοειν, Αδελφοι, ὁτι οἱ πατερες ἡμων ὑπο την νεφελην ἡσαν, cum videlicet Nubes illa in toto itinere, praecipue autem ad montem Sinai, eos tegeret atque obumbraret, και παντες δια της θαλασσης διηλθον. Ut autem agnoscerent, hoc beneficium, non esse exiguum, imo idem esse cum illo, quo gloriabantur Christiani, asserit tum esse *baptizatos*, & quidem *bis*: εβαπτι-

παντὸς ΚΑΙ ἐν τῇ νεφέλῃ ΚΑΙ ἐν τῇ θαλάσσῃ. Nota bis repeti & copulam καὶ, & articulum τῇ, quod ſine emphaſi non factum eſt. ET *in nube*, ait, cum, videlicet, adſpergerentur (βαπτίζειν enim eſt quoque adſpergere) guttis, quae deſuper e nube illa decidebant, immo rorulenta illa nube undique cincti ac quaſi involuti eſſent.

Sed ET IN MARI, cum illud tranſeuntes medium ab utroque latere ejus fluctibus non ſolum circumdati, ſed & ab illis in ſummam altitudinem erectis quaſi cooperti eſſent, Et ſic βαπτίζειν venit, ut alias ſaepe, (*b*) notione, *cingendi*, *obruendi*, *involvendi*. Quidquid hujus rei eſt, tametſi hunc locum non ad baptiſmum illum initiationis, qui Exodi capite XIX. deſcribitur, velis referre, affatim tamen docet Iſraelitas, cum deſertum ingreſſi eſſent, & praecipue prope Sinai montem haererent, *baptizatos* fuiſſe, idque columnâ illa nubis. I. Q. E. D.

§. 17. Illi autem baptiſmo adjuncta erat (B) memorabilis veſtium ἔνδυσις. Vel ipſa veſtium lotio illam complectitur. Ut enim hae lavarentur, debuerunt exui, & deinceps rurſus ſolemni ritu indui, quo non niſi puris, mundatisque veſtibus coram Domino apparerent legem ſuam daturo. Talmudiſtae ſexa-

(*b*) Confer ſis celeberrimi Wittenbergenſium Theologi; WERNSDORFII de *baptiſmi Chriſtianorum origine mere divina* Diſſert. p. 17.

xaginta Angelorum myriades Iſraelitis tum e baptiſmo aſſurgentibus & obedientiam ſtipulantibus veſtes contuliſſe ſcribunt, finguntque. Vide Tanchuma f. 42. c. 4. circa finem. Echa Rabbathi citatum in Jalkut, & Abarben. ad Ezech. XVI: 10. Saltem Iſraelitas eximiis tum nitidisque amictos fuiſſe veſtibus, vulgarem ac vetuſtam fuiſſe inter Judaeos traditionem ex verbis colligo Joſephi, qui A. J. L. III. c. 4. eos, dum reditum Moſis e monte praeſtolarentur, & *victu ſumtuoſiore uſos, & veſtitu ſplendidiore una cum uxore ac liberis exornatos* fuiſſe, memoriae prodidit. Ut & Philonis Judaei, qui ita in libro περι των δεκα λογιων p. m. 750. populum audientem legem deſcribit. *Adſtabat populus purus a congreſſibus mulierum, & omnibus voluptatibus abſtinens praeter cibos neceſſarios*, λωτροις τε καὶ περιρραντηριοις καθηραμενος ἐκ τριων ἡμερων, ἐτι καὶ τας ἐσθητας ἀποπλυναμενος ἐν τοις μαλιστα λευχιμων, ex quibus vides non ſolum per triduum fuiſſe LOTOS, ſed & nitidisſimis amicitos fuiſſe VESTIBUS.

§. 18. Atque haec non parum puto confirmari poſſe ipſis verbis DOMINI apud Ezechielem capite XVI: ubi populo Iſraelitico verbis graviſſimis immemorem beneficiorum animum, exprobrans, poſt deſcriptionem emphaticam miſerrimi illius ſtatus, in quo in Aegypto, eos invenerat, foedus cum illis pactum iis ob oculos ponit, quod ſub ſymbolo ad-

adumbrat foederis connubialis. Ibi autem id iis potiſſimum objicit a ſe, cum impuri eſſent, eſſe LOTOS vſ. 9. *Et lavi te aquis & mundavi*, vſ. 9. & cum nudi eſſent, VESTITOS, & *veſtivi te* veſtibus *diſcoloribus*, vſ. 10. 11. 12. 13. & quae ſequuntur. Quibus quidem phraſibus quemadmodum non abnuo ſpiritualia deſignari beneficia ſpiritualem Iſraelem concernentia, ita quoque nollem abnui, propriam vocum ſignificationem non eſſe abjiciendam, nihilque hic commemorari, quod non locum habuerit circa Iſraelem veterem ſenſu proprio & literali ſimulque typus fuerit ſpiritualis alicujus beneficii, quod in fideles N. T. erat redundaturum. Ita vidimus illum *lotum* fuiſſe; Vidimus quoque ſplendidis exornatum fuiſſe *veſtibus*, cum Deus cum eo vellet icere foedus. Utrumque illi Dominus per prophetam objicit. Sed & tertium adjungit. vſ. 8. *Et expandi ſuper te alam meam*, id quod pariter juxta literam locum habuit circa Iſraelem veterem ad radices montis Sinai ſtantem. Atque hoc nunc paucis oſtendendum eſt, praeſertim cum ita ſimul quoque diſpaleſcet, qua ratione Paulus fideles non ſolum, ut *indutos* ſed & *Chriſto indutos* conſideret, id quod tertio (C) loco a nobis oſtendendum erat.

§. 19. Dominus itaque daturus legem ſub *denſae nubis* imagine apparere voluit. Id promiſerat Moſi Ex. XIX: 9. Atque id fecit, ut ex inciſo conſtat. 16. ita quidem, ut totus mons cir-

cinctus esset fumo, tanquam qui descenderet è fornace vs. 18. *& ejus ignis arderet ad coelum, & tenebris caligine & nube* sive ut Paulina phrasi utar ad Ebr. XII: 18. γνοφω, καὶ σκοτῳ καὶ θυελλῃ. *omnia essent operta* Deut. IV: 11. & ipse in monte ex *igne*, & NUBE & *tenebris* cum populo loqueretur Deut. V: 22. Certe, qui omnia loca, quae illam apparitionem Dei in monte Sinai memorant, consideraverit attentius, deprehendent in illa visas quidam fuisse lucidas flammas tendentes ad sidera, micantesque coruscationes sed ex atra nube spissoque fumo prorumpentes, quae totum montem longe lateque cingerent, ita ut & mons, & totus populus illa videretur nube eo opertus esse. Audiamus Josephum Ant. Jud. L. III. c.4. Τη τριτη δὲ ἡμερᾳ πριν η τον ἡλιον ἀνασχειν, νεφελη ὑπεριζανε τȣ παντος στρατοπεδȣ των ἑβραιων, ȣ̓ προτερον τȣτο ἰδοντων γενομενον και το χωριον, ȣ̓ τας σκηνας ἡσαν πεποιημενοι περιεγραφε. *Tertia die, antequam sol oriretur, nubes operuit cunctum Ebraeorum exercitum, qui nunquam prius tale quid viderat, & locum, ubi tabernacula sua fixerant, circumdedit.* Imprimis illa descensus Dei in montem descriptio magnificis verbis describitur Psalmo XVIII, 8-15. quibus ea, quae a nobis dicta sunt, egregie confirmantur.

§. 20. Illam autem nubem, ex qua tum Deus locutus est, nihil fuisse aliud, quam Columnam illam illustrem nubis & ignis, illud praesentiae divinae symbolum ex quo cum po-

populo loqui, atque oracula fundere consueverat, sed tum dilatatam longius, atque ambitu suo non tabernaculum solum, & Montem, sed & totius populi Israelitici castra cingentem, atque obumbrantem, ut ipsae rei gestae circumstantiae evincunt, ita hac ratione porro conficitur. Qui ex illa nube locutus est legemque promulgavit Filius Dei fuit. Hoc apud Christianos non solum in confesso est, sed & id agnoscunt Judaei, qui legis Praeconem vocant, מימרא & שכינתא דיי Filius autem, dum in eremo erraret populus, ex illa columna, in qua habitabat, locutus est semper. Unde colligas, nubem illam, qua cum Deus Israelem in foedus suum adsciscere volebat, in monte Sinai usus est, non aliam fuisse, quam columnam nubis. I. Q. E. D. Atque id quoque non obscure colligitur ex Zach. IX, 14. ubi aperta est allusio ad sanctionem legis in Sinai factam, & non solum fulguris, sagittarum, soni buccinae, procellarum, quae memorantur Ex. XIX, 16-21. Ebr. XII, 18. 19. fit mentio, sed & apparitionis Dei, quae facta est עליהם *supra* eos. Deus itaque in nubis columna, quae supra populum extensa erat, tum apparuit.

§. 21. Neque illa solum imminebat populo superne, sed & eum, sibi quasi involutum ambiebat. Id colligere licet ex Deut. XXXII: 10. 11. *Ubi tum, cum Deus populum eum invenerat*

*in terra deserti, & in vasto ejulabili solitudinis, dicitur de illo* יסבבנהו יבוננהו *Circumcinxit eum, & erudivit eum*, quam posteriorem phrasin cum plerique interpretes de datione legis intelligant, videmus haec conjungi, ac doceri, tum, cum legem promulgaret in deserto, *circumcinxisse* populum, id quod sequenti phrasi magis illustratur, quando additur, *servasse eos instar pupillae oculorum*, qui natura palpebris suis ac superciliis, tanquam munimento, tecti ac circumdati sunt. Apertam autem hic allusionem esse ad columnam illam, in qua habitabat שכינה quae populum duceret regeretque tota orationis συναφεια & praecipuè vs. 11. & 12. abunde docent. In סדר עולם רבא cap. 5. legimus; נסעו מרפידים ובאו להן למדבר סניי ומצאו עליו ענני כבד׃ *Cum progressi sunt ex Raphidim & venerunt in desertum Sinai, invenerunt super se nubem gloriae.*

§. 22. Neque tum solum, quando Deus legem promulgaret, sed & alias toto fere illo tempore, quo in deserto errabat, illa columna populum instar tecti obumbrabat, & instar muri cingebat. Cum enim e monte Sinai proficiscerentur *Nubes supra eos erat interdiu*, Num. X: 34. quod LXX. vertunt. Νεφελη ἐγ͂τοένε σκιαζȣσα ἐπ' αὐτοις ἡμερας. Hinc considerabatur, instar tabernaculi, in quo quasi versabantur. Nihil enim frequentius

Ju-

Judaei commemorant, quam nubem illam כמין סוכה *ſpeciem habuiſſe tabernaculi.* Hinc quando Num. XIV, 14. dicitur nubes ſupra illos ſtetiſſe, Jonathan ſcribit nubem מטליל עליהון *tabernaculum ſuper eos fuiſſe, ne ab aeſtu & pluvia laederentur.* Hinc Lev. XXIII, 43. ubi commemorantur סכות tabernacula in quibus Deus habitare Iſraelem fecerat, Onkeloſus huc refert מטלת ענגין, *tabernaculum nubium.* Quemadmodum Eſ. IV, vſ. 5. ubi aperta ad hanc nubem eſt alluſio, ea סכה, tabernaculum vocatur. Circumdatos autem illa fuiſſe, id perſuaſum ſaltim erat Judaeis; Ita enim Zacharias in Pirke R. Elieſeris; סובב עמוד הענן את מחנה ישראל כעיר מוקפת חומה ולא היה וג' *Columna nubis circumambiebat caſtra Iſraelitarum ut murus urbem cingit. Neque potuit hoſtis ad eos pervenire. Sed vero, cuicunque opus erat baptiſmo, eum nubes conſervabat etiam extra caſtra, quae ſancta erant.* Atque inde patet, non ſolum Iſraelis caſtra circumquaque nube illa fuiſſe circumdata, ſed & qui baptizabantur extra caſtra, illa nube fuiſſe cinctos. Dicunt, porro Judaei, *quum Iſraelitae in deſerto vagarentur, ſeptem nubes eos circumdediſſe, quarum una erat ſupra eos, ne ſol & aeſtus aut imber & grando eos laederet, alia infra eos, quae eos portaret, uti nutritius infantem in ſinu ſuo; Alia praecurrebat eos itinere trium dierum &c.* Vide Targum in Cant. II, 6. & Tanchuma in Par. בשלח fol.

19. c. 4. & inprimis Joh. Jacobi *Crameri* Theol. Isr. T. II. p. 98. sqq.

§. 23. Haec autem paulo latius à nobis deducta sunt, ut inde constet ratio, propter quam illa columna sub imagine proponatur *vestis*, quod scilicet populum ab omni parte instar vestimenti tegeret, cingeret, obnuberet, foveret. Fit autem illud Ps. CV, 39. *Expandit* NUBEM, למסך, *& ignem ad lucendum noctu.* Quod recte verterunt οἱ ὁ, Διεπέτασε Νεφελην εἰς σκέπην. Σκέπη enim, ut omnis generis tegumentum, ita & vestem praecipue, qua corpora nostra teguntur, denotat. Ita Es. IV, 4. nubes illa dicitur חפה, Vox autem illa Chuppa ut omne genus operimenti, orta quippe à radice חפף quae Chaldaeis atque Arabibus notat *tegere, obtegere*, ita illud sigillatim tegmen significat, quo νεογαμοι olim inter Judaeos, cum connubio stabili jungendi erant, solebant obumbrari, de quo elegans exstat dissertatio J. Benedicti *Carpzovii*, Theologi Lipsiensis. Sed & illa vestem denotabat, qua velabantur. R. Elias Levita in Thisbi cum vers. Fagii p. 119. אנחנו קוראים הבגד שפורשין על ראש החתן והכלה חופה:

*Nos vestem illam, quam expandunt super caput sponsi & sponsae vocamus* Chuppa.

Unde Judaei suum מלית Talles, quae vestis est, qua caput obnubunt, preces dicturi, con-

fun-

fundunt eum Chuppa; Ita legimus in libro Judaeorum rituali, מנהגים, cujus auctor R. Isaac Tirna, editionis Amstaelodamensis anni 1707 p. m. 68. a. Es thut der חתן der כלה das תלית ach auff dem Kopff / und das ist חופה. dan חפה ist teutsch bedecken. Und Ruth saget ach zu Boas Ruth. III: 9. der נביא (Ez. XVI, 8) saget ach; ואפרש כנפו עליך וג': Hoc itaque sensu quoque locum Esaiae interpretatos fuisse septuaginta, videtur, qui transtulere, και παση τη δοξη σκεπασθήσεται.

§. 24. Porro consideratam hanc nubem esse instar *vestis*, ex illa locutione colligimus, qua illi tribuuntur *alae*. Fit illud Ex. XIX: 4. Deut. XXXII: 12. Atque hinc illuminanda sunt omnia illa loca, ubi occurrit phrasis, de *Umbra alarum Domini*. Vide Ps. XVII: 8. XXXVI: 8. LVII: 2. LXI: 5. LXIII: 8. XCI: 4. & adde Ruth. II: 12. Mal. IV: 2. ut & libro quarto Esdr. I: 30. Quamquam enim nollem ire inficias illustrari eam posse ab avibus, expansis alis suis pullos suos obumbrantibus, atque operientibus, potissimum tamen illam derivandam esse censeo ab incluta hac columna, quae id praestabat populo, quod volucres fœtibus suis recens exclusis. Otium, ne id nunc latius pandam, mihi fecit celeberrimus LAMPIUS, valde meus, in dissertatione de βδελυγματι της ερημωσεως, quæ ultimo superioris tomi fasciculo non ultimo or-

namento est §. 22. 23. 31. quam ut consulas, B. L. tibi auctor sum.

§. 25. Videlicet, ut omnes rei extremitates passim vocantur *alae*, ita & praecipue vestium, quas limbos, fimbrias, Latini Graeci κρασπεδα vocant. Vide quae in hanc rem citato loco §. 21. adtulit venerandus LAMPIUS. Adde iis autem alia loca, v. gr. Deut. XXII. 12. ubi ארבע כנפות sunt quatuor pallii fimbriae. 1. Sam. XV: 27. XXIV: 5. Hagg. II: 13. Zach. VIII: 23. Sane vox Ebraica כנף ala, a radice כנף est, etiamnum apud Arabes usitata, quae significat *operuit*, *cinxit*, *sepivit* tutatus est sub alis, Unde illud לא יכנף in loco vexato Es. XXX: 20. 21. Raschi explicat; לא יתכסה ממך בכנף בגדיו כלומר לא יסתר ממך פניו: *Non abscondetur ala vestium suarum à non te, i. e. abscondet à te faciem suam.*

§. 26. Atque inde explicanda est phrasis illa, quae occcurrit Deut. XXII: 30. & XXVII: 10. ubi גלה כנף discooperire *alam* alicujus, i. e. tollere fimbriam pallii vel vestis, qua eleganter per ευφημισμον significatur consuetudo maritalis. Sicut & altera pariter inde est illustranda, quae occurrit Ruth. III: 9. *extendere super aliquam alas suas*, i. e. exteriorem vestis partem, quod scilicet apud Judaeos sponsi vestis ora expandi solebat super sponsam, in hujus subjectionis & maritalis tutelae symbolum. De quo ritu consule in primis Cl. Outhovii nostri ad librum Ruthae Commentarium, collatis iis

quae

quae habet *Delrius* in Adag. V. T. ad v. 171. Illam deinde caerimoniam ad Christianorum coetus quoque derivatam fuisse notat de la Cerda in adversariis sacris c. 168. §. 9. ubi scribit; *Illâ uti ecclesiam in benedictionibus nuptialibus, imponentem laciniam pallae super humeros Viri, eandemque super caput uxoris, ut innueret, quod ambo sint sub una eademque ala matrimonii.* Eumque ritum etiamnum obtinere vulgo Bellarminus in L. de matrim c. 33. testatur. Unde etiam derivanda est ratio ritus illius, quem observant virginem divino cultui consecraturi, cui nimirum coram altare stanti velamen imponitur additis verbis Ps. XLV: 11. ut innuant, eam tum Christo connubio jungi stabili, propriamque dicari. Neque ritum illum ignoratum fuisse gentilibus ex loco patet Euripidis apud Stobaeum p. m. 440. ubi Pater gnatam suam nupturam ita alloquitur.

Ὅταν ὑπ ἀνδρὸς χλαιναν εὐγενὲς πέπλης
Τα δ' ἄλλ' ἀφεναι μηχανημαθ' ἀνδρασιν.

*Cum vero sub egregii viri pallium veneris*
*Reliqua studia viris sinito.*

Atque huc quidam referunt Cant. II: 3. Joel. II: 16. & praecipue Ezech. XVI: 8.

§. 27. Cum itaque *ala* sit vestis ora, atque illi columnae *alae* tribuuntur, perspicimus eam considerari tanquam *vestem*, quâ involvebatur

tur populus Israeliticus. Atque inde demum intelligi potest illius locutionis ratio, qua utuntur Judaei, quando de proselytis justitiae, atque illis, qui per baptismum in numerum Israelitarum aggregabantur, ajunt, *quod se receperint* sub *Alis Schechinae.* גכנסו תחת כנפי השכינה: Loca, quae id docent, ex codice Jevammoth, & Maimonidis Hilchoth איסורי ביאה citata vide tomo praecedenti p.1041. Adde iis Maimonidem Tit. מלכים c. 8. citante Seldeno de Syn. L. I. c 3. *Post primum concubitum, dum ipsa gentilis manebat, si vellet illa subire alas divinae Majestatis* (השכינה) hoc est, dare nomen Judaismo, *baptizanda statim erat*, caetera. Ut & רשי In comment. ad Gen. XII: 5. ubi verba נפש אשר עשו בחרן explicat, per *animas*, שהכנישן תחת כנפי השכינה *congregatas sub alas Schechinae* i. e. Proselytos, sicut Jonathan vertit נפשתא דיגיירי. Nostris temporibus eandem locutionem apud Judaeos in usu esse, patet ex epistola, quam Moses Pardo, vero nomine Conradus Vietor,(a) quem perperam M. Erasmum nominat Voetius Disp. T. II. p. 98. postquam ad Judaeos desciverat, Thessalonicâ scripsit ad Joh. Hartmannum, Medicinae Professorem in Academia Marpurgensi, ad d. 23. Decembris a. 1614. Ibi enim, *feci*, inquit, *ad instar Ruth, quae laudatur in Bibliis, & SUB ALAS SCHADAI*

(a) Mendum typographicum est, cum hic in Wolffii Bibl. Rabb. p. 886. vocatur *Victor.*

*DAI per fœdus circumciſionis intravi.* Exhibet illam integram vir doctiſſimus, mihique amiciſſimus Joh. Jac. *Schudtius* in Comp. hiſt. Jud. p. 495. Videlicet, reſpicitur illa prima iſthaec populi in fœdus divinum receptio, quae deſcribitur Ex. XIX. & XX; ubi poſt lotionem ſollemnem columna inſtar veſtis, ſuper omnes expanſa, ſinu ſuo quaſi involvit. Tum *ſubiere alas Schechinae.* Cum autem illa lotio deinceps anſam praebuit baptiſmo proſelytorum, quoties eo religioni Judaicae nomen daturi, tingebantur, illi *ſub alas ejusdem Schechinae ſe recipere* dicebantur.

§. 28. Atque inde lucem mutuatur locus Ezech. XVI: 8. quem jam ſupra §. 18. adtigimus. Monebamus ibi omnia, quae ibi adducuntur, ſenſu etiam proprio locum habuiſſe in ſolenni illa fœderis inauguratione ad montem Sinai. Tum enim *Loti* ſunt & ornati *veſtibus*, ſed & ALAM veſtis ſuae ſuper eos expandit Dominus, hoc eſt, *columnam* illam, qua tanquam pallio ſuos tegebat velabatque. Sed & omnes hae phraſes è ritibus deſumtae ſunt nuptiarum. Donationem nitidarum veſtium & olim habuiſſe locum vulgatum eſt. Unde toties eccleſia venit ſub ſymbolo ſponſae nitidis a ſponſo ſuo veſtibus ornatae. Vide Pſ. XLV. 10. Cant. IV: 1. Eſ. LXI: 10. Apoc. XIX: 7. XXI: 2. & 9. coll. v. 11. ſqq. Antiquiſſimum ſane hunc ritum fuiſſe ex hiſtoria Eleazari Rebeccae, ſponſae Iſaaci veſtes do-

nantis Gen. XXIV: 53. colligere est. Neque ille mos etiamnum exolevit. Lotionem tum adhibitam patet vel ex Ruth. III: 3. Esth. II: 12. Superinjectionem autem vestis quoque in usu fuisse paulo ante observatum est.

§. 29. Neque mirum videri nobis debet, Nube illa Israelitas tamquam induviis amictos dici, cum illa phrasis neque sacris scriptoribus, neque παις ἐξω sit insolita. Ita strepentes nubes dicuntur Dei *tegumentum* Job. XXXVI, 29. & mari posita לבושו ענן *nubes*, VESTIMENTUM *ejus*, & *tenebrae*, (i. e. tenebrosæ nubes) *ejus fasciae*, c. XXXVIII, 9. Sic angelum illum quem e coelo descendentem conspiciebat D. Johannes erat περιβλημενον νεφελην NUBE INDUTUS, hoc est, circumfusus Apoc. X, 1. collato Ps. XCVII, 2. Eadem ratione Ps. CIV: 3. qua Deus dicitur ἀναβαινομενον φως ὡς ἱματιον. Sic inter prophanos scriptores loquitur Virgilius Aen. I: vs. 415.

*At Venus obscuro gradientes aëre sepsit*
*Et multo* NEBULAE *circum Dea fuit* AMICTU.

& deinde vs. 520.

*Dissimulant*, & *NUBE cava speculantur* AMICTI.

Et Horatius od. L. I, 2. 31.

NUBE *candentes humeros* AMICTUS
*Augur Apollo*,

quod

quod exprimit illud Homeri Il. E. VS. 186.

-- ἀλλα τις ἀγχι
Ἑστηκ' Ἀθανατων νεφελη ἐυλυμενω ὤμυς,

Quod ita vertas. *Sed prope ſtabat*
*Heic humeros aliquis VESTITUS NUBE Deorum.*

Similis locutio eſt, quae occurrit apud Heſiodum ἐν Ἐργ. καὶ ἡμ. vſ. 125. ubi de Dæmonibus ſive bonis Angelis, dicit eos terram perambulare, Ἠερα ἑσσαμενους, *Aere INDUTOS.* Inde D. Ambroſius à *nubibus* verbum nubere derivare voluit. Ita enim ille in exhort. ad Virg. *Nubes ſunt, & graves nubes, quae nupſerint. Namque a nubibus verbum nubendi tractum arbitror. Denique operiuntur, ut NUBES, CUM ACCEPERINT NUPTURAE VELAMINA.*

§. 30. Sed & ex illo aquarum imbre, (γ) ex columna illa ut ſupra §. 15. oſtenſum a nobis eſt, ſtillante, hauriri poteſt phraſeos noſtrae ratio. Qui enim aquis undequaque cinguntur, illis tanquam VESTE dicuntur amiciri. Patet id ex Pſ. CIV, 6. תהום כלבוש כסיתו על-הרים יעמדו מים, *Abyſſum, tanquam* VESTIMENTO, INDUISTI, *ſuper montes ſtabant* AQUAE. Ita Euſtathius ad Il. III. v. 57. explicaturus phraſin λαϊνον ἑσσο χιτωνα, notat id dici ἀντι τε λιθαθεις, pro *lapidibus obruereris*, τον γαρ λιθαθεντα, addit ὡσπερ τι ἱματιον ἀμπεχειν τον τε των λιθων σωρον *lapidatum, tanquam veſtimento ab acervo lapidum ambiri*, parique modo dici poſſe, γην ἐνδυεσθαι τον ταφεντα, καὶ ὑδωρ ἀμφιεσκεσθαι τον γενομενον ἑλον ἐντος αὐτε,

in

*indutum terra, qui sepultus est*, & AQUAM INDUTUM, *qui ea totus est immersus.* Unde colligas simul Judaeos columna cinctos, ea indutos non solum posse dici, sed & ex hac observatione totam phraseos Paulinae vim paene exhauriri, quod illa in aprico collocet, qua ratione Israel sub nube versans simul aquis ejus *baptizari*, & simul iis *vestiri* potuerit. Cum autem eadem esset symbolum praesentiae divinae, & ipsius Angeli, in quo nomen Domini erat, i.e. Filii Dei, qui in illa habitare, ex illa loqui, fundere oracula, populumque regere, ducere, tueri soleret, fatentibus ipsis Judaeis, patet quoque, quomodo ipsum Filium Dei, & Schechinam induisse dici potuerint Abrahami nepotes, & quid intenderit Apostolus, quando de *lotione*, & cum illa connexa *indutione*, & quidem *Christi* loquitur, dicatque Ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτισθητε, χριστὸν ἐνεδύσασθε.

§. 31. Voluit autem hac locutione eo uti libentius, quod (D) quo illâ respiceret, haut facile ulli vel Judaeorum vel Christianorum isto aevo poterat esse incognitum. Neque enim illustris illius pactionis foederis in Sinai deserto factae memoria ea tempestate, qua ad Galatas scribebat Paulus, ex Ebraeorum animis deleta erat. Quin illa renovabatur toties, quoties quis e gentibus in sinum ecclesiae Judaicae recipiendus esset; Adhibebatur eam in rem מלה *circumcisio* וקרבן & oblatio

latio sive *sacrificium*, praecipue autem טבילה, hoc est, BAPTISMUS, (*a*) quod hic perpetuus esset, atque universalis, cum feminae non circumciderentur, & sacrificiis post templi excidium non esset locus. Hos autem ritus, praesertim Proselytorum *baptismum*, (*b*) ex illis

(*a*) Ejusmodi baptismum etiam recentioribus temporibus inter Judaeos locum habere, quando quis ad eorum sacra, quae antea abjuraverat, revertitur, colligo ex memorabili loco, libri sententiarum Inquisitionis Tolosanae, quem Limborchius suae Inquisitionis historiae annexum edidit. Ibi enim pag. 230. de Iohanne de Bretz, ex Judaeo ita legitur. *Postmodum vero reversus est ad Judayſmum, fuitque rejudayſatus ſecundum modum & ritum rejudayſacionis a Judeis in talibus fieri conſuetum apud Pferdam abraſo capite & abſciſis capitibus unguium manuum & pedum usque ad ſanguinem, & facta IMMERSIONE CAPITIS IN AQVA currenti.* &c. T. d. H.

(*b*) Vide *Seldenum* de J. N. & G. L. II. c. 3. 4. de Synedr. L. I. c. 3. de succeſſ. ad leges Hebr. c. 26. Ant. van *Dalen* in hiſt. Bapt. quae ejus de Ariſtea diſſert; annexa eſt p. 337. ſqq. G. Eliez. *Edzardi* in Comm. ad Avoda ſara p. 193. 194. Ioh. *Ligtf.* ad Matth. III: 6. & in harm. Evang. ad Luc. III, 16. Opp. T. I. p. 328. ſqq. *Marsh.* in Can. Chron. Sec. IX. p. m. 200. *Witſ.* Oecon. F. L. IV. c. 16. §. 3-8. Jac. *Altingii* diſp. de *proſelytis*, quae eſt ſeptima heptadis ſeptimae. Oth. Lex. Rabb. p. 65. & qui primo loco nominandus erat, P. *Zornii* de *Baptiſmo Proſelytorum Judaico, Sacramento V. T.* diſquiſ. Lipſiae 1703. Praecipue egregie haec materia excuſſa eſt a celeberrimis Viris J. A. DANZIO, & Gottl. WERNSDORFIO, illo in Jenenſi, hoc

illis profluxisse ritibus, qui in illa foederis constitutione jussu divino Exodi XIX: 10. 14. observari debuerunt, Judaeorum constans est traditio quam multi Christianorum secuti sunt. Saltim inde dimanarunt phrases illae, quibus utebantur quando de גרי צדק Proselytis justitiae sermo esset, quos Schechina *indui*, & *sub ejus alis requiescere*, ut visum est superius, dicebant.

§. 32. Cum vero *Jesus Christus* primum novi testamenti sacramentum ordinaturus erat, eosdem illos ritus in consecratione eorum, qui suo coetui nomen daturi erant, retinere voluit, quibus Israelitae in initiatione cultus Mosaici utebantur. Erat itaque & in eorum baptismo & lotio & vestium ἔνδυσις. Quamquam enim Apostolorum aevo nondum ille viguit

hoc in Wittenbergensi Academiis SS. Literarum Doctoribus. Cum enim Danzius a. 1699. dissert. *de baptismo initiationis Ebraeos inter & gentiles*, emisisset, inque ea baptismum Proselytorum Judaicum baptismo Johannis & Christi occasionem dedisse, sibi probandum sumsisset, sententiam hanc Wernsdorfius a. 1708. in diss. qua *recentiores de Baptismate controversias* examinaverat, sibi sumserat refutandam. Atque ita data est *Illi* occasio *Antiquitatem baptismi initiationis Israelitarum vindicatam* a. 1710. conscribendi. Cui tamen *hic* eodem anno de *Baptismo Christianorum origine mere divina* disputationem opposuit. Neque dubito, quin hoc argumentum tractaverit Gabriel *Towverson* in libro de *Baptismo, gentilium, Judaeorum Christianorum* Anglice a. 1688. Londini edito. T. d. H.

viguit mos, qui ſequentibus ſaeculis invaluit, ut baptizati candida amicirentur veſte, quam integra hebdomade geſtabant, inde dicti, *Albati*, *Candidati*, cum tamen toto corpore immergerentur aquis, id fieri non potuit, niſi exutis rurſusque indutis veſtibus. Loquente itaque Apoſtolo de baptizatis in Chriſtum, eoque indutis, quid ſibi vellet, facile & Judaei & Chriſtiani potuerunt intelligere.

§. 33. Videndum denique (E) reſtat, quomodo nunc haec omnia cum totius contextus ἀνακεφαλαιώσεως, ſcopoque quem ſibi Apoſtolus praefixerat, conveniant. Nimirum ille non alius eſt, quam oſtendere, fideles N. T. à legis Moſaicae cum maledictione, tum obſervatione nunc eſſe liberatos, neque ejus amplius, praeceptis adſtringi. Inter alia argumentis utitur, quae petita ſunt ex comparatione ſtatus illius, in quo Patres illorum fuerant, cum eo, in quo nunc verſabantur, qui dederant nomen ſuum Chriſto. Hunc autem ab illo non parum mutatum eſſe, iis revocat in memoriam, atque ritum, quo novo initiati erant fœderi, illi opponit quo Patres eorum ſacris Moſaicis erant imbuti. *Vos*, ait *baptizati eſtis in Chriſtum*; at *majores veſtri baptizati fuerunt in Moſen.* Id enim de illis eadem hac phraſi affirmat idem 1. Cor. X: 2. qua non ſolum innuit eos miniſterio Moſis eſſe baptizatos, ſed in Moſis, tanquam μυστῶν, imo ſoſpi-

ſoſpitatoris ſui, & redemtoris ex ſervitute videlicet Aegyptiaca, communionem, eſſe receptos, ei videlicet adhaererent, illius jurarent in leges, ejus ſuſciperent doctrinam, religionemque ab eo traditam profiterentur. Baptizati autem ſunt in Moſen tum non ſolum, quando illis per maris rubri profunda eundum fuit, ſed & potiſſimum in pactione ſollenni fœderis, quam & lotione corporis & indutione veſtimentorum factam eſſe vidimus, quin & aquis illis, quae ex columna illa N. & J. ſtillabant ut oſtenſum & §. 16. *Nunc autem baptizati erant in Chriſtum*, ejus doctrinae atque praeceptis adſtipulaturi, illique, tamquam Doctori ſuo, μεσιτη, & liberatori adhaeſuri rejectâ veteri, quam ſecuti adhuc fuerant, diſciplinâ, cujus rei ſymbolum iis veſtium detractio mutatioque fuerat, ſicut olim ſimile prorſus ſignificatum fuerat ſimili ritu Patribus illorum in deſerto. Mutatam itaque nunc eſſe rerum faciem, aliam oeconomiam, aliam nunc vitam, alios poſtulare mores. Qui hactenus e gentibus proſelyti, in eccleſiam Judaicam cooptati erant per baptiſmum ſe quaſi ſacramento quodam adſtrinxiſſe legis Moſaicae obſervationi. At qui nunc in nomine Chriſti baptizati erant, Chriſti inſtitutis ſacramentum dixiſſe. Propterea non eſſe nunc locum amplius legi Moſis, quae erat *operum*, ſed illâ abrogatâ ſuſcipiendam Chriſti legem, quae eſt lex *fidei*.

Id

Id quod ſibi tota fere epiſtolâ demonſtrandum ſumſerat Apoſtolus.

§. 34. Veluti autem in illa ad montem Sinai πανηγυρει Iſrael vetus non ſolum in fœdus Dei externum receptus fuit, tanquam Dei populus, & peculium, & λαος περιουσιος περι παντων των εθνων, και ιερατευμα βασιλειον, ſed & veris in illo fidelibus inſignia fœderis gratiae beneficia ſimul promittebantur, obſignabanturque, vel id docente Paulo citato ex 1. Cor. X. 2. 3. loco, ita baptiſmus ille, ritusque cum illo connexi, illa etiam columnae illuſtris obumbratio ac cinctura σχεσιν σημαντικην και σφραγιστικην habuere ſpiritualium novi fœderis bonorum, comunionis videlicet cum Chriſto, ejusque beneficiorum, praecipue ſanctificationis, & juſtificationis, quarum illa, a peccati ſordibus, hâc autem a culpa ac reatu liberamur, quarumque utraque toties, totiesque in ſacris ſub ſymbolo veſtium venit. Cum autem tam eximia, tamque invidenda bona confirmata fuere Iſraeli veteri, in fœdus Dei tantum externum operâ Moſis recepto, quid non novi fœderis fideles, qui per baptiſmum nomen Chriſto dederunt, quique του θεου ſunt facti διατης πιστεως εν χριστω Ιησου, quem non in typo, columna illa illuſtri, ut olim Judaei in deſerto, ſed reapſe vi fidei, qua illi uniuntur, induerunt, ſibi polliceri habent ſalutarium beneficiorum, quibus-

que non vinculis ad accuratam ejus doctrinae ac disciplinae receptionem pristino relicto cultu adstringuntur? Sed haec diducere latius, hujus loci non est.

§. 35. Coronidis tantum loco observo ritum illum, quo illi, qui relicto pristino cultu ad alia sacra transiebant. Et aquis se mundare & vestes suas mutare solebant, non heri aut nudius tertius natum, sed longe antiquissimum, & vel ipsa illa fœderis sanctione, quae in eremo facta est, antiquiorem esse. Viguisse enim jam tot ante saeculis, temporibus JACOBI, clarissime patere puto ex Gen. XXXV: 2. Narratur enim Patriarcham jussu Divino profecturum Sichemo Bethelem lustrasse, primo familiam suam, illique praecepisse, ut *auferrent Deos alienos, qui erant in medio illorum*, & *mundentur*, ac *mutent vestimenta sua*. Nollem quidem cum *Ligtfooto*, quem deinde alii secuti sunt, hinc accersere originem baptismi proselytorum, constat tamen ex his emendationem religionis in domo sua susceperturum Jacobum sustulisse cultum Idolorum, ut locum faceret cultui summi Numinis, id autem ut externis etiam ritibus declararent ejus domestici, voluit primum eos *mundari*, hoc est, ut Abenesra recte interpretatur, ablui aquis, neque enim causas esse video cur haec ad internam tantum sanctificationem cum eximiis nonnullis interpretibus

tibus referamus, deinde autem etiam ut *mutarent vestimenta sua.* Ex quo recte colligas baptismum cum vestium indutione conjunctum inter antiquissimas caerimonias numerandum esse. Neque id mirum. Habet enim ille ritus aliquid cum rei natura valde analogum, cum morum, & vitae generis mutatio sordium juxta & vestium depositione, eleganter possit adumbrari. Confer Es. I: 16. & 2. Cor. VII: 1. cum Ex. XXXIII: 5. 6. & phrasibus Paullinis Rom. XIII: 14. Eph. IV: 22. 23. 24. Col. III: 8. Ebr. XII: 1. 1. Pet. II: 1. quae inde lucem mutuantur. Et haec hactenus.

IV.

# JACOBI HASAEI,

de

# THEOPHILO ALEXANDRINO

*Cui Lucas Historiam Sacram inscripsit,*

ad

Testimonii, quod hac de re apud veterem Lexicographum *Syrum* reperimus, illustrationem,

## *DISSERTATIONIS*

### ARGUMENTUM.

Proferuntur spicilegia hac dissertatione de hujus *Theophili* (1) *patria* (2) *Christianismo* (3) *origine* ex gente *Judaica* (4) titulo κρατίστε & *honoribus*. De (1) PATRIA nihil *certi* erui potest. *Verosimillima* tamen sententia est eum fuisse ALEXANDRINUM, haud vero *Antiochenum*. §. 1. *Alexandriæ* eum vindicat (a) testimonium *Bar Bahlul*. Theophilus hic non est *Athenienſis* ille apud Tacitum, titulo κρατίστε respuente. §. 2. Idem testimonium explicatur §. 3. doceturque illud *probabile* reddere (b) veterum interpretum *persuasionem* Lucam, in *Alexandria* scripsisse Evangelium. §. 4. atque alium (c) Lucam propagan-

gandæ religionis causa commoratum esse in *Aegypto* atque *Alexandria* §. 5. Ulterius hoc testimonium Syri illustratur, nec sacræ historiæ adversum esse ostenditur; dum (1) eum Alexandriæ *clarissimum* perhibet, quod illustrat titulum κράτιστε Luc. 1, 3. quo ob *benevolentiam* salutati viri *summi*. Athenis dicti Λίμιοι. Actor. V, 34. Lux. §. 6. Præterea (I) quod eum (II) CHRISTIANUM facit Lucæ I, 4. haud repugnat. Phrasis κατηχῆσθαι, si de *auditione* accipitur, Theophilus hæc à Luca *audivit*. §. 7. Si de *institutione* & *doctrina* fuit Lucæ *discipulus*. Κατηχεῖν pro *docere* ejus *præcipua* notio. §. 8. ratio cur Theophilum *Christianum* fuisse haud abnuamus. Tollitur objectio. Inter *Judæos* viri *principes* se *Christo* addixerunt. §. 9. Tum (3) nec abludit à vero Lucam *rogatu* Theophili consignasse Evangelium, uti nec (4) precibus aliorum *Aegyptiorum* ad id operae esse permotum. §. 10. Testimonium hoc *Syri* ab aliis viris doctis haud νοθείας accusatum §. 11. ad celeb. *Heumanni* objectiones amica responsio §. 12. *Theophilum* hunc (III) fuisse *origine* gentis JUDAEUM conjicitur, quia (a) in convertendis *Judaeis* olim *major* opera insumta (b) *ceteri* libri sacri & Epistolæ potissimum ad *Judæos* scripti, & (c) *Alexandria* abundavit olim *Judæorum* copia. (d) atque *Theophili* nomen inter *Judæos* quondam haud ignotum fuit. *Hebraea* nomina in cognata *Graeca* mutata. §. 13 Tollitur oppositio quod (IV) Κρατίστε TITULUS doceat Theophilum inter *gentes* gessisse honores *magistratus*. Et *Judaei* ubique locorum *proprios* habuere *Magistratus*, qui *Arabarchae* dicti vel *Ethnarchae*. Et talis fuit summa dignitate *Alexandriae*, & splendidissima familia. Philonis nomen *Jedidja*. §. 14. Conjectura num titulus Theophili κράτιστος ex Hebræo טובים *bonorum* illustrari possit, quo ut olim ita & hodie apud *Judaeos* salutantur *seniores* Synagogæ. Observatio hinc elucidari titulum ἀγαθῦ *boni* quo Christus exornatur in Evangelio. §. 15.

§. 1.

DEfunctis nuperrime eo labore, quo veterum ſententiæ, in *Aegyptica* urbe *Alexandria* D. *Lucam* evangelium conſcripſiſſe, lumen inferremus, & ab anfractibus, quibus eandem circummunitam credidere plurimi, liberaremus: Diſputare nunc lubet, numne & vero proximum appareat, virum illuſtrem THEOPHILUM ad quem Lucas hunc librum exaravit, aeque ac alterum Actorum Apoſtolicorum, ut videre eſt Evangelii Cap. I, 3. & Act. I, 1. ejusdem fuiſſe ALEXANDRINAE urbis incolam. Qua data porta, cum ad alia de *Theophilo* hoc commemorabilia ſcripto hoc notanda nos invitabit occaſio; eadem opera doctiſſimorum mihique amiciſſimorum virorum laboribus, quos nuper in Faſc. III. ſect. III. & IV. *Theophilo* illuſtrando inſumſerunt, aliquid accreviſſe ſpicilegii, lector perſentiſcet. Adſentimur quidem celeb. *Ligtfooto* in Horis Hebraicis ad Luc. I: 3. p. 486. ſcribenti *nulla conjectura certum eſſe quis & cujas fuerit hic Theophilus.* Actum enim eſſe de toto hoc negotio ſcio, ſi dubitatione nulla circumſeptaque quadam ancipiti cura, *certas* in hac cauſſa tibi ἀποδείξεις oſtendi velis: Neutiquam tamen animum plane dejiciendum eſſe aeque crederem, ſi, indubiis haud ſuperſtitibus, ob priſci aevi & συγχρόνων teſtimoniorum caliginem, ver-

*verosimilibus* animum pascere volupe est, & conjecturis non usque quaque frigidis, aliquid dare loci cupimus. Inde quidem fateor, & per eandem conjectandi hariolandique licentiam in varias quaqua versum opiniones distrahi eruditos, ut in similibus fieri solet causis: At quas harum legere licuit, partem nullo niti testimonio, sola hariolatione superstite animadvertimus, veluti quam amplexus est idem *Ligtfootus* in Harmon. IV. Evang. Sect. I. Cap. I. p. 248. Quid enim, quæso causæ est, cur eum *Antiochinum* fuisse, (*a*) eidem



(*a*) Singulare aliquid est, & quod haud memini me alibi legisse, Theophilum hunc Antiochiae urbi nomen dedisse, si fides habenda Marino Sanuto, dicto *Torsello*, Patricio Veneto, qui circa a. 1321. scripsit, *Librum secretorum fidelium crucis super terrae sanctae recuperatione & conservatione*, quem edidit, & alteram *Gestorum Dei per Francos* partem constituit Jacobus Bongarsius. Ibi enim L. III. p. VII. c. 1. de Antiochia agens ita scribit. *In ea Petrus primus Pontifex sedit. Post quem nobilis & potentissimus* (est hic explicatio vocis κρατιστε) *Vir Theophilus septimus sedit, cui Lucas Evangelista indigena & Evangelium & Actus Apostolorum scribit. Hic Theophilus civitati nomen suum dedit, ut sicut prius a prophano Rege Antiochia sic a sancto praesule* THEOPHILIS *vocaretur.* Vides urbem Theophilis dictam à Theophilo nostro si credere fas est. Forte autem, quidquid hujus nominis est, natum ex titulo Θεοπολεως, quem datum Antiochiae disco ex Wilhelmi, Archiepiscopi Tyrensis historia belli Sacri L. IV. c. 9. Verba ipsa adscribam, quod quae de Theophilo nostro illo aevo

adſtipulemur ideo quia Lucæ patria *Antiochia* perhibetur ſcriptis hi in patria libri videantur & illuſtri civi dedicati. Quaſi plurimos N. T. extra patrios fines ab autoribus conſcriptos neſciamus codices. Partem vero alteram teſtimonio haud carere cernimus, ut qui Pſeudo-Clementis Recognitiones ſecuti L. X. c. 71. eundem, ejus auctoritate nixi, Lucæ ſcriptionis locum tribuunt, *Antiochiam*, ſed tot fabulis inquinatas nobis propinant hiſtoriolas, ut tædeat ſane quotidianarum harum annotatiuncularum. Inter hos medius ago, Theophilum fuiſſe *Alexandrinum* civem, ejus urbis quæ *Aegyptum* ſplendide ornavit quondam, omnium veroſimillimam, ſiquidem ulla

vo (vixit autem ſaeculo duodecimo) fuerit opinio, inde pateat. *In hac urbe*, inquit ille, *Apoſtolorum princeps pontificali primus functus eſt dignitate, Viro venerabili* Theophilo, *qui erat in eadem civitate potentiſſimus* (κρατιστος) *in proprio domate baſilicam dedicante. Cui Lucas ex eadem urbe trahens originem, tam Evangelium ſuum, quam actus ſcribit Apoſtolorum, qui etiam beato Petro ſeptimus in ordine Pontificum, in eadem eccleſia ſucceſſit. -- Haec quia nomen Chriſtianum prima invenit & docuit, nomen ei deſignatum eſt novum, &* THEOPOLIS *eſt appellata, ut quae prius hominis nequam & impii nomen pertulerat, ejus qui ad fidem eam vocaverat, domicilium & civitas deinceps appellaretur. Viginti provinciæ in ſua juriſdictione ejusdem* Deo amabilis (Θεοφιλης) *civitatis dicitur habere Patriarcha.* Ceterum Torſellus ſecutus eſt Jacobum de Vitriaco, Epiſcopum Acconenſem, & Cardinalem, ſeculi XII. ſcriptorem, qui de Antiochia prorſus gemina adductis habet in hiſt. Hieroſ. c. XXXII. T. d. H.

la verosimilis dari potest, esse sententiam judico, utpote nec veterum testimonio, nec rationibus orbam persuasoriis.

§. 2. Testem hujus caussæ in arenam producimus autorem lexici Arabico-Syriaci, cui *Bar Bahlul* nomen est, inediti quidem, at variis ob præstantiam dignitatemque, a peritissimis harum rerum hominibus, ornatum elogiis, a Celeb. Tenzelio Diss. V. Select. Exercit. §. 35. congestis. Verba exinde quæ huc spectant citat Edmundus Castellus in lexico Pentaglotto pag. 3859. THEOPHILUS, inquit, *primus credentium & Celeberrimus apud* ALEXANDRIENSES, *qui cum aliis* ÆGYPTIIS *sanctum Lucam rogarunt, ut eis scriberet* EVANGELIUM. Jam olim contigit, ut, cum partem & summam in nupero fasciculo impressæ dissertationis litteris committebamus, nonnulla ad hujus loci illustrationem annotaverimus, quae ut in Histor. Crit. Reip. Litt. T. XII. sect. III. p. 52. sq. leguntur, huc mutuo „ transferimus. “ Non absonum usque ad- “ „ eo fore credo, si hujus autoritate scriptoris “ „ eousque staremus, dum argumentis inde “ „ dimoveamur fortioribus. Nimirum THE- “ „ OPHILUM cui Lucas libros sacros inscri- “ „ psit Luc. I, 3. Act. I: 1. fuisse *magnæ digni-* “ „ *tatis* virum in urbe *Aegyptiorum* ALEXAN- “ „ DRIA. Neutiquam enim fit verosimile “ „ fuisse hunc Theophilum *Athenienſem* cujus “ „ Tacitus II. Annal. c. 55. meminit ut *Ale-* “

„ *xander* quidem *Morus* in Not. ad N. T. p. "
„ 331. censet. Argumentis enim quibus "
„ Clariss. *Tenzelius* in Select. Diss. V: §. 35. "
„ hanc confutavit sententiam addi potest, "
„ Tacitum hic videri *obscuri* cujusdam homi- "
„ nis meminisse dum eum QUENDAM vo- "
„ cat Theophilum, cum tamen ille ad quem "
„ Lucas scripsit, *illustris* fuisse dignitatis vi- "
„ rum ex κρατίστε titulo, quo ornatur, appa- "
„ reat, qui, ut ad Luc. I, 3. notat Theophy- "
„ lactus ἐπὶ τῶν ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων ἐλέγετο "
„ PRINCIPIBUS *viris* (seu *optimatibus*) PRO- "
„ VINCIARUM PRÆSIDIBUS *tribuitur*, ut "
„ quidem pluribus exemplis, si id nunc age- "
„ retur, evinci posset, ac Menagius notavit "
„ Amoen. Jur. Civ. Cap. 16.

§. 3. Atque hæc eo tempore ad illustrationem hujus testimonii commentati sumus. Nunc vero, cum illud paullo curatioribus perlustrare censuris orsi sumus, ad *quinque* potissimum attendere lectorem velim, quæ brevis haec verborum Syri hominis series continet. Testatur quippe (1) *Theophilum* hunc fuisse ALEXANDRIENSEM. Neque dubium est quin heic loci intelligas Alexandriam *Aegypti*, cum *Aegyptios* eidem jungat. *Theophilus*, inquit, *primus* &c. *qui cum aliis AEGYPTIIS* &c. Omnes igitur qui D. Lucam rogarunt, ut eis Evangelium scriberet cum

Theo-

Theophilus, tum ceteri fuere *Aegyptii*. Dein narrat eum fuisse (2) in hac civitate virum *Celeberrimum* hoc est *nobilissimum*, inclutum, multæque & autoritatis & existimationis. Tum (3) *primum credentium*, hoc est, qui, simulatque lumen Evangelii per Aegyptum radios sparsit, inter *primos* doctrinæ *Christi* discipulorum *adsensum* dedit, *crediditque* Evangelio. Porro (4) eundem *rogasse Lucam ut scriberet Evangelium*. Denique hunc (5) non fuisse solitariam hujus operae causam, sed & accessisse preces *aliorum* in hac re *Aegyptiorum*. *Theophilus*, ait, *qui* CUM ALIIS AEGYPTIIS *S. Lucam rogarunt* &c. Quæ proinde docent virum sanctum Evangelium suum in *gratiam* tum Theophili hujus, tum aliorum Aegyptiorum consignasse.

§. 4. Hæc singula curatius contemplans, tantum abest ut in iis aliquid adversi priscæ pervideam historiae, ut contra eisdem exinde posse lucis nonnihil adferri, forsitan haud vane harioler. Quocirca, cum aliis per communia studia, aliorum scriptorum locis enucleandis vacare licet: & nobis hoc ad incudem vocare testimonium Syri, haud heri & nudius tertius nati, permissum esto, meliorumque illuminare litterarum facibus. ALEXANDRINUM hunc (1) fuisse Theophilum, seu loco *natali* seu *commorationis* lege, confirmatum iri, opinor, (b) veterum quadam persuasione, eaque multis suffulta testibus,

ſtibus, D. Lucam Evangelium ſuum in urbe conſcripſiſſe *Alexandrina*. Produximus nuper hac ipſa in Bibliotheca Faſcic. IV. Sect. IX. hujus Claſſis §. 12. teſtem hujus traditionis *Perſam* interpretem, cum quo amicis in eadem ſtare ſententia rationibus, non modo veteres *Graecos*, & *Syrum*; verum & *Arabem*, integra illa diſſertatione data oſtendimus opera. Eandem autem ſuo adſenſu haud indignam judicarunt noſtri, quod vivimus, ævi, viri in ſacris antiquitatibus maximi. Excerpamus quæ *Joh. Erneſtum Grabium* in Spicileg. Patr. Sec. I. p. 33. commonefeciſſe legimus. *Equidem bene memini, ait, quod Hieronymus in præfatione commentariorum ſuper Matthæum teſtetur Lucam in Achajæ Bœotiæque partibus Evangelium condidiſſe. Sed præferenda videtur hac in parte, auctoritas Verſionis Syriacæ* (addo & ceterarum, quas indicavi modo) *opinioni Hieronymi, qui fortaſſis legens Lucam, poſtquam a Paulo ſejunctus fuit, in Achaja Evangelium prædicaſſe, auguratus eſt eum ibidem Evangelium ſcripſiſſe, quod tamen aliquot ante mortem annis, & proinde ALIBI potius; quam in Achaja, ubi vitam finivit, feciſſe videtur.* Quodſi proinde Lucas Evangelium *Alexandriæ* ſcripſit, quippeni & vero proximum videbitur, & in *eadem* civitate commoratum eſſe inſignem illum virum, cui Lucas libros ſuos inſcripſit, in qua ille eosdem calamo excepit. Præcipue cum hos ipſos in hujus Theophili *uſum* conſcripſerit, quo eundem

de

de doctrina Christiana gestisque Apostolorum plenius instruerent, ut ex Evangelii Actorumque constat proœmiis? Ne dicam patere ex Lucæ I:3. Lucam Theophilo *præsentem* adfuisse, & super doctrinæ Christianæ veritate plurimos cum ipso sermones coram miscuisse ut dein dilucidius explicabitur. §. 7-9. Quicquid autem hujus sit, testimonium saltem Syri Lexicographi illustrare sententiam popularis ejusdem interpretis, uti hanc vicissim ab altero lucem accipere, dudum vidit Clariss. *Tenzelius* Diss. Sel. V. p. 208. *Quæ vero de Theophilo habet* (Bar Bahlul,) *opinionem*, ait, *Syrorum in calce versionis* (imo in principio) *suæ propositam sapiunt, quasi Lucas Evangelium scripserit in Alexandria Magna* &c.

§. 5. Horum communibus sententiis corroborandis junge (c) constantem apud plurimos veterum persuasionem Lucam per aliquot annos in *Aegypto* nactum fuisse commorandi domicilium, adeo ut nihil absoni Syrus ceterique scribant, aut quod communi repugnet famæ, Lucam Evangelium suum in Aegypto composuisse, compositumque ad illustrem Aegyptium misisse. Lucam certe *Alexandriæ* fuisse illiusque loci Ecclesiæ præfecisse *Avillium* testantur constitutiones Apostolicæ Clementis L. VII. Cap. 46. τῆς ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ Ἀννιανὸς πρῶτος ἀπὸ Μάρκου τοῦ εὐαγγελιστοῦ κεχειροτόνηται; δεύτερος δὲ Αβίλλιος ὑπὸ ΛΟΥΚΑ, καὶ αὐτοῦ Εὐαγγελιστοῦ. *Urbis* ALEXANDRINORUM

RUM *Annianus primus à Marco Evangeliſta ordinatus eſt, ſecundus vero Avillius à LUCA & ipſo Evangeliſta.* Adde Simeonem Metaphraſten qui in vita S. Lucæ teſtatur p. 857. eum *totam Libyam percurrentem in* AEGYPTUM & præcipue *Thebaida perveniſſe* & intra doctrinam Chriſti recepiſſe. Citavit locum, unde & priorem hauſi, Cl. Grabe in ſpicil. Patrum Sec. I: p. 33. qui & dein addit p. 34. *Si igitur verum eſt, quod ex vita S. Lucæ adduxi, eum nempe Apoſtolo Paulo relicto, in Libyam & Aegyptum ſe contuliſſe, certe ratio temporis optime titulo verſionis Syriacæ* (addo & teſtimonio Bar Bahlul) *congruit, ac omnino Lucas in Aegypto Evangelium una cum Actis edidiſſe, ac inde ad Theophilum miſiſſe videtur.* Verum nec opus fuit quo eosdem libros Alexandriae longinquo mitteret, ſiquidem & ille Alexandriæ præſto fuerit.

§. 6. Dum vero Bar Bahlul (II) tradit Theophilum apud Alexandrienſes ſuos fuiſſe virum *celeberrimum* ſeu *nobiliſſimum*, quid, amabo, appoſitum magis eſt titulo κρατίστε quo Lucas Theophilum ornat Evang. Cap. I: 3? Sane hoc ſolum titulo viros *ſummates* principisque loci honoratos eſſe quondam ſatis oſtendiſſe Menagium antea indicavi §. 2. quibus & amplam teſtimoniorũ meſſem jungas, quam uberrima doctiſſimi *Heumanni* & per varias diſciplinas circumlata eruditio congeſſit in per egregia de *Theophilo* diſſertatione in tertio hujus claſſis Faſciculo ſect. III. impreſſa §. 6. cujus

jus quidem tituli *causam originemque* & nuper me demonstrasse memini in hujus Biblioth fascic. secundi class. III. sect. VII. §. 11. quique factum ut ille a *Romanis* ad *Graecos* descenderit, indicasse. Minime enim concedimus Bezæ aliisque, titulum κρατίστε ἀκριτῶν, ob *potentiam* horum virorum, descendere, sed a consuetudine Romana, qui *optimos* illustres suæ gentis viros salutabant, ut ibidem docui, pluribusque exemplis confirmatum ivit industria eruditissimi fratris mei in Sicilim. de *Theophilo* §. 14--16. Veteribus enim alii mores fuere ac nostris temporibus, qui haud a *potentia viribusque*, sed a *benevolentia studioque* erga alios illustrium virorum titulos mutuabantur. Ita & titulum *optimi*, &, qui hinc ad Græcos pervenit, κράτιστε haud *potentiam*, sed *benignitatem* morumque spectare *integritatem*, persuasum habemus. Discimus hoc à Cicerone, qui ipso Jovi titulum *optimi* datum esse propter *benignitatem* in alios observat quidem *prius* optimum quam maximum, *quia majus, certe gratius PRODESSE omnibus, quam opes maximas habere* L. II. de Nat. Deor. c. 25. Pari modo & Athenis primarium fuisse titulum sumarium, non ut δυνατοὶ *potentes*, sed tantumodo τίμιοι *honorati* compellarentur Theophrastus nos docet Ethic. Charact. περὶ ἀναισχυντίας ubi vide notas Casauboni p. 220. sq. & conf. Act. V: 34. ubi de Gamaliele, Synedrii Hierosolymitani Præside dicitur, τίμιος παντὶ τῷ λαῷ *honoratus*

*tus toti populo.* Ipsos reges quondam Romanos haud *potentium* aut *potentissimorum*, ut nunc sunt mores, sed *clarissimorum* exornasse modo elogio, abunde ex priscis constat monumentis, quo si hodie vel plebejum quempiam magistellum salutares, quantopere frontem in rugas contraheret, omnibus nunc *amplissimorum & excellentissimorum* nomina ambientibus. Ohe ridiculum!

§. 7. Quod vero (III) CHRISTIANAM hujus Theophili attinet *doctrinam*, quo tertio charactere eum *Bar Bahlul* notat, dum eum Alexandriæ fuisse inter *primos* scribit *credentium*: certe Theophilum *imbutum* fuisse seu instructum de rebus ad Christum pertinentibus, apertissime Lucæ nos erudiunt verba Cap. I: 4. Quantumvis enim haud doceant, eum plene habuisse *fidem* Evangelio J. C. hoc est *Christianum* fuisse plenæ adsensionis & perpetuæ in sospitatorem nostrum spei? eruditunt tamen nos, eundem, partim *plurima* saltem de Christo *inaudivisse* partim ab ipso Luca hoc condito libro in ejus gratiam, accepisse earundem rerum ἀσφάλειαν *certitudinem* vel *coroborationem* plenioremque dignamque fide historiam. Lucas enim se eapropter hanc litteris commisisse refert *historiam*, quo ipse Theophilus haberet ἀσφάλειαν περὶ ὧν κατηχήθη λόγων: hoc est *earum historiarum quas* Lucas ipsi toties *familiari sermone exposuerat.* Quam quidem interpretationem hæc verba pa-

ti

ti posse nemo abnuet, tametsi verbum κατηχεῖσθαι de *rebus auditione acceptis* heic capiat loci, quam græcis haud adversam esse litteris profitemur, urgente hunc sensum verbi Salmasio de Hellenistica p. 103. & maxime doctissimo quem antea laudavi, Heumanno, cit. dissert. §. 10. At, a quo potius censes Theophilum hæc fando accepisse, quam ab ipso Luca? Is enim eapropter, ut ἀσφάλειαν earum rerum haberet Theophilus, his libris conscribendis animum adplicuit. Certe cum ipsi, ut viro probe noto, Lucas Libros hos inscripsit, videtur dubio procul cum eodem hac ipsa de re sermocinatus esse frequenter. Proinde Lucas se ea quæ olim Theophilo coram *verbis* de Christo explicavit, nunc *scripto*, quo eadem examinaret probe rumineturq; sedulo, ad pleniorem rebus habendam fidem, traditurum. Ita & eruditissimum longe Fabricium hæc accepisse video Biblioth. Græce L. IV. Cap. V. p. 134. sq. unde huc quæ egregie verba Lucae παραφράζουσι, transferamus. *Lucas ait alios quidem ante se scripsisse de rebus Jesu Christi, quorum incitatus laudatissimo exemplo, ipse quoque voluerit hoc aggredi, omnibus usque a stirpe diligenter inquisitis, ut Theophilus haberet SCRIPTO etiam consignata illa quæ e LUCAE SERMONIBUS CORAM PERCEPERAT. Hic enim sensus verborum.* ἵνα ἐπιγνῶς κ. τ. λ.

§. 8. Minime tamen gentium necesse esse, quo eum accipiatur in modum verbum κατη-

χείθω pariter viros eruditos mihi conceſſuros auguror, cum his munitum circumſtantiis, non modo de *auditione*, verum & de *inſtructione imbutioneque* per *diſciplinam* accipi ſolet. Quo ipſo fas erit ut Theophilum in doctrinæ Chriſtianae præceptis inſtitutisque imbibendis Lucæ fuiſſe *diſcipulum*, colligamus. Non quod ex cathedra Lucas in ſubſelliis ſedentem Theophilum, ut nunc moris eſt, doctoris adinſtar erudierit: Sed quod, ſeu domi, ſeu foris, vel ſtantem ſedentemve ſeu ambulantem cum ipſo velut Chriſtus diſcipulos Emauntem euntes Lucæ XXIV: 15. ſeqq. curruve vehentem, ut Philippus eunuchum Candaces, Actor. VIII: 28. ſqq. multa de Chriſto narrando docendoque, ad fidem habendam Evangelio, transducere anniſus fuerit. Nam id notionis in hoc verbo, quam *Eraſmus* aliique ſequuntur docti viri, haud deſtitui autoritatibus veterum credas, quarum alterum ex Porphyrio Beza citat, alterum ex Luciani Aſino ad ſententiæ ſuæ majorem perſuaſionem, *Eraſmus* in Epiſtola ad *Guilielmum Budæum*, magnum illum Græcarum litterarum promum condum, quæ Lib. I. Epiſtolarum Eraſmianarum ſexto loco impreſſa eſt, deprompſit. Locus legitur Tom. II. Operum Luciani ubi magiſter aſinum ſaltare aliasque artes *erudiens*, eum dicitur κατηχεῖν pag. 110. Ed. Amſtel. Ait enim ipſe Aſinus, quod herus ipſum παρέδωκεν ἀπελευθέρῳ τινὶ τῶν ἑαυτοῦ νεα-

νίσκων

νίσκων, καὶ εἶπε ΚΑΤΗΧΕΙΝ, ὅσα ποιῶν μάλιστα, ψυχαγωγεῖν αὐτὸν δυναίμην. *Tradidit me* (sic versio habet) *cuidam adolescenti suo liberto, a quo* DISCEREM (seu *qui me* DOCERET) *quæcunque ipsum delectare possent.* Ita vero ut juvenis heic loci ipsum dicitur κατηχεῖν sic asinus deinceps διδασκόμενος DISCENS. ὑπήκουον γὰρ εὐπὺς, addit, εἰς ἅπαντα ΔΙΘΑΣΚΟΜΕΝΟΣ. Quemadmodum igitur alias διδάσκων & διδασκόμενος, *doctor* & & *discipulus*: ita hic κατηχῶν & διδασκόμενος vides opponi. Animadverto quidem non defuturos ex eruditorum ordine, qui objecerint Lucianum esse σκώπτην eo nomine *doctrinæ* Christianæ & *Catechumenis* illudetem. Eo enim Luciani testimonium pro optima vocum Græcitate allatum, respuere solent nomine. Vide *Joh. Cocceji* stricturas in diss. Pfochenii de purit. styli N. T. §. 52. 65. Sed haud vidi Lucianum Christianos aliqua μιμήσει urere, nisi in dialogo de *morte Peregrini* (*Philopatrida* enim ejus opus haud agnosco) cetera ab his scommatibus sunt immunia & in primis verbum κατηχέω, cujus primaria notio est ut de *doctrina* institutioneque illud intelligas, utpote nativa indoles ex κατὰ compositi, in compositione *deorsum* notante præpositione, & ἠχέω *sono*. Qua coadunatione verborum tum *magistri* tum *discipuli* notatur habitus, quorum illo ex *superiore* docente loco, *sonus* inde ad *inferiora* audientium descendit subsellia. Ex hujus vero significationis fonte & principe omnium notione, dein generalio-

liores de *perceptione auditioneque*, & quæ ceteræ sunt, velut ex scaturigine dimanant.

§.9 Et hæc quidem docent Theophilum, tametsi tum temporis quo hæc Lucas ad eum misit ἀκ ἐπίστευσε ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ut ille Candaces Eunuchus Actor. VIII: 38. Attamen fuisse ὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς βασιλείας τ̃ θεῦ ut scriba quidam legis, de quo ipse Sospitator hoc testimonium fert Marc. XII: 34. atque ἐν ὀλίγῳ χριστιανὸν qualem se Pauli *sermonibus* factum rex Judæorum Agrippa prædicat Actor. XXVI: 28. Veruntamen, cum Theophilus præter ea quæ de Christo *sermonibus* a Luca acceperat, insuper nactus sit integris *scriptis* earundem rerum ab ipso ἀσφάλειαν Luc. I: 4. Atque hunc *finem* fuisse & *scopum* Lucæ scriptionis ipse indicet, quo Theophilus earundem rerum de Christo pleniorem adipisceretur *certitudinem*; quid contrarii erit, quæso, cur minus credamus & Lucam, benedicente divini Numinis gratia, voti sui fuisse factum compotem? eundemque S. Spiritum, cujus ductu Lucas hæc scripsit, vorticordia sua vi & mentem Theophili illuminasse, quo his scriptis perlectis, rebus illic memoratis, fidem adjunxerit. (*b*) Iis, inquam, scriptis quorum ope

(*b*) Si quis praefracte id sibi persuasum haberet, solisque hariolationibus res posset confici, fortassis *Theophilum* Lucae deprehenderet, in *Theophilo* quodam

ope tot hominum non millia, sed myriades myriadum ad Christi militiæ castra perducti sunt. Cur enim Lucam hac spe sua caruisse, & excidisse voto, necessitate urgente nulla, persuasum haberemus? Obstitit, ais, *illustris dignitas*, quo functum Theophilum ex κρατίστε titulo colligimus, nec fieri verosimile *excellentis* quondam muneris hominem, pristinis derelictis sacris, quorum illi esse solent per quam tenaciſſimi, ad novam religionem animum advertisse. Verum haud est causæ cur haud aeque de Theophilo credamus, quod de tot *illustribus* hominibus, in Christi castra translatis, sive *Judæi* fuerint origine, sive gentiles, multiplicibus exemplis erudimur. De *gentilibus* quidem splendidissimo in loco positis, nihiloque secius Christianis factis, te condocefacient exempla quæ erudita fratris mei cura congessit, exercit. de *Theophilo* §. 17--20. Sin, *Judæos* desideras, meminisse ju-



dam Lucae συγχρονῳ, Christiano, dignitate non infimo, ecclesiae Corinthiacae Presbytero, si quidem genuina esset, de quo tamen dubito, epistola, quae lingua Armenorum conscripta legitur in Hist. Crit. Reip. liter. T. X. p. 155. a Corinthiis ad Paulum Apostolum missa. In illa enim *Stephanus, & qui cum eo presbyteri, Nemenus, Eubulus, THEOPHILUS, & Nomeson Paulo Fratri salutem* dicunt. Adduxerat jam hanc epigraphen Usserius in notis ad epist. Ignatii ad Trallianos p. 29. edit. Oxonienſis, & Amstelodam. p. 70. nisi quod loco Eubuli, habeat *Bulvus*. T. d. H.

vabit *Nicodemi* ἄρχοντ@ τῶν Ιεδαίων PRINCIPIS *Judæorum* Joh. III: 1. ſq. nec non *Joſephi* Ramathenſis βελευτὴ, in ipſo ſynedrio *conſiliarii*, qui & ipſe προσεδέξετο τὴν βασιλείαν τῦ θεῦ Luc. XXIII: 50. atque Eunuchi illius Candaces, Reginæ Aethiopiæ Theſaurarii & δυνάςε hoc & *principis* aulæ miniſtri Actor. VIII: 27 *Judæum* enim eundem fuiſſe religione, ſaltem *proſelytum* inter *Judæos*, utut loco nativitatis Αιθίοπα, univerſa docet cum orationis ſeries, tum maxime iter religionis cauſa ſuſceptum Hieroſolymas, & induſtria S. Codicis lectio. Primis enim ſeculis non adeo de ſecta in ſectam fiebat continuo tranſitus, nec ſtatim amplexis Chriſtianis ſacris, Judaici cœtus derelinquebantur. Sed plurimi erant, ut ita loquar, crypto-Chriſtiani, qui, cum interdiu haud auderent ob publicam religionis calumniam, Nicodemi adinſtar, *noctu* Chriſtum accedebant, Joh. III: 2.

§. 10. Nec ab re abludit (IV) Lucam hujus Theophili *rogatu* libros ſacros condidiſſe, ut hujus Syri documento porro addiſcimus. Dum enim Lucas ſe ea de cauſſa ad ſcribendos illos fuiſſe permotum monet, quo Theophilus, haud ſolum *verbo* & κατηχήσει ejus, ut toties factum, rebus de Chriſto geſtis imbueretur: verum & *ſcripto* hoc ipſo nanciſceretur rerum earundem geſtarum & quidem ἄνωθεν repetitarum, ἀσφάλειαν: omnino videtur Theophilum, virum ſagaciorem & πολιτικώ-

τα-

τατον, non continuo voluiſſe verbis ejus adſtipulari, verum deſideraſſe, quo plenioribus & certioribus documentis atque ab αὐτόπταις καὶ ὑπηρέταις τ῀ λόγ῀ hauſtis Luc. I, 2. hiſtoriis iisdem informaretur. Quod, cum his de rebus, ut fieri ſolet, ſermones ambo cæderent, expetere Theophilus omnino potuit, & petiiſſe rerum indoles ingeniique humani mores perſuadent. Conjunxiſſe vero (V) & *plurimos* incolas *Aegyptios* preces ſuas illuſtris Theophili monitis, quo Lucae animum expugnarent, anceps erit nemini, ſi & ceteri ejusdem fidei communiumque ſacrorum participes, communem æque ac privam quo haberent in rebus illis percipiendis ἀσφάλειαν, deſideraverint. Neque enim unius hominis curæ intenti ſolum fuere Chriſti legati, ſed, ut ad omnia πρόβατα τὰ ἀπολωλότα τ῀ οἴκ῀ Ἰσραὴλ miſſi a ſummo Doctore Matthæi X. 6. ita & integros *cœtus* erudiebant, & ad eosdem erudiendos plenius, ſacras literas mittebant, ut Pauli, Petri, Jacobi, nec non omnium Apoſtolorum libri Epiſtolæque fidem faciunt. Ita vero cum humano conparatum eſſe ingenio novimus, ut rerum, quas percepimus, commemorabilium, ad unum omnes & *ſcripto* expoſitionem, memoriæ præſidio, concupiſcamus.

§. 11. Quæ cum ita ſint, nec ſolus ego ſum qui Syri teſtimonium illud de Theophilo, alicujus loci, utut non ſummi & indubita-

ti, habendum esse existimavi. Celeberrimus Fabricius Bibl Gr. L. V. Cap. I. p. 94. de variis commentans Theophilis, hæc de nostro monet. *Theophilus nobilis vel Alexandrinus ut Syrus auctor Lexici apud Tenzelium p. 208. diss. select. vel Antiochenus, si credimus scriptori recognitionum Clementis X, 71.* Si enim alterutri horum, cui fidem haberem, optio daretur, centies mallem adsurgere Syro huic, ea scribenti, quæ S. Historiæ haud repugnantia esse adstruximus, quam *Volusianis* illis, ut merito vir doctus vocat, Pseudo-Clementis *chartis*, myriadum fabulis inquinatis. Idem vir summus L. IV. ejusd. Bibl. Cap. V. p. 136. citans hoc ipsum testimonium, nihil addit quo illud θεοπνευστίας accuset, quantumvis Alexandri Mori sententiam continuo subjungens obelo contundat quam & §. 2. censura notavimus. *Tenzelius* vero memorato loco rem in medio relinquens, de eadem alios judicium ferre permittit.

§. 12. Nuperrime tamen virum, undecunque doctissimum *Christ. Aug. Heumannum* in diss. de Theophilo §. 5. p. 491. hoc Syri hominis, testimonium haud magnifaciendum esse, sed accensendum fabulis potius autu masse reperi. Non quidem is ego sum qui mordicus sententiam meam tueri discupiam doctissimoque sane homini meique amantissimo, in hac caussa litterarium bellum ciere. Valeat enim testimonium quantum potest, & docto cuique videbitur. Verum cum eo fruar in-

ge-

genio ut haud facile opinionibus fide veterum quodammodo firmatis nec *impotentia* vel *physica*, vel *morali*, vel *politica* laborantibus, bellum indicere soleam. Et ego hanc fidem habui huic Syro homini, quam bono cuique haberi testi his ex nævis haud cognito, habere usque quaque solemus. *Unusquisque enim præsumitur bonus usque dum probetur contrarium*, ex veteri regula. Præcipue id in rebus *historicis* habeo, si contrariam rationem aliorum fide dignorum magis haud posse oppugnari video testimoniis. Causam enim expiscari haud possem cur hæc de *Theophilo* finxerit subleſta fide Bar Bahlul, in quibus nihil reperio quod dicentis studiis prodesse valeat. Potius cum tam candide agat ut Theophilum hunc illustrem, *alieno* solo vindicet, cum alias, si fingendi adfuisset lubido, potius cum Pseudo-Clemente eum suæ *Syriæ* (*Antiochia* enim *Syriæ* urbs est) addixerit, ut homines amore *patriæ* permoti, illustrissimum quemque, civem suum fuisse aliis persuadere nitantur, notumque sit de Homeri patria vel septem urbium certamen. Nescimus, fateor!, qua ætate sit hic lexicographus. Tamen eum *lexicographum* esse meminisse oportet, hoc est, ex eorum genere hominem qui sua ex veterum scriptis, ætatem eorum longe antecedentium, undique corradunt. Quemadmodum Suidæ, Kimchii, aliorumque lexica ex monumentis priscæ ætatis po-

tissimum consarcinata sunt, quorum utique statuamus judicio. Tali autem indole gavisum esse nostrum Bar Bahlul, nos docet capit. 186. catalogi Ebed JEsu ex versione Abrah. Echellensis. *Bar Bahlul*, ait, *composuit lexicon ex* MULTIS CONGESTUM LIBRIS, & *ex Jesu Barali Medico*, *Marvazita*, & *Gabriele*, citante Tenzelio loc. cit. p. 208. Est quidem, æque fateor, hoc testimonium ἅπαξ λεγόμενον. At, si quævis *semel* dicta, ob deperditorum veterum librorum injuriam, fabulis accensere velis, innumera quidem in scriptis omnium gentium, quæ alias certissimæ fidei sunt, forent explodenda. Dignus dubio procul publica luce fuisset Bocharti liber, quem alicubi περὶ τῶν ἅπαξ λεγομένων promisisse memini, quo id dedisset operæ, ut permultas hujus indolis narrationes ab aliorum incredulitate vindicasset. Et, quamvis in Historia sacra apud veteres passim fabulæ hæreant, tamen, cum nec omnia Cretes fingant, ut quisque falsi arguatur, merito in adfirmantem partem *fabulæ* probationem devolvimus.

§. 13. Immoremur itaque paucis etiamnum huic argumento, qualisque *Theophilus* noster inter cives suos *Alexandrinos*, cum *origine* gentis, tum *dignitatis* munere, quo ipsi κράτιστε conveniat titulus, nobilis forsitan fuerit, dispiciamus. Si expendisti, lector, binas de *Theophilo* disceptationes antea laudatas & huic Bibliothecæ insertas, recordaberis alterum

rum eruditissimorum virorum, eundem *gentilium*, alterum *Judæorum* turbæ, dispari studio, voluntate tamen pari & in litteras amore, adscripsisse. Fateor non nostrum esse hos inter tantas componere lites, nec me facile his permixtum velle Achivis. Attamen perpensis utrinque rebus haud diffiteri possum mihi propiores vero videri eruditas Fratris mei rationes, quibus (III) JUDAICAE genti eundem annumerandum esse, existimavit. Non desunt quippe quibus eandem sententiam fortius adstructum eamus. Principio quidem (1) extra controversiam positum remur Apostolos Christique ministros *prima* ætate in convertendis ad Christi doctrinam hominibus, *magis* rationem habuisse *Judæorum* quam quidem gentilium multoque facilius fuisse *Judæos* quam gentes ad Christi sacra perducere. Luculentis sane testimoniis hoc argumentum expedivit doctum *Joh. Braunii* ingenium in Select. Sacr. L. I: Cap. I. quo, si plenam testium nubem desideras, te ablegatum capimus. Atque ita summus Magister discipulis jusserat Matth. X: 56. Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, πορεύεσθε δὲ ΜΑΛΛΟΝ πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα τῆς οἴκου ΙΣΡΑΗΛ. confer. Cap. XV: 24. & Actor. XIII, 46. quo & parabola spectat Matth. Cap. XXII, 2. sqq. Dein (2) semper mihi fateor verosimilem fuisse sententiam eruditissimi *Ligtfooti*, quam in Præfatione ad horas Hebraicas in Matthæum protulit

tulit, OMNES LIBROS *N. T.* non modo *a* JUDÆIS *scriptos esse, atque* INTER, *verum* & AD JUDÆOS, *omnesque orationes in eo habitas a Judæis pariter atque AD, & apud* JUDÆOS. Quæ ipsa Ligtfooto haud priva est, sed adoptata quoque a maximo in his studiis curatissimique judicii *Jac. Rhenferdio* in dissertationis Primæ de *decem otiosis Synagogæ* Cap. I, §. 2. Quæ cum altera hujus argumenti edita est Franeq. A. 1687. Nec minus eadem docti *Braunii* eruditio hanc thesin pereximiis illustravit observationibus, quæ totum librum *primum* selectorum sacrorum ornant, docentibus, omnes fere Apostolorum Epistolas, *Pauli, Judæ, Petri* & *Johannis*, missas quidem ad gentes esse, maxime vero & potissimum ad *Judæos* Ἐν τῇ διασπορᾷ commorantes. Quid igitur rationis adfuturum sit, haud video, cur *Theophilum*, cui *Lucæ* libri inscripti, a ceteris faciam segregem, *gentiliumque* adscriberem natalibus. Quod ipsum, si Theophilum *Alexandrinis* civibus adnumeramus, eo minus fieri (3) oportet, ut eundem *gentibus* adjudicemus quo magis indubiis constat testimoniis, cum universam *Aegyptum*, tum maxime principem ejus urbem *Alexandriam* innumera multitudine *Judæorum*, summis privilegiis illic perfruentium, a seculis innumerabilibus ipsoque exordio civitatis abundasse. Vide hac de re passim Josephum L. II. contra Apionem p. 1063. Ed. Lips. L. XIX. Ant. Jud. Cap. 4. L. XX.

XX: c. 3, 5. XVIII: c. 1, 10. XIV: c. 12. & quae viri docti ad Juvenalis Sat. I: v. 130. notarunt, ut & Isaacum Vossium Var. Observ. Cap. X. p. 48. sq. Tum maxime Philonem *Judæum*, ipsum *Alexandrinum*, cum passim in scriptis suis, tum potissimum in Libro quo *legationem* suam ad *Cajum* Imp. quam *Judæorum Alexandrinorum* nomine obiit, data opera enarravit, cujus prope finem cum primis de *Judæorum* in *Aegypto* & *Alexandria* agit *multitudine*. Adde inprimis quod ipse *Alexandrinus* Philo, ejus urbis faciem nobis describat quod πολλαί εἰσιν τῶν ΠΡΟΣΕΥΧΩΝ καθ' ἕκαστον τμῆμα τῆς πόλεως MULTAE sint PROSEVCHÆ (Judæorum) in UNAQUAQUE URBIS REGIONE, pag. 782. inter quas unam omnium excellentissimamque vocat μεγίστην καὶ πεντηκοντόπηχον p. 713. quam ex rabbinorum commentariis describit Celeb. Vitringa de Synag. Vet. L. I. P. I. c. 14. p. 256. conf. §. ult. hujus dissert. Imo tanta *Alexandria* abundabat *Judæorum* copia, quo illis peculiarem fuisse Synagogam, *Hierosolymis* ex Actor. VI: 9. appareat, qui inde religionis causa ad urbem principem mittebantur. Dein (4) nec nomen *Theophilorum*, Græcum licet, hac ipsa ætate atque antecedentibus fuisse *Judæis* incognitum triplici (c) exemplo docuit cl. Frater meus

(c) *Theophili* Sacerdotis Judæorum summi quoque meminit Zonaras Ann. L. I. Coeterum, catalogo, illorum, qui hoc nomine fuere insigniti, quem nuper

meus cit. differt. §. 6. Neque enim tantummodo *Judæi* illo gaudebant ævo *Græcis Romanisque* nominibus, ut *Alexandri*, *Demetrii*, *Antipatri*, *Aquilæ*, aliaque testatum dabunt quæ celeb. *Braunius* L. I. Select. Sacr. §. 35. depromsit; Verum & propria *Hebraica* nomina, in ejusdem notionis *Græca* frequentissime commutabant, adeo ut hunc virum, quem Lucas Θεόφιλον adpellat, nativo vocatum fuisse ידידיה *Jedidja*, haud abnuerem, quod Ligtfooto placet in Harmonia IV. Evang. Sect. I: p. 248. Ita *Cepham* כפא dictum esse *Petrum* Πέτρον novimus seu *rupem*, ut utraque vox tam *Syra* quam *Græca* denotat. Pariter & Δορκάδα seu *Capream* cernimus vocari fœminam Actor. IX: 36.

per exhibui, alii addi possunt, qui interea temporis occurrerunt. Inter Graecos scriptores, qui de rebus Iudaicis aliquid memoriæ prodiderunt, primo loco *Theophilum* memorat Jos. L. I. contra App. p. m. 1051. A Tzetze Chil. II. vs. 88. citatur *Theophilus*, proconsul, patricius, quaestor & praefectus Politanus Ἐν θεμελιωσεσι παραθαλασσιαις. *Theophilus* episcopus subscripsit epistolae, quam patres concilii Antiocheni in causa Pauli Samosatensi ad Dionysium episcopum Romanum miserunt. Cathedram *Hierosolymitanam* obtinuit saeculo undecimo *Theophilus*. Inter epistolas Nili, Constantinopolitani primum Eparchae, & deinde monachi tres sunt tribus inscriptae *Theophilis* nimirum *Actuario*, *Cancellario*, & *monacho*. Per Mamantem & *Theophilum* presbyterum citatus olim fuit ad Synodum Constantinopolitanam a. 448. Eutyches. T. d. H.

36. cui inter ſuos nomen erat Syrum טביתא Ταβιθὰ ejusdem cum Græco ſignificationis. Ita &, quod obiter addo, puellam Ῥοδην dictam ſeu *roſam* Actor. XII, 13. Hebræo alias שושנה *Suſannam* vocatam, familiari inter illos, nomine, colligere fas eſt.

§. 14. Haut vellem itaque, ſi ex κρατίστε titulo, quo olim Romani *magiſtratus* honorabantur, hanc te oppugnaturum ſententiam exiſtimes, indeq; argumentaturum neceſſe eſſe & Theophilum inter *gentes* munia *magiſtratus* exercuiſſe. Quantumvis enim (IV) κρατίστε titulus omnibus aptus ſit *illuſtribus* viris ſeu magiſtratum gerant, ſeu ſecus: tamen demus, exinde patere Theophilum *magiſtratus* honoribus inſignem fuiſſe, ut & Celeb. Fabricius cenſet Biblioth. Gr. L. IV. c. III. p. 90. Tamen ſatis erit huic argumento eludendo apta unica hæc obſervatio. Ubicunque locorum ἐν τῇ διασπορᾷ vixere *Judæi* (qui ſane per totum orbem diſperſi erant. Vide Actor. II, 5. ſqq: atque ad hunc locum pereruditam Cl. *Biel* diſſert. Claſſ. III. Faſc. IV. hujus Biblioth. ſect. III inſertam præcipue §. 5. ut & Celeb. Braunii Select. Sacr. L. I. cap. 19.) *proprios* eosdem conceſſione Romanorum habuiſſe *magiſtratus* a longiſſimis retro & dudum ante Lucæ natales temporibus, uti *Damaſci*, *Antiochiæ*, *Conſtantinopoli*, ita & ALEXANDRIÆ potiſſimum pluribusque in *Aegypto* locis. Hi quidem *principes* eorum *gentis* ſeu ἐθνάρχαι, ut dicuntur, aut Ἀραβάρχαι *Arabarchæ* Græcis, Judæis vero

vero הרבים המנהיגים *harabbim, hamanhigim* seu *summi gubernatores*, ex *propriis* ipsorum eligebantur tribulibus. Id plurima veterum tam *gentilium* quam *Judæorum* loca nos eruditunt, quæ summa collegit industria, mirificoque lumine illustravit peculiari dissertatione de *Arabarcha* vel *Ethnarcha Judæorum* edita Franeq. 1702. magnum his studiis quondam præsidium *Jacobus Rhenferdius*. Nihil enim his *Arabarchis* Judæorum cum gentilibus magistratibus, quos Romani in provincias misere, communis fuit Jurisdictionis, sed pleni hi erant in suos tribules Judæos *absolutque* plane *imperii* summæque autoritatis & *splendoris*. Et tantæ quidem in urbe *Alexandrina* ut nec principes viri inter Romanos ipsique Imperatores eorundem amicitiam subterfugerint, nec mulieres principes eorundem conjugiorum fœdera detrectaverint, ut abunde de his *Arabarchis Alexandrinis* nos certiores reddunt loca apud Josephum L. XIV. Ant. Jud. c. 17. XLVIII: c. 1. 10. XIX. c. 4. XX: c. 3. 5. Cujus & *Alexandrini* Judæorum *Arabarchæ* mentio fit apud Juvenalem Sat. I: 130. ut præmissum *Aegyptii* nomen ostendit eum de *Alexandrino* loqui. Idem & inter summos viros collocatur *præfectum Augustalem* & *sacrorum thesaurorum præpositum* ALEXANDRINUS ARABARCHA in Justiniani Edicto XI: cap. 2. & 3. cum quo loco confer *l.* 9. *Cod de Vectigal.* ubi *vectigalis* ARABARCHÆ *per* ÆGYPTUM meminisse im-

imperatorem videbis. Potuit proinde & *Theophilus* noſter *Alexandrinus*, κράτιστος illic, gentis ſuæ geſſiſſe *magiſtratum* ſummaque eminuiſſe dignitate Arabarchatus, ſaltem ad *nobiliſſimam* horum Arabarcharum pertinuiſſe familiam, qui nobilitate, opibus, potentia, dignitatibus, nulli nobiliorum gentilium poſtponendi erant. Talis erat Philo illuſtris ille *Judaeus*, cujus opera etiamnum terimus, quem fuiſſe fratrem *Alexandri* in urbe *Alexandria* Arabarchæ ditiſſimi teſtatur Joſephus L. XVIII: c. 10. eundemque ut gentis ſuæ *nobiliſſimum* hinc *Judæorum* nomine ad Cajum Imp. *legatum* miſſum fuiſſe refert, atque τὰ πάντα εὐδόξα *per omnia clariſſimi*, ut Theophilum Lucas κράτιστε, titulo exornat. Equidem & ipſe illo Philo inter ſuos geſſit nomen ידידיה ſeu *Jedidæi* hoc eſt Θεοφίλε, quod ipſe in *Philonis* Græcum, ex more tum temporis ſolemni, commutavit. Hebræo enim hoc & nativo nomine Philonem citat *Jedidæi Alexandrini R.* Azarias in Meor Enajim Cap. 32. Et tales שרים ſeu PRINCIPES aut *magnates* fuiſſe *Alexandriae*, qui in Synagoga *maxima* illic in *duplicatis* ſedebant *ſedilibus*, gloſſa agnoſcit ad locum Gemaræ Hieroſolymitanæ, mox ſeq. §. notandum.

§. 15. Dum autem in eo ſum, quo hæc de Theophilo meditata chartæ committam, incidit forte fortuna alia conjectura, quæ num ad tituli ejusdem κράτιστε illuſtrationem aliquid

adferre momenti possit, alii in rebus Judaicis me peritiores dijudicent. Cum enim κράτιστος elogium dari Felici & Festo *Cæsaris procuratoribus* cerno Actor. XXIII: 26. XXIV: 3. XXVI, 27. Hoc quidem nominis ex *Græcis-Romanisque* litteris elucidari optime, ut a doctissimis factum est hominibus, crederem. Verum, dum hic Lucas ipse quondam *Judaeus* ad virum, ut ego æque existimo *Judaeum* gente, hos libros scripserit, & quidem qui adhuc *inter* Judæos versabatur, visum fuit numne potius huic titulo ex *Jure* veterum *Hebraeorum* aliquid accedere posset luminis, ad quod potissimum attendendum esse multo studio sacrarum N. T. dictionum studioso, me *Ligtfooti* in præf. ad Horas Hebr. in Matth. aliorumque animadversiones, commonefecerunt. Incidit ergo *Seniores* quondam Synagogæ *Judaicae*, qui *septem* numero erant, dictos esse טובים *Tobhim* hoc est *bonos*. At cum Hebræi nec comparativo gaudeant nec superlativo, sed eorum loco ut plurimum utantur positivo, & in honorum titulis sua lingua perpetuo etiam in re principe positivo gaudeant: Hinc טוב *bonus* æque notat ἀγαθὸν ac κράλτιστος & κράτιστον. Atque ita hi זקנים seu *seniores* vocantur טובים *boni* seu *optimi* a R. Elia Orientali in Cap. 57. Consiliorum. Aeque & in Gallia & Metis in Lotharingia alibique locorum eos simpliciter hodienum vocari *Tobhim* seu *bonos* ex ore *Simeonis Leon* docet ce-

celeb. *Rhenferdius* diſſ. II. de *Decem otioſis Synagogae* §. 19. p. 242. Alias in jure Hebræorum frequenter vocantur טובי העיר BONI *civitatis*, & quoniam *ſeptem* numero eſſe ſolent (qui adhuc in Gallia præſto hodie eſt numerus) שבעה טובי העיר *ſeptem* BONI *civitatis*, ut ex variis *Judaeorum* ſcriptis veteribus recentioribusque luculenter docet memorato loco Rhenferdius cum in diſſert. I. §. 110--113. tum diſſ. II. §. 20. ſq. adeo ut horum Seniorum titulum טבים *Tobhim* ſeu *bonorum*, quem ab antiquiſſimis retro temporibus ad hodierna usque retinent ſecula, cognoſcas. Quod ſi proinde & hunc Theophilum inter hos *ſeptem civitatis* Alexandrinæ, *bonos* numerare velles, indeque tituli κράτιστος, quo a Luca exornatur, petere rationem. Ea in re abſoni nihil fortaſſe deprehendes, *Alexandria* tot *Judaeorum* abundante quondam *Synagogis*, ut Philo Leg. ad Cajum p. 782. ſq. docet. Juvabit hanc in rem notaſſe iſtiusmodi זקנים *ſeniorum* minimum fuiſſe numerum *ſeptuaginta* Alexandriæ, utpote cum in *maxima* Synagoga totidem in *aureis* ſedilibus ſediſſe (ut eorum κράτιστην dignitatem agnoſcas) legamus in Gemara Talmudis Hieroſolym. ad Hechalil. fol. 55. col. I. Loci, quem indicio Celeb. Vitringæ debeo, eum notantis L. I: P. I. cap. 14. p. 256. de Synag. Vet. verſionem adſcribamus, *R. Juda dicit, quicunque non vidit DUPLICATA ALEXAN-*

DRIAE SEDILIA (in Synagoga maxima) *is dicendus est nunquam vidisse de vita sua gloriam Israelis.* Tanto enim splendore ea eminebat, ut ex sequenti ejus patet descriptione. *Basilica fuit magna* (h. e. maxima) *atque in ea* Duplicata *fuere* sedilia, *alterum è regione alterius.* Hæc duplicata *sedilia* fuisse locum *consessus* שרים PRINCIPUM explicant, unde facile varios in hac urbe inter *Judaeos* fuisse κρατίςες seu *magnates* agnoscis. Addunt Talmudistæ. *Septuaginta vero Cathedrae* AUREAE (קתודראות של זהב) *ibi fuere collocatae, quibus insiti erant* LAPIDES PRETIOSI, & MARGARITAE *pro* SEPTUAGINTA SENIORIBUS (שבעים זקנים) *quarum unaquaeque constitit viginti quinque myriadibus denariorum.* En hic זקנים seu *seniores*, qui alias טובים *boni* dicti, summo in honore, sellisque conspicuos regiæ pompæ proximis quo iis κραλίςων titulum dari potuisse, haud erit cur mireris. Id si minus commode fieri posse censeas, haud dubito tamen quin hinc illustrabis optime titulum ἀγαθὸς BONI quo Christum sospitatorem nostrum quendam principum Synagogæ decorasse legimus Matt. XIX: 16. 17. Marc. X:17. 18. Luc. XVIII: 18. Διδάσκαλε ΑΓΑΘΕ, ait, τί ἀγαθὸν ποιήσω ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον; *Magister BONE quid* boni *faciam ut vitae aeternae particeps fiam.* Respuens hunc titulum Christus, respondet τί με λέγεις ΑΓΑΘΟΝ; οὐδεὶς ΑΓΑΘΟΣ, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. *Quid*

*me*

*me BONUM vocas? nemo BONUS est, nisi Solus DEus* : Videtur enim captandæ benevolentiæ causa, cum Christus se præberet doctorem populi, magister ille eundem eo salutasse titulo, qui alias presbyteris pastoribusque Synagogæ proprius erat, ut טובים BONI vocarentur. Christus autem tacito ictu & viri adulationem, & nominis illius inter *Judaeos* abusum culpans, quis proprio nomine ἀγαθὸς dignus sit, exhibet indicio, adeoque sibi haud aliter ex vero illud competere, quam si illum Magister verum genuinumque DEUM agnosceret. ἢ τοῦτο μὲν δὴ τοῦτο.

## V.

# Nova quædam Historico-Theologico-Literaria.

LUGDUNO BATAVORUM celeberrimus Vir Sigebertus HAVERKAMPIUS ita ad me nuper scribebat. *Ego valde grandem & magnificum laborem, subire cœpi. Josephi opera, prout in Anglia impressa sunt, ad examen revoco, adhibitis praestantissimis hujus Bibliothecae Mss. ut & Cl. Cocceji conjecturis, quibus cunctis Angli caruere. Nec charta, nec characteres (qui*

*novi jam funduntur*) *vel hilum Britannicis cedent. Sunt & viri docti, qui ſymbolam conferent, ſi & tales in Germania veſtra invenientur, accepti nobis erunt. Totus jam in collatione iſtorum Mſſ. ſum, neque enim operae, niſi poſt menſium aliquot meditationem incipere poſſunt, ubi vero incepere, progreſſus ſatis optatos, Deo juvante, facient.* Optandum ſane foret, ut hic labor feliciori ſucceſſu gaudeat, quam quidem tot virorum præſtantiſſimorum, qui in illuſtrando Joſepho operam poſuere, conatus nacti ſunt. Neque dubito, quin non ſolum e Germania noſtra, ſed & ex aliis regionibus eruditi viri ſymbolas ſuas, inprimis autem, quæ paſſim in ſcriniis doctorum virorum ad Joſephum obſervationes latent, benevole & promte ſint ſuppeditaturi, quo tandem aliquando accurata totque expetita votis nobiliſſimi ſcriptoris editione uti fruique liceat.

TIGURI vir quidam eruditione inſignis poſſidet *Lexicon Concordantiarum Flavianarum Græco Latinarum*, ſive indicem locupletiſſimum in Joſephum, in quo innumera ejus loca emendantur, adductis ex aliis auctoribus, quæ ad ejus illuſtrationem poſſunt facere, ut & ſexcentis delineationibus veterum numiſmatum. Offertur hic liber bibliopolis, qui ejus editionis curam ſuſcipere volent. Conficiet circiter modicum in forma majori volumen. Specimen aliquod operis Latinis novis literariis ſuis inſeruit eruditiſſimus Krauſius

sius n. VII. p. 94. Heic celeberrimi viri Joh. Jac. Scheuchzeri commentarius Physico-Mathematicus in *Jobum*, cujus specimen huic Bibliothecae T. II. p. 397. sq. insertum est, mordet carceres. Vir doctissimus Conradus Hottingerus diario suo literario, quod inscripsit *Vetera & nova*, imposuit colophonem. Vir Venerandus Joh. Jacobus *Hottingerus*, cujus frequens mentio in hac bibliotheca est, ad prelum paratum habet sequens opus, cujus integrum titulum tibi exhibemus, ut faventem Lucinam quantocius experiatur, optantes. TETPAΣ *dissertationum Biblico-Chronologicarum, qua tum ex indicibus temporis adventui Messiæ in Prophetarum scriptis assignati, præcipue ex LXX. hebdomadibus Danielis, tum ex SS. Evangelistarum de JOHANNE Baptista & CHRISTO historia, Jesum & in plenitudine temporis natum, & CHRISTUM esse adversus Judæos demonstratur, sacri etiam codicis sinceritas passim defenditur. Accedit* Appendix *triplex* 1. De *Samaritanis primis, eorumque in Assyriam deportatione*, 2. *De novis ex Assyria missis Samariae incolis*, 3. *De XII. Tribuum dispersione. Cum indicibus necessariis*; Auctore Joh. Jacobo HOTTINGERO, S. Theologiae in Tigurinorum Athenaeo Professore.

DANTISCO nuntiatum nuper est diem suum obiisse Virum doctrinâ ac pietate praestantem, scriptisq; ædificationi Christianae inservientibus inclutum, *Stephanum* WOLTERS. Nunc bre-

brevem vitae ejus ac ingenii monimentorum sciagraphiam tibi exhibemus. Natus est Hamburgi VII. Kal. Sextiles a. clɔ lɔccLXV. Patre *Liberto Wolters* & Matre *Jacoba du Bois*. Studiorum tyrocinia in Schola *Bremensi* posuit hospitio usus D. *Joh. Hipstedii*, eloquentiæ & Historiarum Professoris. Hamburgi An. 1662. Philologiæ Sacræ se applicuit Præceptore D. *Esra Ezardi* S. S. Theol. Licentiato. Inde An. 1666. *Lugdunum Batavorum* profectus maxime D. *Joh. Coccejo* & D. *Abrahamo Heidano* Viris toto orbe celeberrimis formandum se tradidit; ibidemque lustratis antea cœteris Fœderati Belgii Academiis An. 1670. in numerum *S. Ministerii Candidatorum* receptus est. Eodem anno *Cantabrigiae* in Anglia degens lauream *Doctoratus* a Senatu Academico oblatam accepit. In Galliam translatus aliquot menses *Salmurii*, postea *Genevae* commoratur, tandemque *Basileae* ab Antistite D. *Luca Gernlero* Ministerio Sacro inauguratus est. Inde *Heidelbergensi* Academia lustrata ad suos primum *Hamburgum*, dein *Holmiam* Suecorum se recepit; qua urbe tandem relicta *Gedanum* transiens Ao. 1674. Verbi Divini *Minister Extraordinarius* & postea 1681. *Ordinarius* ad Ædem S. Petri & Pauli *vocatus* est. *Uxores* tres temporis successu duxit primam *Corneliam* celeberrimi Philologi D. *Cornelii Schrevelii*, M. D. & Rectoris Scholæ Leidensis filiam, e qua duæ adhuc filiæ superstites sunt. Secundam *Barbaram*

*Hay-*

*Hayniam* nobilissimæ prosapiæ Virginem, quæ unici filii, sed præmatura morte jam exstincti parentem fecit. Tertiam ætate ingravescente sibi sociavit Virginem *Constantiam Kirschiam.* Obiit ipse 15. Aprilis anno hujus seculi 19. Ministerii 45. & ætatis suæ 74. scripta ejus exstant: 1. Krohne der Gnaden Gottes. 8. 1684. 2. Tractätlein von der Andacht Petri Jurieu, quem e Gallica in Vernaculam linguam transtulit, adjectis aliquot proprii laboris concionibus. 8. 1687. 3. Hoffarts-Greuel und Gericht. 8. 1693. 4. Kirchen und Epistel-Postil. V. Volumina 4to. 1697. &c. 5. Conciones Funebres in Collegas: D. Adrianum *Pauli* & D. Michaelem Ernestum *Rötherum.* 4to. annis 1685. 1698.

Ibi quoque ad d. XVIII. Jun. a. C. MDCCXX. ætatis LVIII. in vivis esse desiit D. Daniel PAULI, Gedanensis, & ecclesiæ Reformatæ in patria ad ædem S. Elisabethæ verbi divini Minister. Munus ejus cessit Cl. Viro Alexandro *Sostmanno*, cujus exstat eruditus *de LXX. Hebdomadibus Danielis* Commentarius editus Lugd. Bat. 1710. 4.

REGIOMONTI propediem hic liber prodibit, SEXTI EMPIRICI *Scepticorum Coryphaei, Tractatio de DECEM MODIS* Εποχης *seu de scientiis, earumque certitudine, totidemque ambigendi viis & rationibus, quam PRODROMI LOCO reliquis Sexti scriptis praemissam Notis suis cum philologicis, tum Philosophicis ex mente Renati*

*des CARTES, non neglectis V. CL. Joh. Alberti FABRICII & Henr. STEPHANI Annotationibus tum illustrat, tum castigat Auctor JACOBUS THOMSON.*

*AMSTELÆDAMI* sub prelis sudat Liber, cujus argumentum ex epigraphe, quam integram damus, cognosces. תולדת עמנואל האמיתי hoc est *Vera Immanuelis generatio. Secundum Prohetiam Jesaiae cap. VII. v. 14. Ex qua contra Judaeos probatur, capia hic dictam, Matrem esse Messiae, ipsumque* עמנואל *Messiam Iesum esse Nazarenum; Nec non Declaratio quaestionis illius: Quo tempore Christus Pascha cum Discipulis suis celebraverit: quod ex Ioh. XVIII. vs. 28. secundùm Ritus Ecclesiae Iudaicae, statuto tempore, factum esse ostenditur. Quae duo, uti & multa alia Exempla & Prophetiæ V. T. ad confirmationem Religionis Christianae, ex ipso Verbo Prophetico, & Scriptis Talmudicis, cum Veritate N. T. conferuntur, explicantur & confirmantur. A Rabbi CHRISTIANO MEYER, Iudaeo Hamburgensi, ad Christum converso, Hebraice & Latine in 4to.*

IBIDEM sermone vernaculo prodibit commemorabilis & diu exspectatus Liber, cujus ἐπιγραφὴν verbis Latinis, quibus optandum esset ut totum scriptum exararetur, tecum communicamus. *LEXICON HIEROGLYPHICUM SACRO-PROFANUM, sive Dictionarium sacrorum & profanorum typorum & symbolorum, in quo Personae, res, tempora, loca, animalia, arbores, plantae, herbae, pisces, aves, & reliqua quae in sacris literis & veterum scriptis emblematum loco fuerunt.*

*fuerunt, una cum aliis impropriis & alicunde petitis dicendi modis copioſe tractantur, quae ad literam ſpectant, diligenter enucleantur, typi explicantur, & ad Antitypum referuntur, vera ſignificatio emblematum oſtenditur, phraſes allegoricae elucidantur, & innumera loca Veteris & N. Teſtamenti, ex antiquitate & linguis, ſecundum genium parabolarum, typorum ſymbolorum, exponuntur & elucidantur* operâ Martini KONING, V.D. Miniſtri Nieuportenſis in Hollandia; cum fig. æneis. VI. Voluminibus formae majoris. Specimen operis egregiis præſtantiſſimorum Virorum teſtimoniis munitum jam lucem adſpexit. Optimo conſilio nuper publice promiſſum eſt, loca auctorum ſacrorum & profanorum, ex quibus teſtimonia depromuntur, quæ primum videbantur omittenda, indicatum iri. Intra trium annorum ſpatium, inde à Kalendis Februariis hujus anni, opus hoc profligatum iri promittunt editores.

OXONII inprimuntur per *ſubſcriptionem*, uti loquuntur typographi, Biblica Anglica JOHANNIS WICLEFI, in folio, cujus inſtituti hæ conditiones ſunt exhibitæ: Biblia hæc eſſe imprimenda ex duobus curioſis Manuſcriptis, Veteris Teſtamenti in Collegio Lincolnienſi Oxonii extantis, & Novi Teſtamenti in Codice Roberti Keck: Collationem accuratam eſſe inſtitutam cum duobus Manuſcriptis vetuſtis, altero in collegio Johannis, quod ipſius Wiclefi manu conſignatum

tum esse putatur, altero in Collegio Reginæ Oxonienſi: Porro cum melioribus Exemplaribus impreſſis hoc conferendum esse: Tertium Librum Esdræ, qui non niſi in una editione Oxonienſi extat, nec non Epiſtolam ad Laodicenſes in ſola editione Lambethana occurrentem, uti & Prologos quosdam Librorum, quos nonniſi quædam editio ex Collegio Reginæ exhibebat, ſuis locis inſertum iri. Cumque hæc verſio a Sede Romana ut hæretica ſit condemnata, & ſæpius combuſta, multis in locis Verſiones aliæ Pontificiæ tum Anglicæ tum Gallica Lovanienſis collatæ ſunt additis obſervationibus. Sub textu comparebunt Annotata Wiclefi ex omnibus libris Wiclefi excerpta, & ad ſua loca relata adſcriptis MSS. & paginis, unde hauſta ſunt, non omiſſis obſervationibus & conſequentiis, quibus primarii Papatus Errores refutantur. Præfigetur *Prologus ſive Introductio ad Lectionem ſacræ Scripturæ*, Authore *Wiclefo*, cum quatuor Manuſcriptis collata: nec non diſſertatio de Vita & Scriptis Wiclefi, cui annectetur Diſſertatio de hac Verſione, Catalogus omnium editionum, brevis notitia editionis alterius Anglicæ Wiclefianæ vetuſtioris, nec non accurata recenſio omnium ſequentium Verſionum Anglicanarum ad præſens usque tempus. Frontiſpicium ornabit Effigies Wiclefi affabre ſculpta. In fine habebitur Gloſſarium abſolutum vocabulorum obſoletorum omni-

omnium, quod linguarum Septentrionalium Origines indagantibus non mediocri erit adjumento. Folia circiter 210. totum opus conficiet. Pretium ſubſcribentibus fixum eſt, duæ libræ Sterlingicæ cum duobus aſſibus.

DRESDAE vir ſumme venerandus Carolus Gottofredus ENGELSCHALL, ſereniſſimi PoloniæRegis & Electoris Saxonici à concionibus aulicis conſilium cepit celeberrimi Theologi noſtratis Johannis DALLAEI opera Latina, junctim aliquot majoris formae voluminibus edendi. Hujus inſtituti rationes publico ſcripto, ſive *allocutione ad eruditos epiſtolica* edita Budiſſæ hoc anno, in qua de hoc præclaro Theologo, ejusque ſcriptis pluribus commentatus eſt, expoſuit. Cui ut faventem Lucinam apprecamur, ita monemus tantum, illi præfigendam eſſe Dallæi vitam, quam filius ejus compoſuit ſub titulo; *Abrege de la vie de Mſr.* Daille, *& le catalogue de ſes œuvres.* Adjunctus hic liber eſt duabus ejus ante obitum poſtremis concionibus, quæ prodiere Pariſ. 1670. 8.

HERSFELDIAE opus inſigne, quod jam ante complures annos Vir Cl. Joh. Chriſtophorus KALCKHOFIUS, meditatus eſt, & ad umbilicum feliciter perduxit, nunc formis exſcribetur, cujus ſumma ex hoc ejus titulo apparet. *JOH. CHRISTOPHORI KALCKHOFF, J. U. Licentiati & Sereniſſimorum Principum Haſſo-Rhenofelſenſium in Cancellariâ, quæ eſt Rotenburgi ad*

*ad Fuldam, Consiliarii HASSIA LITERATA, ubi magno numero exhibentur SERENISSIMI HASSIAE PRINCIPES, AUGUSTAEque Principes doctrina & studiis literarum elegantiorum, nec non præclaris in Rempublicam literariam meritis illustres: dein Sancti olim Viri & Hassiæ Apostoli, ut & Archiepiscopi, Episcopi, Abbates &c. porro Comites, Barones & Nobiles: item Theologi, JCti, Medici ut & Philosophi, Mathematici. Historici, Oratores, Philologi, Critici, Poetæ &c. Qui vel in Hassia in lucem nati & non modò ibidem, sed & in reliquâ Germania, tam superiori quam inferiori, nec non in Italia, Gallia, Britannia, Polonia, Dania, Suecia, Hungaria, Bohemia, & alibi publicis splendidisque admoti functionibus, jam inde à S. BONIFACII in Hassiam adventu ad nostra usque tempora eruditione sua aut scriptis editis usque quaque inclaruerunt, Vel qui apud exteros quidem prognati, nostrâ tamen patrumque nostrorum memoriâ publicis in Hassiâ officiis hactenus defuncti, aut elegantiores literas professi sunt. Opus in gratiam & gloriam Hassiacae Gentis conscriptum & diu multumque desideratum.*

LONDINI infelicem rursus foetum in publicum protrusit Johannes TOLANDUS sub titulo *Pantheistici*, cujus tamen perpauca tantum imprimi curavit exempla, iis solum distribuenda, quibus ejusmodi glandibus vesci volupe est. Majorem applausum merebitur, liber, quem Anglice proditurum spes est, Richardi CUMBERLANDI, episcopi, dum viveret,

veret', Peterborucenſis, *Sanchoniathonis hiſtoria Phœnicum*, ex primo libro Præparationis Evangelicæ Euſebii depromta, cum continuatione ejus, è *canone Eratoſtenis Cyrenaici*, quem Dicæarchus ad primam Olympiadem perſecutus eſt, deſumpta, qui autores hiſtoricis & Chronologicis obſervationibus illuſtrabuntur. Accedet præfatio,& de Auctoris vita,laudibus, & ſcriptis relatio opera Samuelis PAYNE, Mag. Artium, & V. D. Bernaci in provincia Northamtonienſi Miniſtri & epiſcopi Capellani. Heic loci quoque Anglicè recuſa eſt D. CLARCKII *Doctrina ſcripturae de Trinitate* longe auctior, accuratior atque emendatior.

BEROLINI ſub initio hujus anni Virum reverendiſſimum Benjaminem URSINUM, Potentiſſimo Boruſſiæ regi a ſacris & concionibus aulicis, primumque in illius terris epiſcopum, octuagenario majorem, conceſſiſſe fatis accepimus.

BREMA decus ſuum haud poſtremum nuper ad diem IX. Kal. Februarias amiſit Gerhardum a MASTRICHT, urbis Oratorem, Virum maſcula dubium pietate in Deum, an varia raraque eruditione illuſtriorem, poſtquam menſes quatuor poſt LXXXI. annos in terra vixiſſet. Noluit ille quidquam de vita ſua vulgari, & ne quidem funus publico programmate indici. Quae tamen de ejus vita, ſcriptis-

ptisque mihi innotuere, faciam, ut proxime in his fasciculis legas.

ULTRAJECTO clarissimus Vir Jacobus ELSNERUS valedixit, honoribus antea doctoralibus ornatus, ut capessat provinciam docendi sacras literas in Ill. Gymnasio Lingensi, quam Cl. Ensius, qui nunc Theologiam extra ordinem in hac Academia profitetur, vacuam fecit, cujus muneris auspicia capiet oratione dicenda de *zelo veri Theologi*. *Compendium historiæ ecclesiasticæ* usibus collegiorum destinatum prelo tradidit Cl. LAMPIUS. Cl. Millius dissertationem de *Gad* & *Meni* vulgavit, qua utrumque nomen Lunam designare sibi probandum sumsit. Ad diem XVIII. Novembris anni superioris celeberrimus Vir Everhardus OTTO, non unis in rempublicâ literariam meritis inclutus, Teutoburgo Clivorum huc evocatus, juris civilis & publici professionem, quam suo ad Lugdunenses abitu vacuam nuper reliquit Cl. Vitriarius, solenni ritu auspicatus est, limatissima elegantissimaque oratione impressa Typis de *Jure Imperatoris & statuum imperii circa sacra*. Nuper heic loci mortalitatem implevit vir Cl. Melchior LEYDEKKERUS cujus vitam, scriptaque Tomi III. hujus Bibliothecæ pag. 158. sqq. exhibuimus.

KILIAE Holsatorum non sine insigni Academiæ & literarũ sacrarum damno Theologus celeberrimus Albertus Jum FELDE vitam cum morte commutavit, cum annum adtigisset sextum

tum ſupra quadrageſimum. Vitam præclari hujus viri tibi Faſciculus ſequens ſiſtet. Laurentius MOSHEMIUS noſter, cujus de *tempore ſcripti Apologetici Tertullianaei haud ita pridem diſquiſitio Chronologico Critica* Lugduni Batavorum, in forma 8. lucem vidit, locupletiorem mox editionem nitidiſſimi fœtus ſui, qua vindicias Chriſtianæ religionis contra Tolandum ſuſceperat, cujus tibi imaginem quandam Cl. III. Faſc. V. exhibueramus, Hamburgi emittet. In hac Academia ſuperiori anno Vir doctiſſimus Georg Gottlob RICHTER, Schneebergenſis Miſnicus, diſſertationem medicam inauguralem habuit de *mirabili ſanatione mulieris in ptochodocheo Bremenſi*, cujus hiſtoriam tibi Cl. I.I faſc. IV. hujus Bibliothecae dedimus. In illa hiſtoriæ circumſtantias omnes primum ſollerter conſiderat, & num aliquid heic admixtum fuerit fraudis, quam tamen prorſus abfuiſſe, velim ſit perſuaſiſſimus, indagat. Deinde in cauſas rei inquirit, easque naturales eſſe, & validæ nimis imaginationi, de cujus vi & docte & copioſe diſſerit, tribuendas eſſe probat. Gratulamur nobis noſtram narrationem tam ſolidæ atque eleganti diſquiſitioni præbuiſſe occaſionem, neque aliter de re hac eruditiſſimum Virum judicaſſe, quam judicandum eſſe ſemper credidimus. Quemadmodum in eo quoque rem acu tetigit, quod precari quidem voluerit, non ominari autem auſus fuerit mulieri perennem ſanitatem,

& a periculo redeuntis mali immunem cum iisdem propemodum malis, quæ insolito illo somno profligata fuerant, denuo afflictam esse, atque etiamnum vexari, cognoverimus.

EMDAE Vir. Rev. Eilhardus Folcarthus HARCKENROTHIUS quidquid a sacro, quod in hac urbe obeundum habet, munere vacui habet temporis, illud impendit colligendae ac conscribendae historiae ecclesiarum Reformatarum hujus urbis, ac vicinarum in Frisia Orientali. Tituli librorum, quos prelo destinat, hi erunt. I. *De moederkerck van EMDEN, bewesen en bevestigt uyt haar leven en gedrag, in de twee laatst afgeloopene euwen, zedert de hervorminge in Oostfriesland begonnen* 1519. *tot op heden.* Hic liber complectetur historiam eorum, quae post emendata in his oris sacra contigere. II. *Kerckstaat van Oostfriesland ten tyde des Pausdoms.* Haec pars recensebit ea, quae ad statum illarum ecclesiarum ante reformationem, sub Papatu pertinent. III. *Chronyck van de Oostfresche Kerckstaat beginnende bezonder van a.* 1400. *tot op heden.* In quo ea, quae in prioribus praetermissa erant, aut de quibus accuratior notitia ad auctorem pervenit deinceps, collocabuntur. Nos ut hi labores quamprimum absolvantur, multisque aliorum symbolis adjuventur, precamur.

BREMAE celeberrimi Theologi Johannis D' OVTREINII commentarius in Catechismum

mum Heidelbergenſem e ſermone Belgico in Germanicum idioma translatus cum notis quibusdam Cl. Viri Friderici Adolphi LAMPII lucem adſpexit. Accidit in hac editione aliquid, quod a nobis non negligendum eſſe, omnino videtur. In editione enim Amſtaelodamenſi ita legebatur. *Dog hoe kan het egter beſtaan met de vryheyd van de wilsneigingen, dat God die NB. SOUDE van eunvigheid beſloten, en die van te voren geweten hebben, ende dat hy die ſelfs Soude in de Menſchen wercken?* Is vero, cui verſionis cura demandata fuerat, non tam acutis, ut par erat, utens oculis loco voculae *Soude*, i. e. ſolte/ legit *ſonde*, i. e. Sünde/ ſenſuque prorſus alieno ita vertit; Wie kan es aber mit der Freyheit der Willens-Neigungen beſtehen/ daß GOtt DJE SUNDE von Ewigkeit beſchloſſen/ und vorher gewuſt habe/ und ſelbſt in den Menſchen würcken ſolte? Haec videns, qua eſt ſagacitate, Lynceisque oculis, quando ſe emendatioris eccleſiae membris aegre facere poſſe autumat פלוגי אלמוגי, anſam inde eripuit in *Proh fidem! horribili ac ſacro libello* quem his rurſus diebus cum plurimis aliis ejusdem furfuris in publicum protruſit, toties totiesque à nobis rejectam, exploſam, damnatamque criminationem, quaſi Deum, intemeratum omnis boni fontem, *peccata efficere, eorumque auctorem eſſe*, doceremus, objiciendi. Nos hoc legentes, obſtupuimus primo, haec nobis potuiſſe exprobrari, &

ex inſpectione exemplaris Germanici vix potuiſſe refelli. Sed bonum tamen factum eſt, quod ex collatione editionis Belgicae ad primum oculi ictum patuerit, quaenam fuerit erroris ſcaturigo, eumque non Theologis noſtris, ſed tantum translatori, alii vitae generi dedito, oculisque haec tum nimis inunctis uſurpanti, characteresque literarum u & n, figura valde vicinos non probe diſtinguenti, adſcribendum eſſe. Praecipue cum ex iis, quae antecedunt, & ſequuntur, praeſertim ex collatione quaeſtionis 83. & ſequentium quam clariſſime pateat, quam valde præſtantisſimus libri AUCTOR à tetra illa ſententia abhorreat. Quo autem appareat, quantae illa nobis ſit abominationi, curavit illico Venerandum Bremenſe Miniſterium, illud libri folium deleri, & cum alio, in quo Auctoris mens expreſſa eſſet accuratius, commutari. Vides in hoc exemplo, quantum ſaepe ab uno apice pendeat momenti, & qua ratione vel una literula minus recte expreſſa atrociſſimis calumniis poſſit præbere occaſionem. Rogantur autem aequi lectores, ſi in quod inciderint exemplar, in quo locus ille nondum emendatus eſt, id velint corrigere, ne quis olim inde anſam capeſſat dogma tam fœdum, quod toto deteſtamur pectore, adſcribendi eccleſiae noſtrae, eamque propterea EDZARDIZANDI, hoc eſt, calumniis, convitiis ac maledictis inceſſendi. Atque hunc in finem haec debuerunt moneri,

ne

ne quisquam existumet illius, quem nosti, hominis, causa haec scripta, aut illum a nobis aliqua responsione dignum judicari, cœpisse. Nondum in eum statum redactus est coetus noster, ut ab eo quidquam excitari posse sibi detrimenti, metuendum habeat, cujus causam oporteret esse desperatissimam, si talibus armis, quibus ille utitur, necesse haberet defendi. Pergat ille nos lacessere, atque, cum superos non possit, movere Acheronta. Non aliam ille a nobis impetrabit responsionem, quam quae illi tomi tertii hujus bibliothecae pag. 133. & 134. data est. Neque alio contra eum utemur armorum genere, quam quae sunt Christianorum, hoc est *precibus*, quibus Deum implorabimus assidue, velit pro immensa sua bonitate tam infelicis capitis misereri, eique omnia tam feliciter tamque prospere jubeat evenire, quam quidem ille nobis male discupit, quos toties, atque adeo nuper admodum *tamquam publicos Christi, & Sospitatoris nostri hostes*, horresco referens! *omnium amicitia & consuetudine indignos, & quam maxime cane pejus & angue vitandos censuit.* Quae quidem cum legimus, miramur quidem talia, vidente Magistratu, legente Christiano Ministerio, conniventibus ejusdem communionis Theologis, impune scribi, atque in vulgus spargi, idque in Germania, in qua utrique parti eadem libertas sacrorum publicis imperii decretis sancita ac stabilita est, at simul ea obversantur animo

noſtro, nosque erigunt Apoſtoli verba, quae legimus 1 Cor. IV. 12. 13. Λοιδορεμενοι, ευλογεμεν. Διωκομενοι, ανεχομεθα. Βλασφημεμενοι, παρακαλεμεν, ΩΣ ΠΕΡΙΚΑΘΑΡΜΑΤΑ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ εγενηθημεν, ΠΑΝΤΩΝ ΠΕΡΙΨΗΜΑ εως αρτι.

VI.

# INDICES CLASSIS *tertiae & quartae.*

## A.

## Index Alphabeticus, Auctorum & materiarum generalior.

NB. Numerus Romanus tomum; alter paginam tomi. L. R. notat Librum eſſe Recenſitum; Ubi nullus numerus Romanus apparet, indicatur tomus tertius:

Theodori Janſſonii ab ALMELOVEEN epiſtola ad J. D' *Outreinium*, in qua multa S. Scripturae loca elucidantur. p. 230.
-- alia ejusdem commatis. 1123.
ANONYMI de vita, morte, ac ſcriptis Petri *Poireti* relatio, 75.
-- epiſtolae ad J. D'*Outreinium* de *Melchiſedeco*, p. 879.
-- alloquium *Irenicum* ad *Proteſtantes*. p. 909.

libel-

-- libellus ſupplex *Auguſto* Regi Poloniae nomine diſſidentium in religione in *Polonia* oblatus p. 678.
-- Excerpta ex literis Anglorum de *nova editione N. T.* Arabici. IV. 711.
Ruardi ANDALA exegeſis illuſtrium S. S. locorum & Apocalypſeos, L. R. IV. 588.
Jacobi ARMINII epiſtola inedita ad Joh. Jac. *Grynaeum* p. 384.
BASILIENSIUM reſponſio ad epiſt. Archiepiſcopi Cantuarienſis p. 407.
Joh. Chriſtiani BIEL de Judaeis ex omni gente ſub coelo Hieroſolymis commorantibus ad Act. II: 5. Obſerv. p. 660.
Joh. Jacobi BREITINGERI epiſtola de actis Synodi *Dordracenae* ad Tigurinos p. 574.
Martini BUCERI ad *Bullingerum* epiſtola p. 1101.
Henrici BULLINGERI ad Oſvaldum *Myconium* epiſt. p. 1092.
-- -- ad *Marcum* quendam Epiſtola p. 1095.
Joh. BUXTORFII ad Matth. *Martinium* epiſt. inedita IV. 598.
Wolffgangi Fabricii CAPITONIS epiſtolae tres, duae ad *Lutherum*, una ad Melanchthonem, IV. 920.
*Cantuarienſis*. v. Wilhelmus.
CLEMENTIS VIII. Papae epiſtola ad Senatum *Baſilienſem* IV. 945.
Sebaſtiani CREMERI prodromus typicus. L. R. IV. 175.

Hermanni DEUSINGII exegesis Psalmi XC. p. 769.
-- Exegesis Psalmi XC. p. 849.
Johannis DURAEI ad Joh. *Bergium* epist. ined. IV. 683.
Jacobi ELSNERI Observ. ad locum Col. I: 24. p. 753.
-- Obs. ad Luc. XV: 22. p. 938.
-- Observat. sacrae; L. R. IV. 181.
-- ad Matth. III: 9. Observ. IV. 186.
Theodori FABRICII, vita ab ipso conscripta IV. 65.
Joh. GAGNIER *Carolina* s. ecloga in laudem Walliae Principis IV. 377.
Yvonis GAUKES de *Miraculis* diss. Mathematico-Theologica. p. 581.
-- de *Diluvio* diss. Physico-Geometrico-Theologica IV. p. 798.
GENEVENSIUM responsio ad literas Archiepiscopi Cantuariensis p. 418.
GENEVENSIS Academiae hodiernus status IV. 299.
*Guilielmus*. v. Wilhelmus.
Christophori GUNDERMANNI Urpheda, p. 389.
Jacobi HASAEI de inquinatis *Sardiensium* vestimentis ad Apoc. III. 4. dissert. p. 253.
-- de *Ononychoete* Christianis afficto numine ad Joh. Phil. *Heinium* epistola p. 1036.
-- Vindiciarum vulgati interpretis specimen IV. 328.

-- Obſerv. qua civitatem *Macedonicam*, & *Alexandriam Magnam*, in quibus Lucas Evangelium ſuum conſignaſſe ſcribitur, eandem eſſe urbem *Alexandriam Aegypti* oſtenditur. IV. 732.
-- de *Theophilo* Alexandrino, cui Lucas Evangelium inſcripſit, ad illuſtrationem teſtimonii, quod de eo Syrus Lexicographus habet, exercitatio. IV. 1048.
Theodori HASAEI de *Throno Satanae* apud Pergamenos ad locum Apoc. II: 13. diſſert. p. 132.
-- ad illuſtrationem loci Col. I. 24. Obſervatio p. 218.
-- Relatio (a) de celebrata memoria Tiguri atque



(a) In illa pag. 518. legitur. *Veritates de quibus* nobis *nihil certi atque indubii divinae paginae docuerunt.* Ex his verbis mihi jam aliquoties turpem Latinae Syntaxeos ignorantiam exprobravit ὁ δεινα, quaſi neſciverim, quem caſum regat *docere*, tametſi vel centies alibi recte hoc verbum a me conſtructum eſſe potuit videre; Scio me hominem eſſe, nihilque a me humani alienum puto, neque de exiſtimatione mea actum iri judico, ſi & tale aliquid mihi excidiſſet, cum vel attentisſimo cuique animus ſaepe aliud dictet, aliud ſcribat calamus. Nunc tantum Orbilium meum rogatum volo, ut ea verba recte conſtruat, cogitetque hunc eſſe verborum ſenſum. *Veritates de quibus nihil divinae paginae docuerunt nobis certi atque indubii*, hoc eſt, quod NOBIS CERTVM atque indubium eſſet. T. d. H.

atque alibi in Helvetia reformationis religionis ante duo sæcula institutæ p 492.
-- de formali קרא & קרי significatione observatio p. 537.
-- de *Theophilo*, cui Lucas Evangelium inscripsit, spicilegium, IV: 483.
-- de phrasi Ebræorum, *Tegere pedes* Observatio, qua id esse, *capere somnum*, ostenditur. IV: 483.
-- De *Baptizatis Christum indutis* ad illustrationem loci Gal. III: 27. Dissert. IV: 1007.
-- Epitaphium Johannis *Diecmanni*, IV: 411.
-- Epigramma de *Pachomio*; IV: 771.
HELVETIORUM epistola ad Carolum I. Magnæ Britanniæ R. IV: 412.
Christophori Augusti HEUMANNI refutatio narrationis de *Johanne* apostolo in fervens oleum conjecto p. 316.
-- de *columba*, quæ ex rogo *Polycarpi* evolasse dicitur, exercitatio p. 429.
-- explicatio septem locorum ex *paræmiis Salomonis* cum mantissa de *Lemuele* IV: 108.
-- explicatio totidem locorum ex epistola ad *Romanos* cum triplici mantissa IV: 281.
-- de *Theophilo* Lucæ dissertatio IV: 506.
-- ad J. L. *Moshemium* epistola responsoria de Johannis martyrio IV: 935.
-- de Pansophia Christiana ad locum 1. Joh. II: 20. IV: 991.

Hen-

Henrici HORCHII inviſibilia Dei facta viſibilia L. R. p. 742.
Joh. Jacobi HOTTINGERI Memoria Synodi *Dordracenæ*, IV: 417.
Joh. Janſonius, v. ALMELOVEEN.
Joh. *Jezleri* de *diuturnitate belli euchariſtici* L. R. IV: 549.
Joh. Chriſtophori ISELII de vita ac morte Ludovici *Beri* relatio; IV: 312.
Bernhardi Petri KARLII de vero ſenſu viſi Danielis de IV. beſtiis, & ſpeciatim *quarta-decicorni*, contra paradoxam V. Cl. de *Cyro* expoſitionem; p. 804.
-- de miraculo ſolis in *Ezechiæ horologio* diſſ. cum mantiſſa de ſole & luna a Joſua conſiſtere juſſis IV: 635. & 657.
Friderici Adolphi LAMPII triga quæſtionum circa miraculum ſanctorum cum Chriſto reſurgentium p. 734.
-- de τῳ βδελυγματι της ἐρημωσεως ad Matth. XXIV. 15. diſſert. p. 990.
Johannis à LASCO ad Conr. *Pellicanum* epiſtola inedita p. 183.
LAUSANNENSIS Academiæ hodierna facies IV: 675.
Martini LUTHERI teſtimonium datum Theodoro *Fabricio* IV: 106.
-- epiſtolarum ineditarum faſciculus, una ad Jacobum *Meierum*, ad *Capitonem* quatuor, una ad *Schwenckfeldium*, una ad *Bucerum*, IV, 907. ſqq.

Johan-

Johannis MANN *judicium Dei in mundi regna* ex Dan. cap. VII. cum exegesi in selecta S. loca L. R. IV: 753.

Caſparis MAURITII de *confeſſione* & *abſolutione privata* theſes, IV: 853.

Gerhardi MEIERI de *Baptizandis* L. R. IV: 167.

Jacobi MEIERI epiſtola ad *Lutherum*; IV: 903.

Johannis Caſparis MERCKEN cogitationum ſacrarum ſpecimen. IV. 883.

Johannis Georgii MICHAELIS de ſanctis cum Chriſto in vitam revocatis exercitatio, p. 707.

Bernardi de MONTFAUCON epiſtola de baptizatis pueris ab *Athanaſio* puero VI: 221.

-- de tempore mortis *Alexandri*, epiſcopi Alexandrini. IV: 235.

-- de anno obitus S. *Athanaſii* p. 248.

Joh. Laur. MOSHEMII, de Apollonii Tyanazi Taliſmanibus ad M. V. de la *Croce* diſſ. pag. 1,

-- vindiciæ antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ adverſus J. *Tolandi* Nazarenum, L. R. p. 894.

-- de *Joanne* in fervens oleum conjecto ad C. A. *Heumannum* epiſtola, IV: 34.

Henrici *Muhlii* de etymo vocis Kirche commentatio L. R. p. 525.

An-

Andreæ NORRELLII de avibus *arbeh*, *ſolam*, *chargol* & *chagab* ad Lev. XI: 20. 21. 22. ſchediaſma p. 36.

Johannis D' OUTREINII, ad locum Matth. VIII: 11. diſſertatiuncula, p. 1071.

-- ad locum 1. Petr. II: 24. annotationes IV: 154.

-- de *Indutione Chriſti* ad loca Rom. XIII: 14. & Gal. III: 27. diatr. IV: 360.

-- de phraſi O NIKΩN in epiſtolis Apocalypticis diſſertatio IV: 605.

Gerhardi OUTHOVII de *Raab* & *Rachab* diſſ. qua probatur eas diverſas eſſe mulieres. p. 438.

-- ad locum Matth. XXIV: 15. 16. diſſ. qua probatur βδελυγμα ἐρημωσεως eſſe exercitum Romanum. p. 625.

-- ad locum Jac. V: 16. obſervatio IV: 457.

Georgii Danielis *Pauli* de loco Pſ. LXXII: 6. diſquiſitio p: 58.

Hermanni REINERS obſervationum ſacrarum Δεκας p. 957.

-- de voce ΤΕΛΕΙΟΣ diſſert. in qua plurima S. S. loca illuſtrantur IV: 949.

Michaelis ROSSALLI ad loca Apoc. II: 13. & 17. Obſervatio p. 93.

Petri von SARN de ſeptem Diaconis Act. VI: 7. obſervatio p. 519.

-- cogitationes de *Libano*, emblemate eccleſiæ N. T. p. 864.

G.

G. SCHAUBII ad loca Jer. XVIII: 23. Job. I: 19. Rom. I: 18. obſervationes IV: 719.

Joh. Georgii SCHELHORNII de צלצל דגים ad elucidationem loci Job. XL: 31. obſervatio IV: 572.

-- ad quædam N. T. loca annotationes IV: 577.

Johannis Danielis SCHRAMMII delineatio vocum אוב & אריאל ad mentem Eſaiæ: XXIX: 1-8. p. 327.

Phil. Davidis SCHROEDELII dubia circa *ideas* innatas IV: 135.

Jacobi STAALKOPFFII Vindiciæ oraculi Paulini ad locum Act. XVII: 28. p. 470.

-- ad oraculum Paulinum Ebr. XI: 3. Obſerv. IV: 20.

-- ad locum 1. Joh. IV: 3. obſervatiuncula IV: 663.

Johannis STURMII ad Henr. *Bullingerum* epiſtola p. 1104.

TIGURINORUM epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem p. 401.

-- epiſtola ad Baſilienſes IV: 275.

Salomonis van TIL opus Analyticum. L. R. IV: 179.

Ludovici Georgii TREVIRANI diſſ. de conſpectu gloriæ Dei a poſteriori ad locum Ex. XXXIII: 21, 23. IV: 1.

UL-

ULRICAE ELEONORAE, Reginæ ad Helvetios Epiſtola IV: 273.
ULTRAJECTINAE Academiæ, ejusque Profeſſorum hodierna facies: 158.
Jacobi VISCHER epiſtola ad Joh. *Tſetſi* ex India Orientali ſcripta p. 952.
VITARUM deſcriptio
-- Ludovici BERI IV: 312.
-- Franciſci BURMANNI p. 763:
-- Johannis DIECMANNI IV: 408.
-- Theodori FABRICII IV: 65.
-- Joh. JEZLERI IV: 532.
-- Joh. Chriſtophori PFAFFII: IV: 772.
-- Joh. la PLACETTE p. 110.
-- Petri POIRETI: p. 75.
-- Joh. Rodolphi RODOLPHI p. 361.
-- Abrahami TROMMII p. 1117.
-- Stephani WOLTERS IV: 1083.
Stephani VITI vita Johannis *Jezleri*, ejusque libri de *diuturnitate belli euchariſtici* recenſio IV: 532.
Hermanni van de WALL Obſervationum miſcellanearum Δεκας p. 189.
WILHELMI Cantuarienſis ad Theologos Helveticos Epiſtola p. 393.
-- ad Reformatos in Palatinatu p. 758.
-- ad Joh. Ludovicum *Neuſchelerum* Ep. IV: 276.
Ludovici WOLTERS, loca ſelecta e libris So-

Sohar & Rabboth S. ſcripturam illuſtrantia; p. 184.
Nova Theologico-Hiſtorico-literaria unius circiter biennii eccleſiam Reformatam potiſſimum concernentia p. 366. ſqq. 938. ſqq. IV: 397. 1082.
Continuatio catalogi librorum a Reformatis nuper vel editorum vel recuſorum Germanice p. 172. IV: 198.
Latine, p. 1132.
Gallice, p. 1137.
Belgice, p. 1139.
Anglice, IV: 193.

B.

# INDEX *secundus* scriptorum veterum, *Gentilium*, *Judaicorum* & *Ecclesiasticorum*, qui in his IV. Tomis illustrantur, explicantur, notantur, emendantur, & defenduntur.

Omisimus loca quibus ex allegatione sola lux fit, cum *rerum* & *verborum* indices his quaerendis suppetias ferant.


*Achilli Tatio* lux II, 429. III, 310.
*Alexandrinum* Chronicon; III, 26.
*Ammianus Marcellinus* illustr. IV, 339.
*Anacreon* illustratus III, 303.
*Anonymi*
Autor *Passionis* SS. Perpet. & Felicit. emendatus I, 548.
*Acta* Martyrii S. Polycarpi illustrata & emendata III, 429. sqq.
M. *Antoninus* (Imp.) emendatur. II, 865. sq.
*Antonino Liberali* lux III, 434.
*Apollinarii* Paraphrasis Psal. I, illustrata passim I, 447. s.
*Apulejo* lux I, 305. sq.
*Arabs* interpres N. T. cum ceteris conciliatus IV, 733. sqq.
*Aristenæto* lux III, 300.
*Aristides* illustratus. III, 95. sqq. passim 103. 106. sqq.
*Aristophanes* ejus emendatio comprobata I, 307. illustratus II, 413. 415. 508. 1023. 1033. sq. III, 296. 298. sq. IV, 358.
*Athanasius* explicatus IV, 241. sqq. emendatus IV, 269. ejus Epistolae Paschales. IV, 256. sqq. aliæ Ep. illustratæ. IV, 267. sq.
*Athenaeus* II, 412.
*Athenagorae* Apologiæ scriptionis

ptionis tempus erutum. II, 854. sqq. ejus *inscriptio* illustrata. II, 858. sqq. aliaque loca II, 868. sqq.
*Bar Bahlul* (Lexicogr. Syrus) notatus IV, 491. vindicatus IV, 1053.
*Barnabae* ejus spurii Evangelii νοθείας notae III, 896. sq.
*Basilio* lux IV, 252. 265. 266
*Basilii* Epist. argum. illustrata IV, 260. sq.
*R. Bechai* illustr. II, 555. sq.
*Callimachus* illustr. I, 46. a. I, 297.
*Capitolinus* (Jul.) explicatus II, 860.
*Chronicon* orientale explicatum IV, 235. 237. 239. sq.
*Chrysostomi* explicatio defensa IV, 766.
*Cicero* illustr. I, 26. a IV, 295. explicatus II, 617, IV, 464.
*Claudianus* III. 278. IV, 749.
*Clementis* Epist. ad Corinthios vulgata lectio defensa I, 324.
*Clemens Alexandrinus* explicatus & defensus I, 392. sqq. 416. sq. II, 191. illustratus II, 212. 260. 831.
Pseudo-*Clementis* recognitiones notatae. IV. 490.
*Codicis Theodosiani* tit. de *Murilegis* illustratus II, 423. sq. tit. de *feriis* II, 999.
*Cyrillus* Alexandrinus elucidatus. IV, 251. sq.
*Demosthenes* illustratus, 446.
*Diodorus Siculus* elucidatus II, 493. III, 1067. IV, 495.
*Dionysius* Periegetes illustratus II, 481. sq. IV, 745. sqq.
*Dion Cassius* illustratus III, 647. sq.
*Epiphanius* illustr. I, 23. a.
*Etymologicon* M. emendatur II, 1029. illustratur. III, 283. 285.
*Eusebius*, ejus locus varia explicatione & emendatione tentatus III, 17. 18. 430. sqq.
*Festus* illustr. I, 302.
*Feudale* jus elucidatum I, 310. sq. II, 1013. 1020.
*Fioro* lux IV, 343.
*Gemmae* antiquae explicatae III, 1021. sq.
*Glossaria* Gothica & Theotisca illustrata I, 326. sq. II, 292. sqq. II, 379. sq.
*Glossae* Graeco latinae illustr. III, 276.
*Gregorius* (Nazianzenus) Epistola ejus illustr. IV, 258. sq.
*Hannonis* Periplo lux I, 705. II, 480. IV, 356.
*Herodianus* illustr. III, 100. IV, 462. 463.
*Herodoto* lux I, 839. II, 688. He-

*Heſychius* explicatus I, 70. notatus I, 320. emendatus IV, 780. II, 414 illuſtratus. II, 1033. III, 675.
*Hierocles* illuſtratus & explicatus III, 14. ſq.
*Hieronymo* lux III, 318. coll. 321. ſq. IV, 51. 58.
*Hippolytus* in L. de Antichr. illuſtratus I, 143. a. tentatus III, 908.
*Homerus* explicatus I, 261. ſq. illuſtratus I, 296 297. II, 428. 1024. III, 32. 262. ſq. 300. ſq.
*Horatius* illuſtr. IV, 345. 348. ſq.
*Horus* Apollo. emendatio confirmata II, 692.
*Jamblicho* emendatio adſerta. III, 1019.
R. Sal. *Jarchi* notatus III, 42.
*Inſcriptiones* veteres explicatae I, 320. 321. III, 107-132. paſſim IV, 339. 496. 524. ſqq. 429.
*Joſephus* defenſus II, 276. explicatus II, 497. ſqq. 1050. II, 744. ſq. illuſtratus IV, 766. 750.
*Irenæus* illuſtr. I, 401. 404. ſq. defenſus I, 426. ſqq.
*Iſidorus* Peluſiota illuſtr. III, 20. ſqq. 24. ſq.
*Juſtinus* Martyr. Ejus dialogus cum Tryphone paſſim elucidatus I, 86. ſqq. II, 1030. ſcripta *ſpuria* illuſtr. III, 22.
*Juvenali* lux IV, 742.
*Kimchi* lexicon illuſtr. II, 488.
*Lactantio* lux III, 15. ſq. ejus libri *Sympoſii* dicti tit. illuſtr. III, 378. ſq.
Laërtius (Diog.) illuſtr. III. 290.
*Lampridius* explicatus III, 878.
*R. Levi* Barzel. illuſtr. II,
*Longinus* explicatus & illuſtr. IV, 493. ſq.
*Lucanus* illuſtratus & explicatus paſſim IV, 737-743.
*Lucianus* illuſtr. I, 29. a. II, 1019. III, 279. a prava explicatione liberatus III, 32. 1068.
*Lycophron* elucidatus I, 298. III, 263. ſq.
*Malalas* notatus III, 27.
*Martialis* explicatus II, 504. illuſtratus III, 268.
*Marcellus ſidetes* IV, 741.
1. *Maccab.* I, 16. III, 998. I, 54. III, 1000.
*Minutius Felix* illuſtratus II, 998. ejus dialogi ſcriptionis *tempus* indicatum *ib.* & 999.
*Nepos* (Corn.) ejus verba a gloſſemate liberata I, 699.
*Novellæ* Juſtiniani explic. II, 1001. III, 449.
*Nummorum* inſcriptiones illuſtratæ II, 874. III, 94. 101. 107. ſqq. paſſim 131. IV, 749. 750. 751.

*Origenis* L. contra Celsum lux. III, 272. 1053. 1054. 1062. 1068.
*Orosius*, ejus Historiarum *titulus* elucidatus I, 325. sqq. 549. sqq.
*Ovidio* lux. I, 45. a. II, 428. 1013. 1016. sq. III, 288. sq. 263. 553. 1060. IV. 747.
*Pandectæ* juris illustrati I, 308. sq. IV, 347. sqq. 358. sq. 723. 724.
*Pausaniæ* lux. III, 106. 123. sq. locus expensus III. 655.
*Petronius* illustr. III, 1062.
*Philo* (Judæus) illustr. III, 667. sq. 671. sq. 675. II, 996. ejus versio correcta III, 227. sq.
*Philostratus* illustratus & explicatus & notatus passim III, 2. 33. 95.
*Photius* elucidatus III, 1067.
*Plato* Comicus ejus fragmentum illustr. II, 412. & vulgata lectio defensa II, 418.
*Plautus* illustr. I, 306. 705. sq. III, 309. verba ejus a glossematis nota vindicata I, 700.
*Plinius* illustr. II, 479. 485. 1016. sq. IV, 752.
*Pollux* (Jul.) ejus versio notata I, 46. a. illustr. I, 705. II, 1033. 1058. elucidatus & explicatus, III, 281. sqq.
*Polybius* emendatus II, 252.
*Porphyrii* locus illustratus, III, 260. sqq.
-- fragmento ap. Eusebium lux. III, 1022. 1023.
*Plutarchus* emendatus, III, 263. illustratus, III, 264. IV, 519. sq.
*Polycarpi* fragmenta notata, III, 319.
*Propertius* elucidatus I, 30. a.
*Proterii* (Patr. Alex.) epistola illustrata, IV, 252. sq.
*Ptolemæus* illustratus, II, 480. IV, 752.
*Rabboth* exinde locus illustratus, III, 1090.
*Rufinus* illustratus & notatus IV, 223. sq. - 234.
*Schilte Haggeburim* (liber Judaicus) emendatus & illustratus I, 51. a. 52. a.
*Scholiastes* Juvenalis illustratus, II, 508. emendatus, III, 269.
- - Aristophanis emendatus, II, 1035.
- - Horatii illustr. & notatus, III, 283.
- - Homeri illustr. II, 1017.
*Scylax*, explicatus & emendatus II, 505. sqq.
*Septuaginta interpretes* V. T. explicati I, 41. a. & illustrati I, 205. sqq. emendati

ti I,302.447.sqq.II,1011. expositi II,268.478.481. notati II,270.271. III,39. sqq. IV. 768. illustrati II, 644,647. defensi & explicati II,1000. sq. 1017. sq. III,345.357.446.sqq. 561. IV, 120. examinata explicatio, IV, 769. sq. tentati correctione, IV, 770.

*Servius* notatus & explicatus, III,292. sq.

*R. Salomoni* vetus lectio adserta II,652.

*Silius Italicus* illustratus,IV, 739. 740.

*Socrates* (Historicus) illustratus,IV,248. sqq.254. sq.

*Strabonis* vulgata lectio defensa, IV, 771.

*Suetonio* lux.II,508.IV,340.

*Suidæ* lux. II, 422. III,127. 636. notatus, III, 631. 632.

*Sulpitius Severus* explicatus & defensus, IV, 767. sq.

*Symmachus* explicatus & defensus, IV,743. sq.

*Symmachus*(interpres V.T.) illustratus, II,1000. sq.

*Syracides* emendatus I, 733. II,1045.

*Syrus* interpres N. T. cum ceteris conciliatus, IV, 747. sqq. illustratus, IV, 751. sq. notatus & illustratus,III,727.

*Talmud*, loca Talmudica illustrata, I,23. a. 42. a 90, 91,96. II,638.III,47.313.

*Tacitus* illustr. III, 95. IV, 489. 528. sqq. 1053. sqq.

*Tertullianus* notatus III,318. 320. sqq.325. & defensus,ib. & IV,52. sq. explicatus & illustratus, III, 1037 - - 1070. IV. 50. 1013.

*Theophrastus* in Charact. explicatus I, 28. sq. a.

*Theocritus* explicatus, II, 1035. III,634. sq.

*Tzetzes* ad Lycophronem illustr. III, 263,265.

*Varronis* fragmenti correctio confirmata II,417.

*Vegetius* illustr. I,26.a.27.a.

*Virgilius* illustr. II, 620 - - 625. II, 1016. 1059. III, 269. 1065. IV,739.

*Vulgatus* interpres S. Cod. illustratus, I,322. ejus interpretationes defensæ I,475. II,1029.1031.sqq. 1037. IV,329 - - 359. notatus IV,492.498. defensus, IV,523. seqq. 719.

*Zohar* passim illustratus III, 1085. sqq.

C.

# Index *Tertius* vocum *Hebraicarum.*


אגר אגרה. 553. sq.
אדם. 776.
אוב. 346.
אובות. 348.
אכלקרצא. 565.
אנש, 775. sqq.
ארץ. 664.
ארבע. 44. sq.
אריאל. 333. sq. I, 340.
ארמילוס: IV: 192.
ב adversative sumitur, IV: 720.
בטל, IV: 351.
בסר, 284. sq.
בצרה בצר, 284. sq.
בקר. 782.
גן. 68.
גרן, 554.
גמורים: IV: 965. 969. sq.
דון. 535.
דם. 257.
דק. IV: 178.
הדרים. 238.
הוא IV: 163.
הוה. 853.
הילך. 235.
היום. 959. 964.
הראיל, 339.

זונה. 440. sqq.
זכה: IV: 609.
זרזיף. 70. sq.
זקנים: IV: 1079. sqq.
זרם. 782.
חבלי המשיה. 229.
חגב 40. sqq.
חלף. 784.
חסיד. 662.
חפה: IV: 1032.
חרום: IV: 177.
חפציבה. 877.
חרגול. 40. sq.
חשמל. 746.
טובים: IV: 1078.
טרקלון. 1074.
ידידיה: IV: 513.
יהיו. 782.
ילד. 959. 968. sq.
ינון. 62.
יקוש. 852.
ישר IV: 465.
כור. 555. sq.
כן. 795.
כנף. 1011. 1029. IV: 1034.
כרות, כר, 557.
כרה 555.
כרעים. 53.
לבנון. 864. sq.
ממגו. 994.
מרגלות, IV: 761.
מעלות: IV: 636. 644.

מעון 772.
מקום ; vocatur Deus, 1029
מקרא 534. 573.
משלם 222.
משומם : 652. 653.
נדבות, 236.
נזר, 663.
נצח : IV : 608.
נתר. 54.
סגר : IV : 730.
סחרה. 854.
סלעם. 40. sq.
עוף טהור. 39. sq.
עליונין. 846.
עם notat contra : IV : 132.
עמר 997.
עשה est punire : IV: 720.
פונדקיתא. 440.
פעל : IV : 121.
פשע. 1001.
צדיקים גמורים : IV: 965.
ציים. 60.
צלצל : IV: 573. sqq.
צלצל דגים : IV : 572. sqq.
צפץ, 356.
קהל 531. 564. 569.
קיר, 552.
קורא. 542. sq.
קל. 562. sq.
קלה. 563.
קרא. 534. 551. sq.
קר. 537. 551. 559. sq.

קריאת. 540. sq.
קרקר. 557. sqq.
רביבים: 71.
שומם. 628. sq.
שחר. 782.
שקץ. 628. sq. 1001.
שקוצים. 1025.
שרץ העוף. 39. sq.
תבל 774.
תופת 836. sq.
תמם: IV, 957.

D.

# Index *Quartus* Locorum scripturae,

Majores literae indicant ea plenius singularibusque dissertationibus explicata, reliqua illustrata tantum atque confirmata esse. Ubi non adest numerus IV. indicantur classis tertiæ paginae.

GEN. VII: 10. 12. 17. 24. & VIII: 3-5. Vide IV: 798-853.
X, 665.
XII, 3. 63.
XV, 6. 222.
XXXV, 2. IV, 1046.
XLVIII. 20. 62.
XLIX, 11. 258.

XLIX, 18. IV, 784.
XLIX, 19. IV, 590.
Exod. X, 4. 55.
XVII, 14. 664.
EXODI. XIX, 10. sqq. IV, 1018.
XXXIII, 31. 60.
EXODI. XXXIII, 21. 22. 23. IV, 1. sqq.
Levit. VIII, 21. 53.
LEVITIC. XI, 20. 21. 22. 36. sq.
XV, 31. 663.
XX 5. 446.
Num. XII, 7. 770.
XIV, 14. IV, 1031.
XXIII, 9. 1089.
XXIII, 14. 776,
NUM. XXIV, 17. 557. sqq.
Deut. XI, 10. 11. 12. 68.
XV, 14. 554.
XVI, 16. 220.
XXI, 22. IV, 592.
XXII, 30. IV, 1034.
XXVII, 10. IV, 1034.
XXXII, 1. 2. 73.
XXXII, 10. 11. IV, 1029.
XXXII, 12. 559. IV, 1033.
Jos. II, 4. 450. 455.
JOS. X, 12. 13. 14. IV, 757.
JUD. III, 24. IV, 658. sqq.
IV, 10. 1091.
XI, 1. 444.
XIX, 2. 447.
Ruth. III, 5. 7. 8. IV, 761.
III, 9. IV, 1034.

1. SAM. XXIV, 3. IV, 758. sqq.
1. Sam. XXVI, 21. 542.
XXVIII, 1. sqq. 348. sqq.
2. Sam. XI, 4. IV, 1020.
XXIII, 20. 342.
1. Reg. III, 16. 445.
VI, 1. 463. sq.
X, 24. 62.
XVII, 17. 723.
XIX, 11. 709.
XIX, 5. 6. 7. IV, 296.
2. Reg. IV, 32. 723.
2. REG. XX, 5-21. 935. sqq.
1. Chron. XI. 22. 342.
2. Chron. XIII, 7. IV, 604.
Job. I, 19. IV, 722.
VII, 20. 21. IV, 155.
XXXIX, 20. 50.
JOBI. XL, 31. IV, 572.
PSALM. II, 7. 958. sqq.
XVII, 8. 1015.
XXI, 21. 850.
XXII, 6. 207. 854.
XXXVI, 8. 1015.
LI, 6. IV, 608.
LXI, 5. 1016.
LXVIII, 8. 9. 10. 1129. IV, 1023.
PSALM. LXXII, 6. 58. sq. agit de Christo.
59. sq.
LXXII, 19. 19. 1091.
LXXIV, 14. 60.

LXXX, 14. IV, 602.
LXXXII, 7. 775.
LXXXIX, 10. 11. IV, 755.
PSLAM. XC. integer. 769. ſq.
PSALM. XCI. integer. 849. ſq.
CIV, 6. IV, 1039.
CV, 39. IV, 1032.
PSALM. CX. 3. 235. ſq.
PROVERB. I, 8. IV, 110.
VI: 26. 443.
PROV. XIV, 17. IV, 113.
XV, 8. IV, 465.
PROV. XVI, 4. IV, 117.
PROV. XVIII, 1. IV: 123.
PROV. XXV, 22. IV, 126.
PROV. XXX, 2. 3. 4. IV, 129.
XXX, 31. IV, 131.
XXXI, 1. IV. 133.
Eccleſ. XII, 7. 776.
Cant. II, 11. 12. 13. 74.
V, 10. 310.
V, 11. 243. ſq. & 310.
VIII, 1. IV. 112.
Jeſ. I, 18. 306. ſq. IV, 5. IV. 1031. 1032.
VII, 114. IV, 1086.
XI, 1. 1090.
XV, 9. 343.
XVIII, 1. 1018. ſq.
XXII, 560.
JES. XXIII, 446. XXXVIII. 5-8. IV, 635. ſqq.
JES. XXIX, 1-327. ſq.
XL, 6-8. IV, 592.
JES. XLIV, 5. 232.

LI, 1. 2. IV, 190.
LII, 8. 9. 10. IV, 755.
LIII, 4. 5. 1088. sq.
LIII, 11. 12. IV, 156.
LIV, 207.
LXIII, 4. 261. sq.
LXIII, 1-6. IV, 755.
LXIV, 6. 312.
LXV, 24. 863.
LXVI, 3. 10. 15. 16. 556. 837. 1027.
Jerem. III, 3. 71.
VII, 31. 837.
XV, 11. 12. 812.
XVII, 11. 542.
XVIII, 23. IV, 719. sq.
XIX, 6. sq. 837.
L, 28. 212.
EZECH. I, 10. 746. sq.
EZECH. XVI, 8. 9. 10. IV, 1026. 1034. 1037. sq.
XIX, 10. 259.
XX, 25. 26. IV, 590.
XXIV, 21. IV, 623.
XLIII, 15. 16. 337. sq.
Dan. II, 36. 817.
III, 8. 565.
V, 8 & 25. 222. 816.
DAN. VII, 804. sq. IV, 754.
VIII, 1314. 1000. sq.
IX, 27. 628. 653. 994. sq. 1008.
XI, 31. 994.

DAN. XII, 11. 628. 992. sq. 1003. sq.
Hos. I, 2. IV, 297.
VI, 3. 72.
XIV, 6. 7. IV, 756.
Joel. III, 3. 444.
Amos. VI, 4. 309.
VII, 1. 69.
Mich. VII, 2. 662.
Nahum. III, 6. 633.
Hab. II, 17. 865.
III, 18. IV, 608.
Zach. III, 9. IV, 595.
IX, 9. 1091.
IX, 14. IV, 1029.
XIV, 12. 841. sq.
Mal. IV, 2. 1017. sq.
MATTH. I, 5. 19. 439. sq. 447.
II, 2. 8 9. 212. 448.
MATTH. III, 9. IV, 186.
III, 11. IV, 1022.
IV, 5. IV, 182.
IV, 6. 861.
V, 20. IV, 594.
V, 28. IV, 182.
V, 48. IV, 987.
VI, 28. IV, 796.
VI, 30. IV, 184.
VIII, 8. IV, 182.
MATTH. VIII, 11. 1071. sq.
IX, 25. 38. 723. 251.
X, 22. 225.

X, 23. IV, 971.
XI, 21. IV, 594.
XI, 23. 356.
XI, 28. 74.
XVI, 18. IV, 584. IV, 182.
XIX, 16. 17. IV, 1080.
XIX, 20. IV, 977.
XXI, 15. IV, 182.
XXI, 41. IV, 790.
XXIII, 23. IV, 184.
MATTH. XXIV, 15. 16. 625. sq. 990. sq.
XXVI, 6. 7. IV, 892. sqq.
XXVI, 24. IV, 16.
XXVII, 28. 306. 312.
XXVIII, 8. 710.
XXVIII, 25. IV, 183.
Marc. V, 42. 723.
VII, 3. IV, 346.
VIII, 35. 225.
X, 17, 18. IV, 1080.
XIII, 14. 657. sqq.
XIV, 3. IV, 892.
XV, 17. 20. 306.
LUC. I, 3. IV, 492. sqq.
I, 64. IV, 185.
LUC. II, 14. 189. sq.
II, 19. IV, 182.
IV, 22. 74.
VI, 40. IV, 975.
VII, 14. 15. 723.
VII, 25. 306.

VII, 37. 38. IV, 892.
VIII, 18. IV, 187.
XII, 7. 245.
XIII, 7. IV, 350.
XIII, 34. IV, 342.
LUC. XV, 22. 938. sqq.
XVI, 19. 306. 311.
XVIII, 7. IV, 185.
XVIII, 18. IV, 1080.
XIX, 40. IV, 189.
XXI, 4. 227.
XXI, 20. 650. 1034.
LUC. XXIII, 2. & 43. 192. sq. & 193.
XXIV, 39. 40. 199. 651.
Joh. I, 29. IV, 156.
XI. 11. 716.
XII, 3. IV, 892.
XIII, 10. IV, 183.
XX, 23. IV, 869.
JOH. XX, 24--27. 197. sq.
XXI, 5. IV, 344.
XXI, 25. IV, 184.
ACTOR. I, 1. IV, 498. sqq.
ACT. II, 5. 662. sq.
V, 34. IV, 1059.
V, 41. 225.
ACT. VI, 5. 519. sq.
VII, 60. IV, 183.
XI, 18. IV, 285.
XII, 13. IV, 1075.
XV, 38. IV, 356.

XVI, 14. 276.
XVII, 19. 20. IV, 530.
ACT. XVII, 28. 473. sq.
XIX, 25. IV, 352.
XXVI, 13. IV, 342.
XXVIII, 12. IV, 338.
XXVIII, 12. IV, 358.
ROM. I, 4. IV, 281.
I, 17. IV, 284.
I, 28. IV, 726. sqq.
II, 5. IV, 121.
III, 23. IV, 336.
V, 7. IV, 285.
VI, 7. IV, 290.
VII, 5. IV, 471.
VIII, 26. IV, 477.
X, 6. 7. IV, 291.
XI, 15. IV, 293.
XII, 1. 237.
ROM. XIII, 14. IV, 361. sqq.
XIII, 20. IV, 127.
XVI, 25. sqq. IV, 294.
1 Cor. I, 30. IV, 366.
1 COR. II, 6. IV, 960. sqq.
VI, 18. 20. 449.
X, 2. 3. 1130. IV, 1024. 1043.
XIII, 9. IV, 989.
XIII, 11. 12. IV, 962. sqq.
XIII, 12. IV, 786.
XV, 48. 755.
2 Cor. II, 15. 224.

III, 6. IV, 778.
IV, 10. 212. 225.
IV, 12. IV, 472.
VII, 1. IV, 1021.
XII, 9. 850.
Gal. III, 5. 1078.
GAL. III, 27. IV, 360. sqq. 1007. sqq.
IV, 1078. sqq.
VI, 17. 212. 757.
EPHES. II, 14. 15. 199. sq. 246. sq.
II, 15. IV, 355.
III, 1. 212.
III, 20. IV, 474.
EPHES. IV, 3. 10. & 21. 969. sq. 972. sq. 974. sq.
EPHES. IV, 13. IV. 781. 973.
V, 8. IV, 995.
EPHES. VI, 24. 976. 240. sq.
PHIL. I, 21. 22. 23. 977. 982.
II, 30. 224.
III, 15. IV, 974. 977.
PHIL. III, 20. 977. sq.
COL. I, 24. 210. sq. 218. sq. 753. sqq.
I, 28. IV, 976. 961.
COL. II, 14. 15. 201. sq. IV, 591.
III, 11. 191.
IV, 12. IV, 978.
1 Thess. II, 13. IV, 473.
2 Thess. II, 3. 4. 817.
III, 10. 227.
1 TIM. VI, 20. 986. sq.

2 Tim. I, 8. 224.
III, 17. IV, 975.
2 TIM. IV, 6. 980. sq.
1 Petr. I, 9. IV, 782.
II, 9. 212.
1 PETR. II, 24. IV, 154.
V, 13. 225.
2 Petr. III, 8. 9. 781.
Hebr. IV, 1. 228.
VII, 3. IV, 792.
VIII, 2. 5. 1086.
X, 20. 248.
HEBR. XI, 3. IV, 21. sqq.
XI, 26, 225.
XI, 37. IV, 354.
XI, 39. 40. IV, 963.
XII, 15. 228.
HEBR. XII, 23. 204. sq. 229. IV, 961.
XIII, 13. 225.
1 Joh. II, 15. 16. IV, 625.
1 JOH. II, 20. IV, 991.
1 Joh. III, 2. IV, 787.
1 JOH. IV, 4. IV, 981.
1 JOH. IV, 13. IV, 663.
IV, 17. 18. IV, 986.
Jac. I, 4. IV, 976. 978.
II, 8. IV, 988.
JAC. II, 20. 988. sq.
JAC. V, 16. IV, 457.
Judæ 3. 139. IV, 341.
9. IV, 594.

Apoc. I, 5. 6. IV, 1016.
I, 9. 753.
II, 7 11. 17. 26. IV, 696.
APOC. II, 13. 94. sq. 104. sq.
II, 17. 102. 103.
APOC. III, 4. 253. sq.
III, 5. 12. 21. IV, 606. sq.
APOC. IV, 5. 747. sq.
V, 5. IV, 609.
IX, 4. 874.
X, 1. IV, 1038.
XIII, 5. 6. 7. 8. 818. sq.
APOC. XIII, 18. 259. 748. 818.
XIV, 10. 20. 257. 835.
XV, 2. IV, 610.
Apoc. XVII, 7. 305.
XVIII, 4. & 16. 311.
XIX, 16. 258.
XIX, 20. 842.
XXI, 2. 3. 1086.

## E.

# Index *quintus* vocum Græcæ & aliarum linguarum explicatarum, ut & materiarum & Virorum.

ABbadie. 1139.
*Abicht.* J. G. 441.
Ἀβονοτειχείων nummi, 121.
Abra-

Abrahami, Isaaci & Jacobi accubitus, 1076. sqq.
ABSOLUTIO PRIVATA, IV, 853.
Abyssus Oceani, IV, 833. sq.
Accersere unde? 547.
Accubitus ad mensam, 1073.
Achasi horologium, IV, 636.
*Achenbachius* Car. Conrad. 946.
Achor vallis, 752.
Acquisitio, IV, 352.
Αδοκιμος νους, IV, 726.
Aegrotavit nunquam Christus, IV, 883. sqq.
Aegyptus dicitur Pellaea, IV, 737. Lagea. IV, 740.
*Aemilius* Rob. 1141.
Aesculapius. 94. sq. σωτηρ appellatur, 96. & 116. sq. sedes ejus, 105. & 123. sq. resuscitatio mortuorum ei convenit, 100. Aqua ei sacra, 96. 98. opponitur Christo, 98. 99. 115. 273. sq. sedet in throno, 123. colitur à Pergamenis, 105. Pergameus & Pergamenus dictus, 107. in nummis Pergamenorum, 107. Serpens ei Sacer, 118.
Aeternitas quomodo exprimatur Judæis, 966.
Αγαλμα αποτροπαιον, 6.
Αγαθος est beneficus, IV. 287.
Αγιαζειν, est καθαιζειν, IV, 1020.
Αγιος τοπος notat Judæam, 658. templum 1029. sq.
Αγονιζεσθαι, 239. Agonistica sacra, 239. IV, 614. sqq.
Αγορα, 554.
Αιμα notat vinum, 257.
Ala significat veritatem & potentiam Dei, 853. Alæ symbolum protectionis & præsidii, 1011. IV, 1035. sqq. Schechinæ tribuuntur, 1014. IV, 1036. sub emblemate alarum Deus occurrit, 1013. IV, 1031. sq. figura nubis cum alis convenit, 1016. Gentiles Diis alas appinxerunt, 1018. Alæ binæ, 1021. sq. alatum ovum Aegyptiorum, 1023. ala abominationum, 1026. alæ vestium sunt fimbriæ, IV, 1034. alam revelare Ib.
Albertus Cardinalis, IV, 929. sqq. 932.
Albus color oppositus purpureo 305. sq. albus & rubicundus color, 308. sqq. albus color symbolum sanctitatis, 311. sq. 867. felicitatis & status glorioſi

rioſi ſymbolum, 867.
Alcoranus quid notet? 547. 551.
*Aleander* Hieronymus, IV, 925. 926.
Alexandria patria fuit Theophili IV, 1012. Alexandriæ multi Judæi, IV, 1073. Alexandriæ num Lucas Evangelium ſcripſerit, IV, 733. vocatur Macedonica Civitas, IV, 736. Pellæa IV, 740. Lagea, IV, 741. Emathia, IV, 742. Alexandria Troados IV, 748. Alexandria Aegypti magna dicta, IV, 749. fuit maxima, IV, 751.
Alexander epiſcopus Alexandriæ. De die ejus obitus, IV, 235.
*Alleen* Joſeph. 182.
*Almeloveen*, Theod. Janſſonius ab. 230. 1123. ſq.
*Alphen* Hieron. Simons van 161.
*Alſtedius* Joh. Henr. IV, 997.
*Alticincti*, 939.
*Altingius* Jac. 558.
*Altmannus* Georgius 361.
Ἀμητωρ IV, 493.
Ἀνα quid in compoſitione notet 221. 757.
Ἀναλυσις 980. ἀναλυσαι 980. 983.
Ἀναπληρων 220. 757.
Ἀναςκευαζω IV, 769.
*Ancillon* 77.
*Andala*. Ruardus 1136. IV, 400. 588. ſqq.
Anglicanæ Eccleſiæ convenit cum Reformatis 397. Angli curant Eccleſias Germanicas 395. ſq. Angliæ motus ſub Carolo I. IV, 685.
Angelorum corpora 397.
*Anholt* Urbs IV, 67.
Animæ Analogia cum corpore 744.
Annulo donari 938. ſq. annulus aureus honoratiorum 939. manumiſſorum 941. ferreus ſervorum 940.
Ἀνταναπληρων 214. ſqq. 220. 756. ſq.
Ἀντι in compoſitione vicem indicat 221.
Antiochia dicta Theophilis & Theopolis IV, 1051.
Antichriſti regnum per beſtiam decicornem deſignatur 821. ſq.
Antilibanus 871. ſq.
Antipas 122. ſq.
Ἀπατωρ 882. IV, 493.
Ἀπεκδυειν 203.
Ἀφωμοιωμενος 884.
Ἀφθαρσια notat glorioſum Chriſti ſtatum. 976.

Apo-

Apocalypticus numerus 748.
Apocalypsis explicata IV, 596.
Ἀποβολη IV, 293.
Ἀπογινεσθαι IV, 165.
Ἀποκενωσαι IV, 769.
Apologia Christianæ Relligionis IV. 503. 504.
APOLLONIVS *Tyanæus*, ejusque imagines teleſticæ 2. ſqq. itinera 6. ſq.
Ἀποσκευασασθαι IV, 770.
Aqua putei Æſculapii 96. Aqua ſacra 98. ſq. ſymbolum exercitus 783. ſymbolum Judiciorum 782. aqua ut veſtis conſideratur IV, 1039.
Aquila in ἀποθεωσει evolans 433. Aquila ſignum militare 646. ſqq.
Aquiliferi 645.
Arabica Verſio N. T. IV, 711. Arabica Lingua IV, 713.
Arabarchæ Alexandrini IV, 1076.
Arca Chriſtum refert 1128. arcæ tegumentum 1126.
*Arceſſere* 547.
Argentinenſis Eccleſia IV, 919.
Ἀργειν IV, 351.
*Ariel* notat arcem Zionis 334. ſq. 343. ſqq. nomen loci 341.
Arielitis 341.
Arion IV, 578.
Ἀρειος IV, 492. ſqq.
*Arminius* Jacobus 384. IV, 400.
Armiluſtrium 235.
Armorum nitor 238.
Arriani in Polonia 684. 695.
Articuli fundamentales 914. ſqq.
Ἀρποι IV, 975.
Arx Zion 334.
Aſia proprie dicta 666.
Ἀσπαρχαι 113.
Ἀσκληπιειον. Ἀσκληπιον 106.
*Aſininum* Caput in cultu Chriſtianorum & Judæorum 1061. ſqq.
Aſphaltites Lacus 835.
Aſylum Pergami 94. 106.
ATHANASIUS num baptizarit pueros IV, 222. quo anno Epiſcopus factus IV, 223. quo anno obierit IV, 248. ſqq.
Athletæ Chriſtiani IV, 977. ſqq. ita vocabant viros bonos IV, 979.
Auceps vocatur diabolus 852.
*Aves* quadrupedes 43. à ſono dictæ 541. avis pro gallina IV, 342
Audientes IV. 520
Auguſtanæ confeſſionis ſocii Reformati 142.

*Augustus* à Pergamenis cultus 110. sq. ἀυγκρεια 111.
Aurora crocea 295.
*Aureum* pro eo quod pulchrum est 250. aurum est rubrum 284. aureus annulus 94.
*Auri* ubi maxima copia 955.
Ἀξιοω id est peto IV, 357.
Ἀξιωσις IV, 358.

Bacchantium vestis purpura 282.
Badense colloquium IV. 322.
Βαπτα ἱματια 299.
Baptismus in cultu Mithræ IV. 1013. Baptismus Proselytorum IV, 1041. Baptismus in Mosen IV. 1044. Baptismus non natorum IV, 91. Baptismus infantum Pontificiorum IV. 173. Baptismus *Athanasii* IV. 222. Baptismus Pontificiorum an legitimus IV, 917. Baptizati in nube & mari 1130. IV. 1022. sqq. IV. 1024. Baptizati ungebantur IV, 1001. Baptizari qui debeant IV, 169. sq. Baptizare num liceat in domibus IV, 916. De Baptizatis Christum indutis IV, 1007. sqq. dicti Τελεσθεντες IV, 966.
*Bar Bahlul* IV, 1053. 1069. 1070.
*Barckhuisen* Joh. Conr. 171. 376.
Barnabæ Euangelium 896. sq.
*Barrovv* Isaak 178. 1143.
Basara vestis Lydia 281.
*Bashuysen* Jac. van 173. 951. 1133.
Basiliensis Ecclesiæ *Antistites* 510. 511. *Basiliensium* ad *Arch.* Cant. responsio 407. sq. Basiliensibus scribit Clemens VIII. P. IV. 945.
Βασιλικος νομος 988.
S. Basilius IV, 258.
*Basnagius*. Sam. 1138.
Bassarides 283. Βασσαρεις 285.
Batavia urbs Indiæ Orientalis 95.
*Bayers* J. Wilh. 179.
ΒΔΕΛΥΓΜΑ ΕΡΗΜΩΣΕΩΣ 628. unde derivetur 634. quid per βδελυγμα intelligatur 1029. sqq. βδελυγμα est ipse exercitus Romanus 643. 649. sq.
*Beausobre* 376.
*Becmannus* J. C. IV, 86.
Βελτιος IV, 493.
*Bergius* Joh. IV. 683.
*Bergier* Gabriel IV. 681.

*BERUS* Ludov. 210. IV. 312.
*Berus* Osvaldus IV. 313.
*Berus* Johannes IV. 313.
Beſtiæ Danielis & *Apocalypticæ* 804. ſqq.
*Beza* Theod. IV. 331.
Biblia Wiclefi IV. 1088.
Βιβλος pro libro legum 1006.
*BIEL* Joh. Chriſt. 276. 661. ſq.
Binetus Martyr 381.
*Bochat* Guill. Louys de. IV. 681.
*Bolkius* Barth. 368.
Boni qui apud Judæos IV. 1077. 1078. Bonus idem eſt ac beneficus IV, 287.
Bozra 285.
Brachia ſuper deſertores ſtantia 995.
*Brand* Petrus 230.
Bremenſe Miniſterium contra Detrium 181.
Bremenſis mulier miraculoſe ſanata 620. IV, 1093.
*Brett* Th. IV, 195.
BREINTINGERUS Joh. Jac. 574. ſq. IV, 451.
BRUIN Claes. 1140.
Beicht IV, 883 ſqq.
Beicht-Pfenning IV, 865.
*Bucerus* Mart. 1101. ſq. an mutarit ſententiam de S. cœna 1099. 1102. IV, 917.
*Bugenhagius* Joh. IV, 918.
*Bullingerus* Henr. 185. 1092. 1095. ſq.
*Burchardus* Hieronymus 425. ſq. 509. 511.
BURMANNI Franciſci vita 763. ſqq. 378.
*Burnett* Thomas IV, 197. ejus ſententia de diluvio refutatur IV, 840.
*Buxtorfius* Joh. IV, 591.

CAduceus 970.
Cairo 552.
Calamitas vitæ 789.
Calare. Calatores 568.
*Calandrinus* Benedictus IV, 299.
Calculus albus 102.
Calceis donari 938. ſq.
*Calmetius* Auguſtinus IV, 403.
Calvities cur prohibita IV, 177.
Candidati IV, 1043.
*Capellus* Lud. 643. ſq.
Capillus cum pyxide gemmata. 106. Capilli Criſpi. 243. Capilli Chriſti 243. Capillorum Nigredo. 244.
*Capito* Wolffg. Fabr. IV. 911. 913. 918. 920. 929. 931.
Caput aſininum num coluerint Judæi 1061. ſqq.
Cares utebantur purpura, 300.
Caro notat hominem. IV. 1124.

*Carolina* Walliae princeps. IV, 376.
Carolus I. Rex. M. Brit. IV, 412.
Carolus M. IV, 417.
Carpus quid Anatomicis sit? 45. Carpere. 45.
Carthago unde dicta. 552.
Castores IV. 339.
Catechumeni. IV. 520.
Cataractæ cœli sunt nubes. IV. 832.
Caupa. 445.
Caupona. 442.
Cedri. 872. 873.
Census datur Cæsari. 129. sq.
Ceremoniæ Papistarum. IV. 877.
Certamen fidelium. IV. 614. sqq.
Charitas virtus maxima IV. 987.
*Charnock* Steph. 178.
Χεραν 546.
Χρεμιζειν. 544.
Chirihha 532.
Christus de peccatricibus natus. 458. Mortis hora unde innotuerit. 194. sq. Christi passiones sunt passiones fidelium. 211. sqq. 223. cum Aesculapio comparatus. 98. 99. 274. Christus quomodo induatur IV, 362. quomodo sit sanctificatio nostra. IV. 368. an ægrotaverit IV. 883. nullo laboravit corporis vitio IV. 886. de variis ejus unctionibus IV. 888. sq. ejus tria officia IV. 900,
Christiani primæ dignitatis IV. 526. sciunt omnia: IV, 991. sq. iis objecta ignorantia, IV, 993.
Christiana Religio superstitio dicta IV, 528. sq.
Chronicon Orientale IV, 237.
Chuppa IV, 1032.
Circumsonor. IV, 521.
Circumfulgere IV, 344.
Cl. notat sonum & congregationem 562. sq.
Clamare 567.
Clangere 567.
*Claromontius* Godofredus IV, 403.
*Clarenbachius* Adolphus IV, 76.
*Classenius* Sigfridus, IV, 399.
Clavium potestas IV, 855.
*Claubergii* Joh. opus Etymologicum 528.
*Clemens* VIII, Papa IV, 945.
*Clericus* Joh. Petrus IV, 677.
Cluere 567.
Cneph idolum 1015. sq.
Coa purpura 301. Coae vestes 301.
Cœlos quomodo transierit Christus 972. sq. cœlum

lum patria hominum 919.
Cohors 553.
Colloquium Badenſe IV, 322.
Colonienſes Theologi. 1097.
Color niger in Capillis. 244. purpureus 256. ſq. color adventitius 260. color albus 304.
Columba ex corpore Polycarpi 429. ſq. è ſandapila evolans 434. Veneri ſacra 434. columbas vendere in electionibus Epiſcoporum quid ſit 437.
Columna nubis & ignis an ſtillarit aquas 1129. IV. 1022. ſq. in illa Deus dedit legem IV. 1028. ſqq. ambiebat populum IV, 1029.
Columna N. & J. erat inſtar veſtis IV, 1032. illi tribuuntur alæ IV, 1033. eâ baptizati ſunt Iſraelitæ IV, 1039. eaque induti Judæi IV, 1033. ſqq. erat inſtar tabernaculi IV, 1031.
Compenſationes rerum & temporis apud Judæos. 219. 220.
Concordia Eccieſiaſtica 397. 409. 422. 426. IV, 277. 905. 907. 908. concordia Wittenbergenſis IV, 906.
Conficere pro perficere 241.
Confectores 240.
Confeſſio privata IV, 853. ſqq.
Congruere 541.
Conſenſus formula apud Helveticos 405. IV, 278.
Conſentes Dii 124. ſq.
*Conſtantius* David IV, 675.
Controverſiæ quomodo tractandæ IV, 536.
Convivium ſymbolum Oeconomiæ N. T. 1075.
*Crollius* Joh. Phil. IV, 312.
Cornix 543.
Cornua decem beſtiæ 821. cornu parvum. 810. 821. ſq.
Corpus pro collegio 249. corporis analogia cum ſpiritu 744.
Cors 553.
Cortinæ tabernaculi. 1125. ſ.
Corvus 542. Corvi Eliae nutritores: IV, 296.
Corybantum ſacra 124. ſq.
*Coſinus* Joh. 1137.
Crin vocibus ſonum & congregationem indicant 543. ſq.
Creare 547. creatio rerum adſtruitur IV, 24. creatio quid ſit IV, 27.
*Cremer* Bernh. Sebaſt. IV, 175.
Criſpi capilli 243.
Croceus color 291. crocus in

in Lydia & Tmolo 291. croceae veſtes 295. crocea aurora 295.
*Croeſi* veſtitus. 291.
*Crommelin* Petrus IV, 311.
Cromvvellus IV, 697. ſqq.
*Croze* la III. 1.
*Crouzas* Jean Pierre de IV. 678.
Richardus *Cumberland* IV. 1090.
Curia unde dicta ſit 552. ſq.
Curio 547.
Curtis 553.
Currus Ezechielis 746. ſq.
Cymbala IV, 575.
*Cyprianus* Joh. IV, 584.
Cyrus num figuratus ſit inter beſtias Danielis 808. ſq.

DÆmones in aëre 240.
Δακτυλιον 940.
*Dallæus* Joh. IV, 758. 1089.
*Damis* 6.
*Dapples* Jean Pierre IV, 681.
*Danzius* J. Andr. IV, 1041.
Decalogum dedit Dei Filius è columnâ N. & J. IV, 1029.
Decimæ, quid de iis Lutherus ſenſerit IV, 913.
Δεησις IV, 457. ſq.
Delphines φιλομεσοι. IV, 577.
Dentes ferrei 821.
Deprecari i. e. petere IV, 358. 463.
Deſcenſus Chriſti ad inferos IV, 90.
Δεσμιος χριστ 212.
Deſolationis ſignum 637. ſq.
*Detry* Pet. Fridr. 181. 182.
Deucalionis Lapides IV, 191.
Deus patrius 94. Deus Pergameus 107. ſq. Deus propitius Judæis 207. ſq. Deus quomodo ſit omnium 207. ſq. an ſit cauſa rerum omnium immanens 473. ſqq. Dei vir 771. Deus hoſtis infidelium IV, 614. Deum videre IV, 786. ſqq.
*Deuſingius* Herm. 769. 849. ſq.
DIACONI SEPTEM 519. ſq.
Dianæ Templum 130. ſq.
Διανοησαι IV, 559.
Dies mali IV, 121. 122. Dies boni IV, 122. dies pro die judicii IV, 122.
*Diecmannus* Joh. IV, 408. ſqq.
Δικαιον 978. IV, 286. 290. 464.
Diluvium IV, 798. ſqq.
Διοσκυροι IV, 339.

Di-

Discipuli dicti ἑταῖροι IV, 496.
Disciplina Ecclesiastica IV, 856. sqq.
Dissidentes in regno Poloniæ 678.
*Ditton* Humphry 1143.
Divinitas Christi in passione 196.
Δογμα est decretum IV, 355.
Δοκειν IV, 187.
Dolores Messiæ 229.
Dom vel Thumb unde derivetur 435. sqq.
Dominicum 531.
*Dominus* 28.
DORDRACENAE Synodi memoriam celebrant Lugdunenses 513. sq. ejus historia 574. IV, 417. sqq.
Δοξα pro imagine IV, 337.
Dracones V. serpentes.
*Drakenburgius* Arnoldus 170. 377.
*Drelincourt* 1139.
*Dubordieu* Joh. Arm. IV, 397.
*Duker* Car. Andr. 170.
*Duraeus* Joh. IV, 683.
*Dycke* Dan. 176.

E Bionitæ 900. sqq.
Ebion IV, 48.
Ebræa lingua antiquissima & mater reliquarum. 570.
*Eccardus* J. G. 525.
*Eccius* Joh. IV, 924. 925.
Ecclesiæ Symbolum Libanus 873. sqq. Ecclesiastica unio, vide Unio.
*Eck* Corn. van 166.
*Edwards* Joh. 180.
*Edzardus* Sebast. 133. IV, 1096.
Ἐγγαστριμυθος 345. sq.
*Egranus* Joh. IV, 923.
Εἰρεσιωνη 971.
Εἰρηνη unde dicatur 969.
Ἐκβαλλειν 251.
Electa nomen proprium IV, 488.
Ἡλικια IV, 781. sq.
*Elsnerus* Jac. 380. 753. sq. 938. IV, 48. 1092.
Emanatio rerum ex Deo IV, 669.
Emdensis ecclesia IV, 1094.
Emathia dicta Alexandria IV, 742.
*Empiricus* sextus IV, 1085.
Encyclopaedia Biblica IV, 997.
Endoreum spectrum 348. sqq.
Ἐνδυσασθαι IV, 362. sqq.
Ἐνεργεια 202.
Ἐνεργουμενος IV. 466. sqq. passive explicandum IV. 469.
Ἐνεργεισθαι IV. 471. sqq.

Ener-

Energumeni IV. 476.
*Engelſchall* Car. Godofr. IV. 289.
*Ens* Ioh. 378. IV. 401.
Ἐνπορια IV. 352.
Ἐπαγωνιζεσθαι 238. ſq.
Ἐπαγωνισασθαι IV. 341.
Epheſus, Smyrna, Pergamus conjunguntur 129. ſ. Epheſus cur primum locum occupet 130. ſq.
Ἐφεδροι 755.
Ἐπι IV. 242.
Ἐπιθυμειν IV. 182.
Epiſtolæ feſtales & paſchales IV, 257.
Epidaurius ſerpens. 121.
Ἐπιστατα. 114.
Ἐποπτευειν. IV, 955.
*Erasmus* Deſiderius IV, 320. 325. ejus ſententia de cœna Domini 186. de libero arbitrio. 210.
Eſaiæ vaticinii titulus. 329. illius ordo rejectus. 330.
*Esgers* Joh. 1133.
Ἑταιροι dicti Diſcipuli. IV, 496.
Ἑταιρα notat meretrices. 446.
Etymologiæ ſtudium laudandum. 527. cautè tractandum. ib.
Evamerion. 109.
Euangelium Lucæ, vide Lucas.
Euangelium Barnabæ 896. ſeq.
Euchariſtia, de illa ſententia Eraſmi 185. qui de ea ſcripſerunt. 377. Oecolampadii & Reformatorum 1093. ſqq.
Encharisticæ lites earumque cauſæ IV, 538. ſqq.
Ἐυλαβης 662. 1099.
Externa ſuperſtitio. IV, 528. ſq.
Ἐξηρτισμενω IV, 975.
Ἡξιε IV, 357.

*Fabricius* Franc. 513. 1135.
*Fabricius* Joh. Alber. 209. IV, 748.
FABRICII Theodori Vita IV, 65. ſqq.
Fabulis non omnia adſcribenda IV, 35. fabula quid IV, 49. notat narrationem IV, 937.
Facies Dei IV, 9.
Facere eſt punire IV, 720.
*Faeſi* Joh. H. 506.
Albertus zum *Felde* IV, 1092.
Fides quomodo cognoſcat creationem IV, 21. ſqq.
Filii dicuntur diſcipuli IV, 110. filii pro filiabus IV, 723.
*Fliſted* Petrus à IV. 76.
Fontes abyſſi IV, 935.

For-

Formula consensus Helvetica 405. IV, 278.
*Fort* Amadeus le IV, 299.
Francofurti num Reformati jus templi habeant 132. sqq.
*Franzius* David IV, 168.
*Friesi* Joh. Henr. 508.
*Fruytier* Jacobus IV, 401.
Fundamentales articuli 914. sqq.

*Gagnier* Joh. IV, 375.
Galea salutis 242.
Galli cantus 540. sq.
Gallinæ comparatur Messias 559. Gallinæ dicuntur aves κατ' ἐξοχην IV, 343.
*Gaukes* Yvo 581. f. IV. 798.
*Gautier* Joh. Ant. IV, 309.
Γαυναξη 279.
*Geierus* 995.
Generatio filii Dei 960. sqq.
Genevæ Jubilæum celebratur 505. Genevensium responsio ad Arch. Cantuar. 418. sq. GENEVENSIS ACADEMIA IV, 299. Genevensis historia IV, 310.
Genitivus notat causam finalem, propter quam aliquid fit 212.
Gentes vocandæ 1077. sq.
Genus Dei sunt homines 490. seq.
Georgius Rex Britanniæ 397. 759.
*Gernler* Joh. Hen. 511.
*Gernler* Lucas 511.
Gloria Dei quomodo videri possit IV, 5.
Gluckhenne 569.
Gnostici IV, 996.
*Goad* Th. IV. 195.
Göre vel Görre 550.
Gr. sæpe occurrit in vocibus sonum indicantibus 543.
*Grabe* Ioh. Ern. 1135.
Gramen notat lanam. 68.
Γραμμα notat legem IV, 778.
Granum, granarium 554.
Gratiæ Universalis dogma 398.
Grep Suecorum 45.
*Grimmius* Frid. 376.
*Gronovius* Iacobus 199.
Γρυζειν 544.
Grus 541. sq.
*Grynæus* Joh. Jac. 384. sq. 510.
Γυμνος dicitur, qui vestem exteriorem non habet 639.
*Gundermanni* Christoph. Urpheda 389.

*Hales* John. IV, 194.
*Halma* Franc. 1140.
*Hammius* Joh. 367
Haranguer. 550.
Haran vel Hareni, e. clamitare 550.

*Hardenbergius* Alb. 183.
*Harkenroth* J. Isbr. 1144. IV, 1094.
*Haſaeus* Theod. 182 272. 326. 537. ſq. 104. ſqq. 218. 1044. 1017. IV, 129. 506. 757. ſq. 1027.
*Haſaeus* Jacobus 253. 1036. IV, 1048. IV, 328. ſqq. 732. ſqq.
Haſſia literata IV, 1090.
*Haverkampius* Sigebertus IV. 400. 1081.
*Haumannus* 376.
*Hazevoet*, S. 1141.
*Heideggerus* Joh. Jac. 507.
*Heinius* Joh. Phil. 1036.
*Heineccius* Joh. Mich. IV. 527.
Helveticæ Eccleſiæ 398. 401. ſq. Helvetii celebrant Jubilæum Reformationis 493. ſqq. Helvetica confeſſio IV, 917.
Helvetiis ſcribit Regina Sueciæ IV. 273. Lutherus IV, 273. 383. 935.
Hercules veſtitus purpura 279.
*Heumannus* Chriſt. Aug. 429. ſq. 316. 378. IV, 281. 34. ſqq. 108. ſqq. 506. 935. 991. ſq.
*Heyde* van der IV. 401.
Hieroglyphicum Lexicon IV, 1086.
Hieroſolymæ cur congregati Judæi 669. ſq. Hieroſ. urbs ſancta 719.
Hinnom vallis 836. ſq.
Hippolytus excitatus ab Æſculapio 100.
*Hoadly* Benjamin 1138. IV. 194.
*Hofmeiſter* Ioh. Caſp. 503. 509.
*Homberg* Io. Frid. 627.
Homo dicitur populus Iſraeliticus 775.
*Honert* Taco Hajo. 513.
*Horchius* Henr. 172. 742.
Horologium *Achazi* IV. 636. horologia quomodo inventa IV. 645.
Hoſeæ *Uxor* IV. 297.
Hoſtes fidelium IV. 614.
*Hottingerus* Ioh. Iac. J. J. F. IV. 183.
*Hottingerus* Ioh. Iac. 502. 504. 509. IV. 417. 1083. Conradus IV. 1083.
*Hulſius* Henr. IV. 130.
Hungarica perſecutio 394.
Huſſitæ 794.
Hygeiæ Deæ cultus 122.
Hypaepae 289.

*Jablonski* Dan. Ern. 174
*Jallebert* Eſtienne IV. 310.
*Jameſon* Gulielmus. IV. 399.
*Janſonius* Ioh. 382. 1142.
Ideæ innatæ IV. 135. ſqq.
Idololatria ſub templo ſecundo 1026.

Idu-

Idumæa dicta à rubedine 286.
*Jebb* Sam. 1133.
Jedidia, Jedidaeus IV. 513. 1077.
Ἱεροπομποι 675. sq.
JEZLERUS Ioh. IV. 540.
Ignis in terra IV. 802.
Ignatii epistolæ IV. 64. 943.
Ignorantia Christianis objecta IV. 993.
*Ikenius* Conradus 946.
Imagines telesticæ 3. sqq.
Imaginarii 645. Imagines non habuerunt *Judæi* 1056. imagines Imperatorum inter signa militaria 644.
Ἱμαλιον pro veste exteriori 639.
Imber 782. Imbris origo 817.
Immanuel IV. 1087.
Indui aqua IV. 1039. nube IV. 1032. Induere Christum IV, 361. s. Indui de variis rebus dicitur. IV. 363. sq. Indutio, vide vestes.
Infantes dicti *Judæi*, IV, 962. 973.
Inficere i. e. tingere purpura 259.
Initiati; IV. 954.
Innocentius III. Papa IV. 867.
Inquinare 268. inquinata vestimenta. 225.
Inundatio symbolum judiciorum 782. 783.
JOHANNES APOSTOLUS num in oleum fervens conjectus. 316. sqq. IV, 34. sqq. 937. sqq.
JOSUA Solem & Lunam sistit IV. 658.
Josephi editio IV. 1081. 1082.
Iræ dissimulatio IV; 115.
Irenicum scriptum 909. sqq.
Iridis color purpureus 291.
Ἰσχυειν 479.
*Iselius* Joh. Christ. IV. 198. IV. 312.
*Isingius* Menso IV. 598.
*Ittigius* Thomas 229.
JUBILAEUM REFORMATIONIS apud Helvetios 493. sqq.
Judex παντων 207. Judices dicuntur Reges IV. 134.
Judæi resuscitationem in diebus Messiæ exspectabant 728. sq. Judæo pingere Deum in imagine licitum non erat 1056. Judæus illusit Christo & Libris N. Testamenti. 1066. habitarunt in tribus orbis partibus 669. *Judæi* ad Christū conversi IV. 1065. 1066. 1071.
*Junius* Franc. defensus 369. sq.

Jupiter φιλιος 109.
Juſti pro injuſto ſubſtitutio 1087. ſq. Juſtus quomodo quis dicatur IV. 286. 290. 464.
Juſtitia Chriſti veſtis eſt IV. 366.

Και copula 190. ſq.
Καινοι λογοι 20.
Καιρος ἀναψυξεως 211.
Κακοι κακως IV. 790.
*Kalckhofius* Ioh. Chriſt. IV. 1089.
Καλεω 566.
Kallen 569.
*Karlius* Bernh. Pet. 804. ſqq. IV. 635.
Καταλειπεσθαι 228.
Καταργησας 248. ſq.
Καταργειν IV. 351.
Καταρτιζειν IV. 29.
Κατηχεισθαι IV. 502. ſqq. 519. ſqq. 1061. ſqq.
Κατοικειν commorari. 677.
Καυνακαι 297.
*Keach* B. 178.
*Kelderman* Ioh. Reinh. IV. 167.
Κηρυκειον 970.
*Kidder* Richard. IV. 197. 492. ſqq. 523. ſqq.
Kirche unde derivetur 521. ſq. 571. ſq.
*Kirchmeyerus* Chriſt. 377.
Klaffen 569.
Κλαγγειν 567.
Klopffen 569.
Kloenen / 569.
*Knauths* Theod. 176.
Κνηφ ſeu Cnephis Aegyptiorum idolum 1019.
Κοιμασθαι ſignificat mori 716. ſq.
Κοινοβιλια 113.
Κολπος Eccleſiæ 570.
*König* Sam. 181.
*Koning* Martinus IV. 1087.
Kören i. e. loqui. 550.
Korn 554.
Κορος 551.
Κορωνις mater Aeſculapii 109.
Kr in vocibus notat ſonum & congregationem 543.
Krabbe 55.
Krähen 540.
Krähe/Kreye 542.
*Kramerus* Ioh. R. 507.
ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ IV. 347. ſqq. 1058. ſqq.
Kreiden 549.
Kreiſchen 549.
Κρειττονες IV. 495.
Κρεξ 541.
Κροτος 546.
Κρωζειν 543.
Κυκλοι Περγαμενοι 127.

Κυριακὸς, κυριακὴ, κυριακὸν 530. sqq.

L & R sæpissime permutantur 563.
Labia instar liliorum 245.
Lactantius auctor sympossii. 379.
Lageæ res i. e. *Aegyptiacæ* IV, 740. Lagea *Alexandria* IV. 740. Lagi urbs IV. 742.
*Lampe* Frid. *Adolph.* 175. 734. sq. 990. 1143. IV. 200. 402. 1033. 1092.
Λαμπειν IV. 344.
*Langenes* Henr. IV. 402.
*Langius* Joach. 354. sq.
Lapides Deucalionis IV. 191. lapis fundationis IV. 192. lapides unde homines IV. 191. sqq.
*Lasco* Ioh. à 138. 141. 183. sq.
Latro conversus 194.
Lavare vestes & mundare totum corpus IV. 1017. 1021. sq.
*Lavaterus* Ludov. IV. 551.
LAUSANNENSIS ACADEMIA IV. 675. sqq.
Lecti eburnei 309. sq. lectis injecta stragula. IV. 760.
Λεγειν ἐν ἑαυτοις IV. 188.
Legislator dicitur Christus & Moses. 1068.
Lemuel IV. 133.
*Leng* John. IV. 197.
*Leuckfeldius* Henr. IV.
Leo symbolum arcis Sionis 335. 336.
*Leusdenius* Rodolphus 169.
van *Leeuwarden* N S. 402. 1140.
*Leydeckker* Melchior 158. sqq. 1092.
*Libanus* 864. sqq. emblema N. Testamenti. 864. montis situs 970.
Liberum arbitrium 210. 387. 825.
Licinio an preces dictatæin somnio IV. 45.
*Ligtfootus* Ioh. 191. 670. 676. sq.
Liliis comparantur labia 245.
Lilio pauperior IV. 79.
Locus vocatur Deus 1029. Locus sanctus 658. 1029.
Locustæ comestæ 47. sqq. varii generis 47. sqq.
*Loersius* Christ. 367.
Lotio in sacris Isidis IV. 1010. in inauguratione Sophistarum IV. 1010. in re sacra facienda IV. 1011. sq. in inauguratione Sacerdotum IV. 1015. 1016. in sacris Mithræ IV. 1013. conjungitur cum

cum mutatione vestium IV. 1017. in datione Decalogi IV. 1018. dicitur sanctificatio. IV. 1020.
Lucæ Evangelium est Apologeticus Christ. religionis IV. 503. quando & ubi scriptum IV. 516. 733. sqq. Lucas res sacerdotum & in templo gestas attingit IV. 521. sqq.
*Ludolphus* Jobus 50.
Lugdunensium Professorum festivitas secularis 513.
Lustratio quando fieri dicatur 237. sq.
*Lutherus* IV. 73. concordiam suadet cum Reformatis 142. vitia juventutis agnovit 373. liber contra Tigurinos 1098. Lutheri testimonium datum Fabricio IV. 106. ejus epistola ad Jac. Mejerum IV. 907. ad Capitonem IV. 911. 913. 918. ad Schvvenkfeldium IV. 911. ad Bucerum p. 917. votum pro concordia Ecclesiastica IV. 907. cucullum abjicit IV. 912. ejus Uxor IV, 934.
*Luyts* Ioh. 169.
Lydia purpuraria 276. Lydia nomen proprium 277. sq.
Lydorum fœminæ purpura utebantur 279.
Lydi tingebant purpura 245.

MACEDONICA civitas est Alexandria IV. 734. Macedonicum pro Alexandrino. IV. 743.
Magnæ urbes. IV. 751.
Malalas. 28.
*Malacrida* Elisæus. IV. 403.
Malus, male. IV. 792.
*Mann* Joh. Dan. IV. 754.
Manus imposita sacrificiis. IV. 158. sq.
Manumissi donabantur annulo aureo, Calceis, stola, 939. sqq.
*Martinius* Matthias. IV. 598.
Masculinus sexus utrumque includit IV. 723.
*Masso* Samuel. IV. 746.
Gerh. à *Mastricht*. IV. 1091.
*Mauritius* Antonius. IV. 308.
*Mauritius* Casp. IV. 853.
Medicare est purpura tingere. 270.
*Meibomius* M. 65.
*Meierus* Gerh. 369. 947. IV. 167.
*Meyerus* Joh. 1136.
*Meyer* Petrus. 391.
*Meyer* Christ. IV. 1086.
*Meierus* Jac. IV. 903. 907.

*Mel* Conr. 178. IV. 199.
*Melanchthon* Phil. IV. 931. 932. IV. 73. 94. 95.
*Melander* Dionyſius. IV. 80.
S. Melania. IV. 199.
MELCHIZEDECUS 879. ſq. vel ipſe Meſſias vel typus. 1085. ſq.
Meletiani. IV. 240.
Melotis. IV. 355.
Μηλωτη. IV. 354.
Mentis analogia cum corpore. 744. ſq.
Meridianus ſomnus. IV. 763.
*Mercken.* Joh. Caſp. IV. 883.
Meſſias comparatur gallinæ. 560. Meſſiæ ſubſtitutio. 1088. ſq. *Moſes* & Meſſias comparantur. 1090. ſq. Meſſiæ tribuunt reſuscitationem mortuorum 729. 730. Meſſiæ dolores. 229.
Μεσονυκτιον. 199. 246.
Metatoi 1128.
Μετρον ηλικιας. IV. 781.
Μιαινω. 261. ſq.
*Michael* ph. Georg. 707.
*Michael* Gregorius IV. 853.
Mileſia purpura. 299.
Miletus Ubs. 299.
Mille anni innuunt V. Teſtamentum. 778.
*Millius* Dav. 170. IV. 1092.
Milites coronati. 235.
Minervæ cultus apud Pergamenos. 109.
de *MIRACULIS* 581. ſqq. hodiernis temporibus patrantur. 621. ſq. Miracula IV. 595.
Mithriaca ſacra. IV. 1013. in iis baptizabantur, ibidem.
*Moeragenes.* 7.
Μολυνειν ιματια. 256. ſq.
Monaſterienſes turbæ. IV. 78.
*Monaco* del Antonius. 1044.
*Monachius* Steph. 431. ſq.
Monarchiæ quatuor. 805. ſqq.
*Monterchius* Joſephus. 108.
*Montfaucon* Bernhardus de IV, 221.
Morbo non laboravit Chriſtus. IV, 884.
Moris tribuitur ſanguis. 267.
Mortis ſymbolum ſomnus 717. ſq. mors purpurea. 266.
Moſes an autor Pſ. XC. 770. in Moſen baptismus. IV, 1044. Moſis corpus 724. Moſes & Meſſias comparantur. 1090. ſq.
*Mosheim* Joh. Laur. I, 272. 894. 907. IV, 34. ſqq. 335. 935. ſq. 1093.
Motus terræ; vide terra.

*Muffetus* Thomas. 47.
*Muhlius* Henr. 525.
Multi dicuntur gentes. 1072.
Murus medius 200.
Muſica delectantur animalia IV, 576. imprimis piſces. IV, 577. ſqq.
Muſeum Pergamenum. 126. ſq.
*Muſſardus* Benignus. IV, 309.
*Muſſard* Petrus. IV, 311.
*Murnar* Thomas. IV, 926.
*Myconius* Osvaldus. 510.
Myſtica Theologia. IV, 672.

NAſus ſedes iræ IV, 114.
*Negri* Salomon IV, 711.
Νημος. IV, 973. ſq.
Νεωκοροι, 112. ſq.
*Neuſchelerus* Joh. Lud. 506. IV, 276. 280.
Nicanor Diaconus. 522.
Nicolaus Diaconus. 524.
*Nieuwventydt* Bernh. 383.
Nigredo crinium. 244.
ex Nihilo an quid fieri poſſit. IV, 31.
Νικη, Νικων IV, 607. ſqq.
Nix. 865. Nix Libani 867. Symbolum verbi divini 866. hæreſium & perſecutionum. 866. 867. juſtificationis. 867. regni glorioſi in cœlis. 867.
*Noltenius* Joh. Arn. 951.
Νομευειν. 561.
Νομος Βασιλικος. 988.
Νομοθετης, dicitur Chriſtus. 1068.
*Norrelius* Andr. 36.
Nox tempus afflictionum, 855.
Nubes; vide Columna nubis. Nube baptizati. 1130. IV, 1023. ſq. in Nube Deus dedit legem IV, 1028. Nube veſtiri. IV, 1032. Nubis origo. IV, 820. ſunt cataractæ cœli. IV, 823.
Nudus dicitur qui veſtem exteriorem non habet. 639.
Numerus Apocalypticus. 748.
Nuptiales quidam ritus. IV, 1037.

OCeani capacits. IV, 810.
*Ockley* Sim. IV, 39.
Oculi hominis 822
*Oecolampadius* Jh. 510. ejus ſententia æ Euchariſtia. 1094.
Officia tria Chriſti in uno ſubjecto IV, 90.
*Olearius* Godf. 5. 20. 21. 23.
Oleo ferventi um Johannes

nes injectus & alii. 316. ſeq.
Omnes gentes quæ dicantur. 665.
Omnium Deus, quo ſenſu Deus dicitur 206.
ONOCHOETES vel Ononychites. 1040.
Ονονυχοειδης. 1049.
Ονοειδης Ophitarum Deus. 1053.
Ονοκεφαλοι. 1062. ſq.
Ophir. 955.
OPTIMI titulus. IV, 347. ſqq. 492. ſqq. 1059. 513. ſqq. Optimi titulus datus præfectis Provinciarum. IV, 524.
Optimus Princeps. IV, 525.
Opus Dei. 799. ſqq.
Oracula quomodo fiebant. 352. ſqq.
Ὀφθῆναι. IV, 282.
Os loquens magna. 822. ſq.
*Otho* Joh. Hen. IV, 403.
*Otto* Joh. Baptiſta. 506.
*Otto* Eberh. IV, 1092.
*Ovinius* Herm. IV, 199.
*Outhovius* Gerh. 375. 438. 625. ſq. 1144. IV, 457.
D' *Outreinius* Joh. 178. 232. 879. 889. ſq. 1071. IV, 154. 360. 605. 1094.

PAchomius IV, 771.
Palatina Eccleſia. 758. ſqq.
Pancratiaſtes. 240.
Πανδοκευτριαι. 440. 450. ſq.
Panſophia Chriſtiana. IV, 994. ſqq.
Παραδιδοναι. IV, 729.
Παρασκευασθαι. IV, 769.
Παραθηκη. 986. 987.
Participium pro fut. infinitivi. 651.
Paſchales epiſtolæ. IV, 257.
Paſcuum Eccleſiæ. 875.
Paſſiones Euangelii. 224. ſq. Chriſti ſunt fidelium. 211. ſq. 225. ſq.
Patres dicuntur Præceptores. IV, 119.
*Pauli* Herm. Reinhold. 176. 375. IV, 200.
*Pauli* Daniel. IV, 1084.
PAYNE Samuel. IV, 1091.
Peccatum originis. 386. peccata portare dicitur Chriſtus. IV, 155. ſqq. peccata remittere num poſſint miniſtri. IV, 864. ſqq. Solius Dei eſt IV, 876. peccati auctorem non faciunt Deum Reformati IV, 1093. ſq.
Pectorale juſtitiæ. 241.
Pedes Chriſti an clavis perforati. 198. ſq. Pedes notant pudenda. IV, 761.

PEDES tegere. IV, 758. sqq.
Pelagianismus. IV, 421.
Pellæa Alexandrina. IV, 741. Pellæus id est, Macedonicus. IV, 737.
*Pellicanus* Conr. 183. 1096.
Pentecontarchus Ramiresii. 208.
PERFECTI, perfectio. IV, 949. sqq.
PERGAMUS 93. 129. sq. sedes superstitionis. 95. ibi cultus Aesculapii, qui ibi habuit templum. 105. sqq. quem nummis suis expresserunt. 106. 107. dicta quasi περὶ γάμος. 826. Pergamenus dictus Aesculapius. 106. 107.
Περιλαμπειν. IV, 344.
Περιστερα. 430. sq.
Περισσωματα IV, 760.
Περιζωσαμενος. 241.
Pestis. 853.
*Pfaffius* Joh. Christ. IV, 772.
*Pfaffius* Christ. Matth. IV, 772. 775.
*Pfeifferus* Aug. IV, 997.
Φαρμακον. 270.
Φιλιος Jupiter. 109.
Philippus Diaconus. 521.
Philippus Hassiæ Landgravius IV, 77. sqq.
Philo Judaeus. IV, 1077.
*Philostratus*. 1. sq.
Φορυω. 263.
Φραγμος. 200.
Φθορα. 264.
Φθειρειν. 264.
*Piazoll* Franc. Lud. 177.
*Pictetus* Bened. 174. 1133. IV, 300.
*Pierre* James. IV, 196.
Pileus num signum servitutis. IV, 178.
Pinnaculum templi. 1011.
Pisces delectantur Musica. IV, 577. sqq. audiunt, & vocati veniunt. IV, 581.
PLACETTE Joh. la 180. vita ejus. 1106. sqq.
*Playfere* John IV, 195.
Pluviæ 68. Christus comparatur pluviis. 71. sq. vespertinæ 72. pluviæ origo. IV, 817.
Πνευματικοι. IV, 972.
Pœnitentiarii. IV, 861. pœnitentes. IV, 860.
POIRETI Petri vita. 75. sq. scripta. 83. sq.
*Polanus* Valeranus. 136. sq.
*Polier* George. IV, 680.
Πολλοι sunt gentiles. 1072.
Polluces. IV, 339.
Πολιτευμα. 978. sq.
Poloniæ Protestantium ecclesiæ status & libellus supplex 678. sqq.
POLYCARPUS 319. sq. ex ejus corpore Columba pro-

processit. 430. sq. Polycarpi epistolæ IV, 943.
*Pomponia* Græcina IV, 528.
Pontificiorum infantes an baptizandi. IV, 173. Pontificum typus. IV, 176.
Pontifex M. tria Christi officia præsentabat IV, 900. 901.
Πορνη quid & unde. 448. sq.
Πορφυροπωλις. 276.
Portare peccata Christus dicitur IV, 155. sqq.
Posteriora Dei. IV, 8. sqq.
*Potter* IV, 195.
Prædestinationis dogma, num fundamentum fidei concernat. 921.
Præsentia Christi in S. cœna. 185. 1093. 1097.
Πρασσω, πρατλω. 974. sq.
PRECATIO JUSTI. IV, 464. sqq. preces Spiritus S. operatur. IV, 478. 479. sq. preces multum valent. IV, 480.
Presbyteriani in Anglia. IV, 698.
Presbyterorum est exercere disciplinam Ecclesiasticam IV, 856.
*Prideaux* Humfridus. IV, 716.
Primogeniti an sacerdotes. IV, 590.
Prochorus Diaconus. 521.
Προνομευειν. 561.
Propitiatorium 1128.
Prophetæ non uncti. 999.
Proselyti ibant sub alas Schechinæ 1014. IV, 1036. eorum baptismus. IV, 1041.
Protestantium concordia. 396. sqq. 409. 909. sqq. 944.
Πρωτοι Ephesii 130.
Prunas in capite colligere. IV, 127. sqq.
Prytaneum erectum. 97.
Πτερον. 1013.
Pueri pro servis IV, 724. pro puellis IV, 724. pro filiis. IV, 725.
Pugna fidelium. IV, 613. sqq.
Πυγμη. IV, 346.
Pulmentarium IV, 345.
PURPURA sanguinea. 265. purpuram gestare 313. sq. purpurea anima. 266. purpura Lydia. 275. Sardiensium 275. sqq. purpura inficere, inquinare, μολυνειν. 268. purpureus color opponitur albo 308. sq. symbolum peccatorum 311. sqq. hominum delicioforum 313. vocatur venenum 770. erat bacchantium. 282. tapetes purpurei. 301. sqq.

ſqq. purpurea dicuntur mora & uvæ. 267.
Pythoniſſæ, Pytho. 348. ſq.

Quadrupedes aves. 43.
*Quesnellus* Paſchaſius. 383.

R. & L. ſæpe permutantur. 563.
*Raabius* Chriſtoph. 366.
RAAB 438. ſq. an fuerit eadem meretrix cum RACHAB quæ genuit Boaz. 453. ſq. 460. ſq.
RACHAB. 438. ſq. differentia nominis 461. ſq.
Rabanus Maurus. IV. 410.
*Ramireſius* de Prado, Laur. 208.
Ravennatum Episcoporum electio. 437.
Reformationis memoria. 494. ſq. Reformatio ingens beneficium. 493. Reformatorum jus habendi templum Francofurti. 132. ſqq. Reformatio Eccleſiæ cautè inſtituenda. IV, 921. ſqq.
Reformati non faciunt Deum auctorem peccati. IV, 1093.
Reges dicuntur Iudices IV, 134.
*Regius*. Joh. 1136.
Reiſa. 45.
*Reiners* Herm. 957. 1144. IV, 949.
Reliquiæ afflictionum Chriſti. 213. ſq.
Remittere peccata num poſſint *P*aſtores IV, 854. ſqq. Solius Dei eſt. IV, 878.
Remonſtrantes quid egerint in Synodo *D*ordracena. 575. IV, 8. ſqq. 428.
Reſuſcitati ſancti cum Chriſto. 721. ſqq. ſymbolum liberationis. 740.
Reſurrectio duplex. 728. Reſurrectionem mortuorum *J*udæi tribuunt Meſſiæ 730. ſqq. Reſurr. Spiritualis. 777.
Ρητραι. IV, 558.
*Reuter* Sim. Henr. 174.
*Rhenferdii* Jac. opuſculorum catalogus. 948. ſqq.
Rhenoburgum. 81.
*Richter* Georgius Gottlob. IV, 1093.
RODOLPHI Rod. *J*oh. Memoria. 361. ſq. ejus ſcripta. 364. ſq.
*Roëllius* Dion. Alex. 376.
Roma culta ut *D*ea. 109.
*Roſſallus* Michael. 93. 104.
*Roy* Dan. le. 1142.
*Roy* *A*lbertus. IV, 677.
Ruber color. vide purpureus.
*Rudbeckius* Olaus. 57. 529.

Ruf-

Ruffini narratio de Athanasio. IV, 229.
*Ruimig* Arn. 1141.
*Ruſener* Joh. IV, 100.

SAcerdotes inaugurabantur lotione & veſtium indutione. IV, 1016. Sacerdotum typus. IV, 176
Sacramentarium bellum, vid. Euchariſtia.
Sacrificiis imponebantur manus. IV. 158. 159.
Salmonis uxor, an fuerit Raab. 456. 460.
Salus dicitur Chriſtus. IV, 782.
Salutis Dea. 122. IV, 785.
Salutifer dictus Æſculapius. 118.
Samuel eſt Lemuel. IV, 133.
Samuelis ſpectrum 348. ſq.
Sancherib. 331. ſq.
Sanchoniathon. IV, 1091.
Sancta urbs Hieroſolyma. 719. Sancta terra & Iudæa. 658. SANCTI tempore Chriſti RESUSCITATI 721. Sanctus vocatur Chriſtus. IV, 1003.
Sanctuarii profanatio 997. Sanctuarium verum è cœlo deſcendens. 1086.
Sanctificatio noſtra eſt Chriſtus. IV, 368.
Sanctificare eſt abluere IV, 1049. ſqq.
*Santen* Henr. de. IV, 71.
Sangallenſes. 505.
Sanguis uvarum. 258. ſq. Sanguis purpureus. 265. mororum. 267.
SARDIENSIUM erat purpuraria tinctura 271. ſqq. Sardinici tapetes. 303.
Saron vallis 712.
Σαρξ notat hominem. 1124.
*Saurin* Jacobus. 1138.
de *Sauſſure* IV, 682.
Scala Iacobi. 1124.
*Schaubius* Georgius. IV, 719.
Schechinæ tribuuntur alæ. 1014. ſqq. Schechina apparuit in datione Decalogi. IV, 1029. ſqq.
*Schelhornius*, Ioh. Georg. IV, 572. ſq. 777. ſqq.
*Schelguigius* Wilh. IV, 513.
*Scheuchzerus*. Ioh. Iac. IV, 1083.
*Schlegelius*. Chriſt. IV, 513.
*Schmucker*. I. H. IV, 198.
*Schrammius*. Ioh. Dan. 327.
*Schrevelius* Cornelius. IV, 1084
*Schrœdelius* Phil. Dav. 377. IV, 135.
*Schudtius*. Ioh. Iac. IV, 1037.
*Schultens* Albertus. IV, 400.
*Schvvenckfeldius* Caſpar. IV, 915.
Schwermer. 916. 917.

Scor-

Scortum avis. 39,
Σεβασμα. 817.
Sedens pingitur Aeſculapius. 124.
*Seldenus* Joh. 6.
Seniores Eccleſiæ. IV, 857. ſeniores ſeptem inter Iudæos. IV, 1079. ſq.
Senſus literalis an unus tantum 592. ſqq.
Septem Periodi, an in ſeptem Diaconis inveniuntur. 519.
Sepulcra Iudæorum. 710. ſq. extra urbem 720.
Serpentes in cultu Æſculapii 101. 118. In nummis Pergamenorum. 107. Symbolum Æſculapii. 119. Epidaurius. 120. Serpens Æneus. IV, 178. 591. ſerpens ſeductor. 121.
*Serrurier* Ioſeph. 169.
Servi erant cincti, carebant calceis, annulis ferreis utebantur. 939. ſqq.
Serveſtani. IV, 82. ſqq.
Sextus Empiricus. IV, 1085.
*Sibersma*. Hero. 179. IV, 198. 199.
Simon Magus. IV, 47.
Σκευος. IV, 770.
Smyrna. 129. ſq. Smyrnæi ſophiſtæ. 129.
Societas Anglica, de propaganda fide, de edendo N. T. Arabico cogitat. IV, 717.
Solis eccliſis tempore paſſionis. 712. ſq. Solis obſcuratio, cum terræ motu ſæpe conjuncta. 712. Sol ſiſtitur à Ioſua IV, 658. ſqq.
Somnus ſymbolum mortis. 717. ſq. Somnus meridianus. IV, 763.
Σωμα. 249.
Sophiſtarum inauguratio. IV, 1011.
*Soſtmann* Alexander. IV, 1085.
Σωτηρ Aeſculapius. 96. 116. ſqq. σωτηρ IV, 295.
Σωτηρια. 116. σωτηρια ψυχων. IV, 782.
*South* Robert. IV, 193.
*Spanhemius* Frid. 1136.
Spinæ quid notent in ſcripturis. 874.
*Spinoſa* Ben. refutatus. 476. ſq. 743. IV, 664. Spinoſismus ante Spinoſam 479.
Spiritus S. autor precum. IV, 478.
Sponſæ injicitur ora pallii. IV, 1034. Sponſa eſt Eccleſia. IV, 1037.
Spuma oris quomodo excitari poſſit. 119.

*Staalkopff* Jac. 470. IV, 20. sqq. 663. sqq.
Stadia veterum. 227. sq.
*Stehelin* Christ. 510.
Stephanus Diaconus. 520.
Σπρεων. 431.
Σπερνιξ. 431.
Σπερνον. 431.
*Steversloot* Laur. 1141.
Σπυγματα. Christi. 212.
Stola ingenuorum. 939. stola vestis virilis 938.
Stragula, stragulæ vestes. IV, 760.
*Strype* Iohn. IV. 194.
*Strigelius* Victorinus. IV, 542
Στρωτον. 55.
*Sturmius* Ioh. 1104.
*Sturmius* Leonh. Christ. 179.
Substitutio justi pro injusto. 1087. substitutio Messiæ. 1088.
*Sulcerus* Simon. 510. Caspar. 512.
Sumatra. 955.
Super. IV, 342.
Superstitio dicta Christiana religio IV, 528. sq. Superstitio externa. IV, 528. sq.
Συμβαλλειν. IV, 182.
Symposius edendus. 379. an sit ejus auctor Lactantius. ib.
Συμπαθεια Christi. 226.
Συνδεσμος. 969.
Syene. 61.
Synodus Dordracena. vide Dordracena.
Συνθρονοι Θεοι. 124. 125.

Tabernaculum quid significet. 1128. tabernaculum nubium. IV, 1031.
Tapetes purpurei 301. Sardinici. 302.
Tegumentum arcæ. 1126.
Τελειος dicitur, qui justam ætatem adtigit IV, 982.
ΤΕΛΕΙΟΣ IV, 949. sqq.
Τελος. IV, 952. Τελειωσις, Τελεσθεντες, Τελειωσαι, τελειν, τελεται. IV, 953. sqq.
Telesphorus in nummis Pergamen. 109.
Telesticæ imagines p. 1.
Templum in castris. 645. sq.
*Terentianus* Longini discipulus. IV, 493.
Terra Iudaica sancta. 659. Terra aquis innatare dicitur. 714. Terræ motus. 708. sq. terræ motu sepulcra aperta. 711. num etiam extra Iudæam tempore passionis Christi. 712. sq.
Terræ motus quid significet. 714. 738. cum solis obscuratione conjunctus, 712. 713. magnarum re-

rum præludia. 740. Terra. IV, 802. ſqq. rotunda. IV, 805. ejus peripheria. IV, 807. Capacitas. IV, 813. ſqq.
*Tertullianus*. 813. ejus Apologeticus, & libri ad nationes unum idemque eſt. 1045. ejus autoritas. IV, 52. Tertullianus. IV, 939. ſqq.
Teſtamenti Novi Arabica verſio. IV, 611.
Theologi non eſt curare politica. IV, 691. Theologorum naevi circa diſſidentes. IV, 536.
THEOPHILUS Lucæ. IV, 483. ſqq. 506. ſqq. 1050. ſqq.
THEOPHILI plures IV, 488. ſqq. 507. ſqq. 1074.
*Theophilus* presbyter Corinthiacus. IV, 1065.
Θεοφίλος. Θεοφίλης. IV, 485.
Theophilus Adiabenus. IV, 510.
Theophilus Pontifex Max. IV, 514. ſq.
Theophilis urbs. IV, 1051.
Theopolis. IV, 1052.
Θλίψις Χριστ. 212. 224. 221. 753.
*Thomſon* Jacobus. IV, 1086.
Θρονοι Deorum gentilium. 125.
THRONUS SATANÆ. 97. ſq. 104. ſqq. 272. throno inſidebat Aeſculapius. 123. ſq.
Thumb. derivatio. 535. ſq.
Thuris albedo 868. ſq. notat preces 869.
*Tiberius* num Chriſtum voluit inter Deos referre. 320. 326.
Tiguri celebratur Memoria Reformationis 493.
*Till* Sal. van. 215. 1137. IV, 178.
Τιμιοι. IV, 1059.
Timon Diaconus. 523.
Tinctura purpuraria. 271.
Tintinnabulis arcentur piſces. IV, 585.
Tmolus mons croco abundans. 289. ſq. vini ferax. 292. mons Lydiæ. 293. Baccho Sacer. 294.
*Tolandus* Joh. 894. ſq. IV, 671. 1090.
Τοπος ἁγιος notat Judæam. 653. templum. 1029. ſqq.
Tophet. 836.
Tradere alicui. IV, 729.
Trajanus cultus à Pergamenis. III. dictus optimus. IV, 525.
*Treviranus* Lud. Georg. 177. IV, 1.
Τριβωνα λαμβανειν. IV, 1011.
*Triglandius*. Iac. 219.
Τρικλινιον. 1074.

Tri-

Trinitas ex libro Sohar demonstrata. 1089. sqq.
Tripus cui insidebat Pytho. 354.
TROMMII Abr. vita. 1117. sqq.
*Tsectsi*. Ioh. 945.
*Turretinus* Joh. Alph. 383. 511. 945. 952. 946. 1137. IV. 305.
*Turretinus* Michael. IV. 307.
*Turretinus* Samuel. IV. 307.
Typi quomodo tractandi. IV. 2. eorum usus IV. 175.
*Vallan* Jac. 168.
Vallis Hinnom. 836.
Velum templi. 1125.
Venenum dicitur purpura. 270.
Ventriloquus. 346.
Verbum Dei quid significet. IV. 26.
*Vesalia* Joh. de 1097.
*Vesalia* Arnoldus de 197.
Vesperæ & matutina 1001.
Vestes purissimæ 235. notant tapetes. 302. vestium indutio conjuncta cum lotione in sacris Isiacis. IV. 1010. in inauguratione sophistarum. IV. 1011. in re sacra faciunda. IV. 1012. vestis erat columna N. & I. IV. 2032. vestes dabantur in nuptiis IV. 1037. vestiri aqua. IV. 1039. sq. vestium mutatio notat morum mutationem. IV. 1047. lotionem corporis IV. 1017. vestiri domo, armaturis &c. IV. 363.
*Uffenbachius* Zach. Conr. IV. 508. 514.
Victoria spiritualis IV. 632. sqq.
Videre Deum IV. 786. sqq.
Videri pro esse IV. 187.
*Vietor* Conradus IV. 1036.
Vindicta templi 212.
Vinum rubicundum 305. sq.
Violare i. e. tingere purpura 263.
Vir Dei i. e. propheta 771.
*Vischerus* Jac. 952. sqq.
*Vitringa* Campegius 1132.
*Vitriarius* Joh. *Jac.* 168.
*Vitus* Stephanus IV. 632. sqq.
Vivificatio est symbolum liberationis 740.
*Ulmer* Conr. IV. 541.
*Ulrich.* Joh. Henr. 508.
*Ulricus* Joh. Jac. 168. IV. 200.
*Ulrica Eleonora* R. IV. 273.
ULTRAIECTINAE ACADEMIAE, ejus Doctorum conspectus 158. sqq.
Umbra alarum Domini IV. 1033.

Unctio quid notet IV. 999. qui uncti ibid. Unctiones Christi IV. 888. sqq. baptizatorum IV. 1001.
Unio Ecclesiarum Protestantium 396. sqq. 409. 499. sqq. IV. 905. sqq. 277. unio Mystica. IV. 673.
Volones 502.
Ὑπερεγνω 972. sq.
Upupæ 47.
Ὑστερημα, ὑστερεισθαι 745. sq. 210. sq. 222. sq. derivatio 214. sq.
Vrsinus Benjamin IV. 1091.
Uvæ purpureæ & sanguineæ dictæ 267.
Vulpes rubræ 285.
VULGATUS INTERPRES defenditur IV. 329. sq.

Wachius, Gilbertus IV. 397.
Waldenses 794.
Waldschmidius J. IV. 950.
Wall Herm. van de 189. sq.
Walliæ Princeps IV. 377. sq.
Waterland Dan. 944. IV. 196.
Webbe Georg. IV. 198.
Wells Eduard. IV. 195.
Werenfelsius Petrus 511.
Werenfelsius Samuel IV. 667.
Wernsdorffius Gottl. IV. 672. 1025. 1041.
Wesaia Ioh. de 197. sq.
Wesselius Ioh. 513.
Whisthon William IV. 197.
Wicleffi Biblia IV. 1087.
Wilhelmus Archiepiscopus 393. sq. 425. sq. 758. sq.
Wilkins: Ioh. 175.
Wirtz Conrad. 509.
Wittenberga IV. sqq. Wittenbergensis Concordia, IV. 906
Wollebius Ioh. Iac. 510.
Wollebius Ioh. 511.
Wolters Ludovicus 1084. sq.
Wolters Steph. 369. Vita, IV. 1083.

Ysopum IV. 337.

Zelotæ Iudæorum 1032.
Zion 334. 337. sq. 997.
Zohar liber 57. 369. excerpta ex eo 1084.
Zornius Pet. 126.
Zuingerus Theod. 511.
Zuinglius Huldr. numisma in ejus honorem cusum 503.
Zusis. 290.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
KODAK Color Control Patches
©Eastman Kodak Company, 1997
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2000
KODAK Gray Scale
C
Y
M
Kodak
LICENSED PRODUCT
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19